CHRONOLOGIA SEcundum Græcorum rationem temporibus expoſitis, autore NICEPHORO archiepiſcopo Conſtantinopolis:

CONVERSA in ſermonem Latinum de Græco, & explicata à IOACHIMO CAMERARIO Pabepergenſi, nuncq́ primùm edita.

ADDITA EST Narratio eiuſdem CAMERARII de Synodo Nicæna, nunc denuò edita.

ACCESSIT & noua enumeratio Oecumenicarum Synodorum, indicatis temporibus & præcipuis negotijs illarum.



Cum gratia & priuilegio peculiari ad annos ſex.

BASILEAE, PER IOANnem Oporinum.

PROOEMIVM CHRONOLOGIAE NICEPHORI, CONVERSAE IN SERMONEM LATInum, & explicatæ à Ioachimo Camerario Pabepergenſi:

Ad Illuſtriſs. Principem VVOLFGANGVM Palatinum Rheni & Ducem Bauariæ, &c.

CVM antè annos aliquot urbe exceſsiſsē, relinquēs ea loca in quibus unus quidē ego de multis, opera diligente coluiſſem artes bonas, traducensq; familiam meam ex fremitu ac tumultu ingraueſcentis belli, quo Muſæ noſtrę perculſæ ſubita formidine hucilluc trepidè diffugerent, & nos quoq; errare cogeremur cum noſtris, quòd durante tempeſtate illa ubi quaſi nauem ſubduceremus, non poſſemus reperire: Tunc igitur tandem delati Erphordiam, urbem uetere ſtudiorum liberalium fama, & antiqua eruditionis laude celebrem, in qua & nos quondam nomen doctrinæ adepti eſſemus, fauorem incredibilem eo tempore noſtrorū amicorum ſenſimus, non modò ciuium, ſed quorundam etiam de uicinis oppidis. Georgij autem Sturciadæ Medici eximia benignitas, priora beneficia cumulans nouis, prorſus obruit nos meritis ſuis: ut tunc uerū eſſe planè intelligeremus, id quod Tragœdia ait, μυρίων κρείττων ὁμαίμων ἀνδρὶ οἰκεῖος φίλος. Etſi tunc uſum neceſſitudinis noſtræ cōfirmatum à prima adoleſcentia uoluntatum & ſententiarū ſumma coniunctione & ſtudijs opt. artium atq; diſciplinarum, quaſi aurum eminere neceſſe fuit, ex hac obſcuritate animorum in complurib. & amicitiarum uulgarium caligine. Cùm enim aliæ coniunctiones atq; familiaritates ſæpenumero & ſuſcipiantur temerè, & facilè deponantur: conſtans ſemper & perpetua ea ſemper eſt, quā conciliat doctrina, & ſimilitudo animorum, & literarum cōmune ſtudium. Sed de his nunc quidem ſatis. Cum autē propemodum deſperata fortuna rerum communium, non tam de mea quàm meorū incolumitate angerer, facere non

debui quin aliquantiſper apud meos reſiderem, uel conſolãdi uel conſulendi cauſa. Quanquam me non fugit, in hac ſeculi inhumanitate curam iſtam uitio uerti ſolere à plurimis, qui ut ſunt, ſic uideri cupiunt ferrei, & appellant molles eos qui reſpectu ſuorum tanguntur: oſtendente nimirũ ſeſe inter alia uitia, ea morum corruptela, quam ſacræ & profanæ notationes extremam indicarunt, naturæ & propoſiti peruerſi atq; praui in excutiendo de animis omnem beneuolentiæ & amoris affectionem. Quod genus hominum Græci ἀστόργους nominãt, erga ſuos quoq; immite atq; durum. Non eſt autem hæc profectò uirtus, negligere ſe, uitam, fortunas, familiam ſuam: ſed planè ignauia atq; timiditas. non aliter, quàm in fuga abijci in fluuium, aut flammam. Magnum & memorabile eſt, patria ac Republ. auocante, ita demum diſcedere à ſuis, & horum deſiderium non præponere ſaluti cõmuni omnium. ultrò autẽ illos deſerere, quocunq; alio conſilio, profectò uituperandum eſt. ¶ Sed quare de rebus communibus tunc deſperandum eſſe, potuimus ſuſpicari? aut cur non eſt potius unuſquiſq; conatus, pro ſua illis parte opẽ ferre? quamuis iudicaret in extremum illam diſcrimen uenire. Nam ut de corporib. ægrotis rectè dici exiſtimatur, tantiſper dum anima aſsit, ſpem uitæ deponi non debere: ſic etiam Rempub. quamuis grauiter laborantem atq; afflictã, ſi nondum tamen funditus euerſa ſit, deſtitui, & quaſi prodi non oportet. Primùm eam partem, in qua nos curabamus, id eſt opt. literarum atq; artium doctrinam, uis atq; impetus tantus ſubitò oppreſſerat, ut omnium noſtrûm auxiliũ atq; propugnatio excluderetur. Nam ad tumultus Martis & ſtrepitus armorum ſtatim diffugiunt Muſæ, tenerrimæ atq; belli ignaræ uirgines. Deinde uetus eſſe uerbum nemo ferè neſcit, πράττειν ἕκαστον ἣν τις εἰδείη τέχνην. Ego uerò alias quaſi prouincias Reip. ſuſcipere nunquam uolui, neq; conſiliorum ineundorum eſſe particeps, neq; gerendarum rerum ſocius. Quod equidem non eſt aſcribendum prudentiæ aut calliditati meæ, ſed inertiæ atq; formidini. Atq; memini à magnis quibuſdam & honores præcipuos conſecutis amicis noſtris reprehendi in adoleſcente me, illam humilitatem animi, cũ

dicerent

dicerent ijs ſe rebus inſtructos, quibus me eſſe cernerent, omnia quę concupiſſent facilè conſecuturos. Delituit igitur curſus uitæ meæ in ſtudijs literarum, & ſcholaſticis occupationibus: quàm feliciter, neſcio: ſed ſi pacem & quietem Deus propitius concederet terris noſtris, & mei labores & quantulacunq; induſtria prodeſſe poſſet. Etſi autem, ut oſtendi, ingenio repugnante & abhorrente uoluntate, non demonſtrante ratione & iudicio, factum eſt quo minus ad altiora niterer, & ut fugerem lucē Reip. inq; uitio hoc, uel non in laude certè, ponendum arbitror: tamen poſtquam in ea tempora incidit uita mea, quibus Reipubl. aut ruina miſerabilis, aut pernicioſa mutatio, aut conuerſio admodum uehemēs atq; turbulenta impendet, ſanè lætor non elatum me animo, neque ulla re fretum, ſplendorem & munera Reipubl. appetiuiſſe. non ideo tantum, quòd abeſt metus grauioris caſus: ſed quia uereor ut nullius uel ſapientia uel uirtute, opera Reip. nauari poſsit. Quod contemplans, ὡς γραφεὺς ἀποστάς formā illius conſideratione libera & integro iudicio, planè intelligere atq; perſpicere poterit. Nam quid obſecro fit aut concipitur uſpiam, quod non ad labefactandam Remp. pertineat? Quanta eſt hominum pertinacia? quanta iracundia? quę uindictæ cupiditas? quæ regnandi libido? Hæc tamen teguntur occultando honeſtiſs. nominibus conſtantiæ, animi excelſi, ſeueritatis, dignitatis: & iura diuina atq; humana multorum maliciæ ſeruire coguntur. Inter hæc nihil ferè conſultò geritur: & neq; prouidentiæ ac cautioni, neq; ſententiæ mutationi atq; correctioni locus relinquitur. Omnia licent ijs qui præſtant uiribus atq; potentia. Sacra, profana: publica, priuata: pacata, hoſtica, in nullo diſcrimine ponuntur. Omnis ætas, ſexus, conditio, ludibrio uincentū expoſita eſt. Odia excercentur capitalia: ad quæ explenda undiq; auxilia accerſuntur. Seuitia autem & crudelitas barbariæ immanitatem exæquat. Quæ cùm per ſe turpia & mala ſint, tum quia contra mores atq; inſtituta maiorum fiunt: eam Rempublicam, quam illi poſteris reliquerunt, inter hæc perire & amitti neceſſe eſt. Etſi autem hoc collocationes ſiderum, & oſtenta ac monſtra plurima ſignificant atq; monent: tamen eui-

a 3 dentiſs.

dentiſs. ſunt ſigna, mutationum priorum euenta, ex quib. certiſs.coniecturas capere de futuris liceat. Quæ paulo diſſeri uerboſius, non fuerit, ut opinor, alienum. Ac aſtrologicæ prædictiones, de congreſsibus ſtellarum, de defectibus ac laboribus Solis & Lunæ, de cometarum flammis, nemini ferè ſunt ignotæ. Monſtra autem alia, minus iam propter crebritatem mouent animos hominum. Quæ enim uiſa fatidica tam uigilantibus quàm dormientib. oblata eſſe perhibeantur, exponere eſſet longum, uel potius infinitum. Vnum commemorabo, diuinum ſomnium, & unam cœleſtem, ut ita loquar, picturam. Viſus quidã fuit ante annos aliquot uir bonus & pius uidere, omnia undiq; excercitibus & apparatu bellico compleri, & ferro atque igni oppida agroſq; uaſtari: cadere multos, neque tamen uictores uſpiam conſpici: prælia etiam ita confundi, ut neque à quibus, neque contra quos fierent, ſatis liquidò appareret. Vno tantum loco cartas ille conſpicit quinque, diſtinctas coloribus, & præferentes appellationes ac ſententias diuerſas, quę è ſublimi demitterentur, hoc modo: nigra Iudæorum, Moſis Lex: alba, Chriſtianorũ, Sola fides Chriſti: fulua, pontif. Rom. indulgentiæ: punicea, Turcarum, Sarraceni, Mahometh unius Dei nuncius: fuſca, Anabaptiſtarum, opera, libertas. Hæc quid ſignificarint, non poteſt obſcurum eſſe ulli, qui uoluerit cogitare, quid & his annis aliquot acciderit, & nunc etiam fiat. Eodem fermè tempore longa hiſtoria conſpecta eſt in nubibus, eiusque poſtea edita pictura in Belgico, talis. Inuehitur equo concitato ad curſum, quidam cum haſta proiecta. Supra hunc Caroli V. Cæſaris coronati capitis effigies, & propè roſtrum porci, & ſuperius duo leones aduerſus alios tres proſilientes cernuntur: infrà autem, dracones duo flammas euomunt. Hæc ſequuntur bellici apparatus terra marique, oppidorum caſtellorumque inflammationes iterum atque iterum. Et pauo ſine pedibus, nullis alis paſsis: propterque eum draco, in aere. Et ibidem aquila poſt rupem abſcondita, parte ſui maiore: & circum rupem paruæ aquilæ. Itemque coronatus leo proiectus in tergum, cuius guttur percutit gallus gallinaceus. Poſt iſta congregantur beluæ multæ

& uariæ,

& uariæ, & formis abhorrentibus: monſtroſæ omnes, præter feram unicornem, quæ Græcis μονόκερος eſt, per quàm elegantem, & admodum uaſtum elephantum. Mox rurſum excercitus, & incendia: & gallus aſsiſtens ad leonem, cuius amputatum caput cernitur. Poſtremò lacus ingens, quo ſubmerſa oppida eminentes templorum pyramides indicant: & ſola camelus in ripa, quaſi bibens capite in lacum demiſſo. Vbique autem aſſunt dracones flammiuomi, afflantes ignes & uenena. Mihi quidem hæc etiam ipſa non remotas neque difficiles habere coniecturas uidentur, ijs max. turbis, quibus conflictatur ætas noſtra, commotis. Partus autem monſtroſi tam humani quàm aliarum animantum nunciati ſunt innumerabiles, his annis ſanè multis. Inter quos inſignis, Vitulomonachus: & ante eum, aſini, hominis, piſcis, permiſtæ figuræ. Et poſtea prolatus Monachopiſcis. Nam intra uiſcera uiri, reperta ferramenta (id quod nos uerum eſſe comperimus) quid niſi inteſtinos motus portenderũt? His igitur ſe tam frequenter, tam mirificè oſtendentibus, intelligi profectò debet, ipſius iam naturæ conatus detorqueri, ac rerum humanarum conditionem uerti, neque magis poſſe eas debilitatas & languentes conſiſtere: ſed quemadmodum partus monſtrorum uitales non ſunt, ita huius ſeculi ſtatum degenerem atque corruptum nõ eſſe duraturũ. Id quod memini prædicere quoſdam, cũ puella ad Rhenum ſine cibo & potu uiuere perhiberetur. Quaſi hoc indicaretur, mirabiliter fieri, ut Reſp. non interiret, ijs deſtituta atq; abſtinens, quibus nutriri ac ſuſtentari deberet. Sed manifeſtiſs. prudentiæ ſigna uideamus. Vt enim, quia ſolem ortum eſſe & occidiſſe ſcimus, ideo & diem & noctẽ aduentu deceſſuque huius luminis deinceps fore ſtatuimus: Sic, quemadmodum opinor, quòd poſt legum, diſciplinæ, inſtitutorũ diſſolutionem, ſecutas eſſe ſemper Reipublicę aliquas labes, ſæpenumero etiam interitum, cõperimus, nunc etiã imminere hoc periculum poſſumus conijcere. Atque ut ordiamur à priſcis, quæ incredibilia non ſunt, quãuis fabulis implicata: Sardanapalus, mutatis moribus & uita diſsimili maiorum, regnum Aſsyriorum, cuius ſedes Ninus celeberrima

a 4 urbs

urbs fuerat annis ſanè multis (nam numerum definire nequeo)perdidit,eripientib.Chaldæis & Medis. Etſi autem nõ de gentis corruptis moribus, ſed Regis tantũ legimus ea quę ſunt omnibus fermè nota, crudelitatis, libidinum, luxuriæ, deliciarum ſcelera atque flagitia: tamen ita ſe res habet, quẽadmodum cùm alij ſcripſere,tum perquam luculentè Xenophon, plerumque ſimile principum uulgus eſſe: & imitari ſubiectos aliorum poteſtati, uitam moresq; eorum qui ipſis cum imperio præſunt. Tum igitur Aſiæ principatus partim ad Medos, partim ad Babylonios & Chaldæos peruenit. Babyloniorum quidem ac Chaldæorum quanta petulantia,ſuperbia, improbitas,laſciuia fuerit eo tẽpore,quo Cyrus Perſa Babylonem cepit, plurimorum narrationibus ſignificatur: leuitas autem atque futilitas eo demonſtratur, quòd pleriq; tradidere,inter epulas & conuiuiorum hilaritatem oppreſſam ciuitatem fuiſſe. Xenophon etiam ſcribit, eum regem qui urbe capta perijt, nefariè fuiſſe & crudelem & contumeliosum erga cunctos tam principes quàm uulgares in regno: cum & interficeret & caſtraret liberos ſatraparũ, & in multitudinem auderet atque patraret omnia. Secuta eſt Perſarum dominatio,quæ & ipſa concidit, cum iam,quamuis diſciplinæ antiquæ nomina retinerentur, res tamen ipſa euanuiſſet. Quemadmodum fieri cœpiſſe ſuis temporibus, Xenophon copioſe narrat: quando neque promiſſa ſeruarẽtur, neque fidei & iuriſiurandi religio coleretur,& luxuria atque libidinibus eneruarentur uniuerſi,& animis ignaui, corporibus imbecilles redderentur:cum fraus auariciæ,oppreſsio & uis improbitati ſeruiret. Defecit autem hęc gubernatio,uirtute & potentia paulatim langueſcente,& quaſi ingens ædificium tempore labefactatum corruit tandem, Alexandro Macedone ſe inferente, & omnia proſternente, cum ſtetiſſet annis plurib. CC. Græcorum quidem regnum confirmatum & ſtabilitum fuit nunquam : ſed cum duces Alexandrij regnis pluribus atq; diuerſis orbem terrarum occupaſſent, ſeque mutuis armis diu multumq; attriuiſſent, ſub Romanorum imperium atq; ditionem illa inuicta,ſi coniungerentur, potentia tandem ſubiecta fuit, poſt annos circiter CCC.

Hæc

Hæc numerantur ac nominantur Imperia præcipua orbis terrarum: quorum quaſi ætatibus, quæ uarijs in locis mutationes publici ſtatus acciderunt, eæ ſimiles cauſas & eadem initia habuerunt: ſed ut minoris molis, minor fuit ueluti fragor ruinę. Nam Iudaicus populus, quoties religionem ac pietatem & ius neglexit, toties grauiter fuit afflictus: donec tandem prorſus exterminaretur. Sed de hoc proprio ac peculiari Dei æterni populo, nunc non diſputabitur. Quid Aegyptij? quando Amaſis Apryen per ſeditionem oppreſsit, nonne incitati odijs ſeſe ipſi oppugnarunt: & ueteri diſciplina iãdudum conuulſa, in ditionem deinde & poteſtatem Perſarũ uenerunt? De Græciæ autem ciuitatibus, & harum euerſione atque interitu, duabus præcipuè principibus Athenienſi & Lacedæmonia, hiſtoriæ ſunt luculentè expoſitæ ab Herodoto, Thucydide, Xenophonte. Quorum ſapientia atq; eloquentia ita deſcripſit ortus atque incunabula & incrementa ac progreſsiones, poſtea etiam conuerſiones rerum & detrimenta, & tandem euerſionem atque exitium, ut non ſolum omnia illa perſpicuè enarrarint, ſed demonſtrarint etiã quid quib. temporibus euenire, & quæ quaſi flumina quib. è fontibus manare ſoleant: utque nõ tam præterita atque præſentia commemoraſſe tanquam hiſtorici, quàm futura quoq; ut uates præcinuiſſe uideantur. Noſtra autem ætas incidit in Romani Imperij feces, & illam debilitatem extremã, quã conſiſtere quaſi luteis pedibus, ac niti quamuis ægrè & difficulter, hoc cernimus. Quod ſeſe

Per uarios caſus, per tot diſcrimina rerum,

ut ait poeta, ſanè perculſum antea quoque grauiter & afflictum, utcunque ſuſtinuit tamen hactenus, ab Heraclij temporibus annis nondum M. planè mirabiliter atque diuinitùs, atque in max. anguſtias redactum, defendit atque conſeruauit Auguſtum nomen Maieſtatis: compluribus undique partim manifeſta ui, partim occulto ſcelere & inſidijs ipſum petentibus atque carpentibus, partim etiam deſerendo flagitioſe prodentibus. Id quod uaticinationes quędam ueteres innuere uoluerunt, propoſita imagine mœſtæ Aquilæ, conſiſtentis ſupra nauigiũ fluctuans in procelloſo mari, & expan-

dentis alas admodum tenues, atque multis plumis detractis:
aſtante in littore turba aſpicientum illam ocioſe, & quaſi inter
ſe colloquentum. Noſtra autem non ita diu antè uirtutis
nomine celeberr. Germania, quæ tot & tam præſtantibus
rectoribus auxit Imperium Romanum, in qua nuper omne
robur huius dignitasq; & ſalus repoſita eſſe, & uerti cardines
Reip. credebantur (heu mihi, cum quanto dolore hoc ab amatore
patriæ ſuę dici neceſſe eſt) de quo faſtigio, quàm ſubitò
cecidit?

ἡγεμόνων κακότητι, μεθημοσύνῃσί τε λαῶν.

dicendum enim eſt uerum. Neque ego poſſum prę triſticia,
& quia inuideo hanc inimicis læticiam, mandáre literis horum
tam atrocium malorũ & tantarum calamitatum cauſas:
neq; uolo me dupliciter affligere, ὁρῶν τὰ δεινὰ, καὶ λέγων, ſecundum
Tragœdiam: & cùm ferendo communes miſerias,
tum indignando atque iraſcendo in commemoratione cauſ
ſarum, quæ, ut ait Cicero, plus mouent quàm ipſa euenta.
Hoc dicam breuiter, ſiue gaudeat hoſtis, ſeu moneatur ciuis,
non longiſs. tempore in ſuperſtitionum errore & falſæ religionis
cõfirmatæ & ſtabilitæ ab ijs quos pro ueritate uitam
etiam ſuam impẽdere oportebat, cum capita Chriſtianitatis
ſuæ exiſtimationi atque potentiæ ſuisque uoluptatibus omnia
poſthaberent, & ſecundum Alexandri elogium, ſibi terram
ſubijcerent, cœlum relinquerent Deo, niſi quatenus in
illud quoq; interdum irruperunt κερδῶν ἕνεκα. Ita igitur nimis
celeriter accidit, ut natio noſtra partim ab externis in confuſione
adminiſtrationum conturbata, partim audacia ſua incitata,
minus & pietatem iam cólat, & humanitatem cuſtodiat,
& uirtutem (qua ſic tamen inter cæteras conſpicitur)
excerceat, & amorem erga ſuos, erga alios clementiam, iuſticiam
& fidem in omnes negligentius ſeruet, atque prętet.
Itaque quid denique de illa futurum ſit, ualde metuo. Hoc
ſanè eſt, quo adhuc ſeſe amãtes patriæ cõſolari poſsint, quòd
Germania cupidiſsimè admiſit atque ſuſpexit exortam lucẽ
bonarum diſciplinarum ac artium: harumque oblatam copiam
ita ſtudioſe fuit amplexa, ut nulla in parte doctrinæ ceſ
ſaret atque defatigaretur. Veritas autem rerum diuinarum,

& in

& in his falſitatis indicium (quicquid dicant maleuoli, & quomodocunque tandem iſta tempeſtas abeat) noſtra ſunt propria: & hoc bonum (id quod rurſum confidenter à me contra iudicia plurimorum dicetur) hoc inquam bonum, & hanc felicitatem Deus propitius noſtræ humilitati benignè tribuit, & beneficium iſtud cõtulit in has ſteriles, inamœnas, aſperas, & quemadmodum elegantes multi uocant, barbaras terras, & gentes ſimplices ac ruſticas. Cum autem in his controuerſijs non de aqua pluuia aut ſtillicidijs, ſed capite & uita cuiuſque, ſed (quæ eſt capite etiam ac uita prior bonis omnibus) de ueritate doctrinæ cœleſtis, de maieſtate & gloria æterni Dei quæreretur & ageretur, uſuuenit, id quod neceſſe fuit, ut & animi hominum uehementiſs. commouerentur, & graues iræ atque acres diſſenſiones, & ex his inimicitiæ hoſtiles orirentur atque conualeſcerent. Itaque omnia contentionibus & litibus & certaminibus compleri cœpta: & nunc Germania noſtra odijs mutuis ardens, eã uiam ingreſſa eſt, ut niſi filius Dei, Dominus noſter IESVS CHRISTVS, quẽ magna ex parte uenerari & colere ſe profitetur, auertat, ipſa ſuis ſeſe uiribus confectura eſſe uideatur. Eſt autem hic in primis deteſtabilis prouentus fraudum atque machinationum, quicunque tandem uel architecti uel fabri harum ſint, cum de religionis ſanctitate & doctrinæ explicatione concordes, & ſententia atque animis coniuncti committuntur, ut ipſi ſecum confligant atque dimicent. Nam quid ego cognationis & ſanguinis mentionem faciam? quam neceſsitudinem negligentes, ab omnibus ſemper impios, &, ut Græci appellant, ἀνοσίους habitos eſſe ſcimus: cum hoc religionis ueræ uinculo nullum firmius eſſe conueniat, & amicitia iſta nullam aliam duci ſanctiorem.

Τίς δ' ἄρ σφωε θεῶν ἔριδι ξυνέηκε μάχεσθαι;

Eos ſcilicet, quorum unquam odia & pugnæ tanta uulnera quocunque tempore, & tales ſecures patriæ non dubitarunt impingere. Parua ſcintilla magnum ſolet excitare incendiũ. Quid autem quiſque ſentiat, meum non eſt uidere atque expendere. Ego in ea ſum opinione, & ſic prudentiſs. uiros loqui audiui, illam, quæ ἕρκος ὀδόντων ſepta, ubi ſe protulit, cõ-

mouet attentionem hominũ, ut quærant, γλῶσσα ποῖ πορεύῃ: quòd iter illius tendere conſtet ad Reip. uel euerſionem uel conſtitutionem: illam igitur tunc malitioſam, uenenatam, ſceleſtam Linguam, cõcitaſſe & uentilaſſe ſemper bellorum calamitates, & poſthac prouocaturam exagitaturamque eſſe perſuaſum habeo. Atque hoc uirus illud, & iſta flamma eſt, quam ſuprà diximus uiſos eſſe dracones in nubibus euomere. Primùm autem dicuntur creduntur'q; ea, de quibus exiſtere clades publicæ, & edi ingentes ſtrages ſolent. Deinde, ut fit, creſcit malum pertinacia, & furor Martis excandeſcit: quemadmodum ſtellam, cui illius nomen tribuitur, aliquando flagrantem & rutilantem grandi quaſi face accenſa, uidemus. Sed non ignoro, à quibuſdam, externis præſertim, derideri hanc Germanorum ſtulticiam, qui neſcio de quib. incertis ac dubijs & obſcuris rebus tantopere digladiẽtur, & (ut quidam nuper Græcus ſcripſit) de cœlo pugnantes terram amittant. Non enim negari poteſt, grauiter aduerſando quibuſdam noſtros homines, uehementiſsimis diſputationib. & uerborũ magna aſperitate eſſe interdũ uſos, & in nullius gratiam, non etiam ſui reſpectu, à propoſito ſententia'q; ſeſe paſſos eſſe dimoueri. Id ſtudium in quibuſdam eruditis, eruditi in primis aliqui damnant: cum alios nimirũ uulgus rude ac leue, cupiditate animi inflammatos, aut peruerſitate inductos, aut ſuperbia elatos, tumultuari & inſanire dictitent. Eruditos igitur & doctos his contentionib. implicari & mirantur, & reprehendunt. Exiſtimant enim eſſe, ſecundum uetus uerbum,

νήπιον, ὃς τὰ ἕτοιμα λιπὼν, ἀνέτοιμα διώκει.

His autem erant ſcilicet extra has pugnas, propoſiti honores & emolumenta: cum ſic ſint & cõtempti, & ij quibus interdum (ſecundum Poetã) neque ſeruus eſt, neque arca. Iam ea, pro quibus quaſi pro aris & focis tanta conſtantia decertatur, ut in confitendo & aſſerendo ſanguinem etiã profundere aliqui non dubitent, qualia obſecro ſunt? Primùm ea, quæ pręſentem Reipubl. ſtatum concutiunt & mutant: quẽ ſaluum eſſe qualemcunque, omnes boni uelle debere exiſtimantur. Deinde, in hanc & illã partẽ admittentia diſputationes:

ones:ut niſi conſenſu quodam & ueluti conſpiratione aliqua corroborentur, infirma ſint, & expoſita omnium ingenijs ad labefactandum. Poſtremò eiuſmodi, ut huius uitæ ſuauitatem & fructum auferant, & felicitatis præſentis ſpem præcidant. De his igitur cum omnium fortunarum & uitæ ipſius periculo ita dimicare, ut non dubites, ſumma dignitate & poteſtate præditos, maximosq; principes ac reges inimicos capere, quomodo non hominum parum ſanorum, ſapientia ac doctrina præſtãtibus eſſe uideatur? Hæc ut ſcio à quibuſdam hunc in modum, à quibuſdam minus etiam clementer dici, uel in ſtoliditatem uel in temeritatem Germanorum, et fateor in mentem mihi ipſi quoque uenire: ſic, qua diſputatione eruditionis & ſapientiæ refellam, non inuenio. Et autor ſalutis noſtræ, atque doctor horum, filius Dei natus homo in terris, cognitionem iſtam nõ eſſe calliditatis neq; perſpicaciæ humanæ, ſed communicari cõtemptis & paruis oſtendit: & præmonuit, flammam atq; gladium excitari, immittique doctrina ſua. Non quòd uim & iniuriam hæc afferat: ſed quòd hominum rationi & perſuaſioni tam ſapientiæ quàm uirtutis humanæ non poſsit illa non aduerſari. & ideo ipſe quoque pro ſeditioſo arreptus, & præſidi Romano traditus fuit à Iudæis, ciuibus cognatisq; ſuis. Quod autem attinet ad fundamentum doctrinæ, de qua quæritur, nullum ſanè eſt aliud quàm Veritas à ſpiritu ſancto promulgata in terris, per ſermonem Prophetarum & Apoſtolorum. Veritas autem, IESVS CHRISTVS filius Dei: in qua conſenſerũt omnes pij & ſancti à prima origine Mundi, & conſentient perpetuò uſque ad ultimum finem ipſius. De proſperitate autem & commodis terrenis, habemus hoc Magiſtri uerbũ: REGNVM MEVM NON EST DE HOC MVNDO. Sed rurſum hæc in cogitationibus ſapientiæ humanæ, & quæ hac parte inaniſsima eſt, philoſophiæ, multifariam adhæreſcunt & inſiſtunt: neque aliter quàm pia religioſaque aſſenſione, quam extenuans hominum acrimonia credulitatem appellat, explicari poſſunt. Iam igitur taceamus, & confirmemus nos, ut poſſumus. Poterimus autem in fide IESV CHRISTI, quantum uoluerimus, ſecundum gratiã quam

facit delictis atque peccatis noſtris, propitius Deus filij cauſa: & per benignitatem, qua reconciliatos iam ſibi immenſa cõplectitur. Hoc igitur quiſque faciet, quod ſe facturum ſæpe ait rex Iudeæ Dauides, ut taceat, & non aperiat os ſuum: & ut ſileat Deo. hoc eſt, ut reprimat & coherceat atque refutet motus refragantes & reclamantes atq; obſtrepentes ſermoni ueritatis, quam Deus uult uniuerſos cognoſcere, & in huius confeſsione adipiſci ſalutem & uitam felicitatis ſempiternæ, & ſeſe autorem ac largitorem tanti boni perpetuò laudare, & iſtam beneficentiam prædicare, ſibiq́ue agere gratias ex animo, & celebrare miſericordiam ipſius. Verùm de his ſatis. Neque enim noſtra eſt iſta explicatio: & hæc doctrina ut eſt cœleſtis, ſic captum omnem hominum ſuperat: & quæ ei habeatur Fides, opus eſt ſancti ſpiritus diuinum, qui per illam in Eccleſia CHRISTI doctor eſt ueritatis, & creator nouæ mentis atque intelligentiæ, in aſſentientibus ac credentibus ſermoni diuino. Cuius acroama non quaſi more, uel etiam lege frequentari interdum tantum par fuerit, ſed omni cura & diligentia perfici, ut quàm ſæpiſs. quàm certiſsima audiantur atque percipiantur: & huc incumbi, ut in lectione ſacræ Scripturæ uigilantes, confirment aſſentiendo ueritati animos ſuos, & dubitationes excutiant, & abhorrentes cogitationes opprimant. Hoc cum intermitti à nemine debeat, ab ijs tamen aſsiduitas perpetua poſtulatur, quorum profeſsio & promiſsio eſt, Doctrina ueritatis, ut alios inſtituere, monere, cohortari, conſolari, deterrere, confutare poſſint. Quod attinet autẽ ad bellorum clades, & alias ærumnas, primùm mala iſta ab irato Deo ſceleribus & flagitijs & impietati hominum immittuntur. à quo quidem ſępenumero mitigantur, non etiam nunquam reprimuntur, placato precibus caſtis & religioſa imploratione, & uitæ mutatione, & in pœnitendo ſalutari triſticia. In quo tamẽ ſemper impietatem etiam implicari compertum eſt. Nam eæ quoq; gentes, quæ diuinam ueritatẽ ignorant, religionis quodã ſtudio ſatisfacere Deo conantur: cum neceſſe ſit, in falſæ religionis cultu magis iritari cœleſte numen, quàm placari. Et hoc tamen traditum eſt, Gręcorũ quondam πομπαῖς καὶ θρησκείαις,

Roma-

Romanorumq; ſacrificijs atque ſupplicationibus, & bellorũ minas auerſas, & famis atque peſtilentiæ ſęuitiam lenitam. Quo pacto & apud nos talibus temporibus multa, uel ſuperioribus annis penè omnia potius, ſuperſtitioſe & cõtra ueritatem doctrinę Chriſtianæ, quæ minus tum illuſtris eſſet, cùm publicè tum à ſingulis ob aduerſa & conſcientia ſcelerum flagitiorumq; perturbatis, facta atque ſeruata, atque ita omnia ceremonijs alienis cõpleta fuiſſe ſcimus. Cum enim à ſe Deo homines ſatisfacere cuperent, nihil recuſarunt quod præſtare iuberentur, in formidine interitus. Itaque illi bellatores, uiri fortiſs. quorum in natione noſtra ſemper fuit uberrimus prouentus, quæ in urbibus & pagis idonea loca, quos colles, quas ualles fructuoſas non auxerunt templis atque fanis? uenerantes aliquos diuos, quos ſalutem ſibi ab infeſto Deo deprecari poſſe ſperarent. Atqui oportebat, ut Danielus facere regẽ Babylonis iubet, redimere benigna liberalitate delicta: hoc eſt, ui & iniuria deſiſtere, & ſarcire damna publica, & compenſare detrimẽta accepta crudelitate ipſorum: atq; ita miſericordia ſola ęterni & clementiſsimi Dei fretos, permittere illi ſalutem ſuam in fide IESV CHRISTI. Sed talia, ut diximus, nos diſſerere non conuenit, hoc præſertim loco. Cum autem ijs, quæ indicata ſunt, temporib. quib. uagaremur, operas eas, quas ante in ſtudijs literarum excercendis dederam, intermittere cogeremur: cumq; etiam publicę calamitates & priuata incommoda debilitarent animũ noſtrum: ſæpe acquieuit cogitatio mea in fortuna perpetua præſtantiſsimorum pietate ac diuina uirtute & ſapientia hominum, cum quibus (id quod non ſemel mirati ſumus) cõgruere aliquo modo humanæ quoque uirtutis ac ſapientiæ caſus animaduerteremus. plerique enim omnes magni, & ingenio excellente præditi, & ſtudioſi ſapientiæ, & cultores uirtutis in terris, etiam ignari ueritatis rerum diuinarum, nõ admodum benignè accepti, uel malè potius multati, grauiterq; afflicti fuerunt, ab ijs potiſsimùm quibus ſtudia laboresque ſuos in primis ſeruire cuperent. Sed eorum qui ueritatis diuinæ cognitione & profeſsione præſtiterunt cæteris, ut patres illi primi, & prophetę, & poſtea miſſo in terras filio

 Dei,

Dei,& ita à ſuis tractato,ut ſcimus,Apoſtoli,& deinceps preſbyteri, & epiſcopi & doctores in cœtu religioſo, id eſt Eccleſia Chriſti, præcones ueritatis: horum igitur,quemadmodũ non eſt humana excellentia,ita odia hominum erga ipſos immania ac capitalia fuiſſe deprehenditur. Lipſiæ autẽ inchoaram commẽtarios narrationum de eloquentibus ueteribus Græciæ: conſtitueramq; me ea copioſe deſcribendo, ſi ocium contingeret, relaturum,quæ de unoquoque tradita paſſim extarent,& ego ſtudio meo explorare potuiſſem. Poſtea tamen his pauliſper ſepoſitis, complexus fuit animus meus hiſtorias piorum ac diuinorum hominum,quos Deus in hoc mundo uoluiſſet eſſe teſtes ueritatis, & quaſi præcones edictionum & tam minarum quàm promiſsionum,& interpretes uoluntatis ſuæ. Atque inſtitui tum de IESV CHRISTO primùm, qui eſt ſolus autor & dator ſalutis atque uitæ: deinde de Apoſtolis ab ipſo ſelectis, & ad præconiũ Euangelij ad genus humanum legatis uniuerſum, literis mandare collectas expoſitiones ueterum, cùm ἀξιοπίστους, tum neque abſurdas & utiles. recẽtia enim καὶ μυθώδη quaſi pertexenda denuò non putauimus. Eſt autem hiſtoriæ opus bipertitum. Nam aut res geſtæ ſuſcipiuntur ad deſcribendum,quæ continuata ſerie explicentur omnib. ijs rationibus, quæ in unaquaque re atque negotio conſiderari ſolent,& à Græcis περιστάσεις appellantur, cauſſæ, occaſiones, perſonæ, tempora,loca,exitus:& hanc uocant ἱστορίαν πραγματικήν. aut de his excerpitur ueluti ædificij ingentis pars quędã elaboranda, & perpolienda ſeparatim: cuius generis eæ ſunt quæ illuſtrium ac clarorum uirorum uitæ appellantur. Vt autem opus illud eſt ſpecioſum atque magnificum & admirabile in ſua perfectione: ſic alterum etiam hoc minus & contractius, plurimum momenti ipſum quoque habet in exemplorum applicatione, quib. accommodatis & uita moreſq; inſtruuntur, & animi ſententiæque conformantur. Et hoc ſæpe multo melius docet, & afficit iucundius contemplantes & attendentes, quàm alterum illud arduum & ſplendidum & amplum. Quòd uerò ad propoſitum illud noſtrum tempora & ætates exquiſitæ pertinerent, intendi in primis ad hoc animum, ut collatis ijs

ſcriptis

ſcriptis quæ iſto in genere potuiſſem conquirere, ſeriē quandam conſentaneam, atque uериſimilem maximè, deſignarē: neque negligentia omittens obſeruationes neceſſarias, neq; ſubtilitate nimia ueſtigans incomprehenſa. de quo curioſitatis ſtudio, fabula à Poetis Teumeſsiæ uulpis conficta uideri poſsit. Sed ſit hoc & ipſum inertiæ atque ſocordię meæ: &, qui uolet, in his & alijs quæ eruditione tractari ſolent, diligētiam infinitam impendi oportere cenſeat. Mihi certè ſatiſfecerunt eorū deſcriptiones, qui ante aliquot annos huc incumbentes, χρονικὰς πραγματείας compoſuerūt. Inſpexi & operas quorundam nondum diuulgatas: & illo itinere incidi in χρονολογίαν, cui pręſcriptū eſſet autoris nomē NICEPHORI epiſcopi Conſtantinopolis, exaratam illam quidē in paucis cartis, quæ eſſent concinnatæ cū opere Epiphanij, de quo eximius Theologus IOHANNES LANGVS typographis, ut exprimeretur illud, benignè accommodauit. Cum autē hoc, pro ueteri neceſsitudine noſtra tunc quoque perquàm familiariter uti concederetur, uiro non modò dignitate & doctrina, ſed humanitate etiā præſtante, ſumpſimus ab ipſo & hunc librum, & alios complures, quorum lectione recrearemur in illo noſtro ſatis negocioſo & minimè quieto ocio: & eam, quam dixi, χρονολογίαν, cum deſcribere etiam cœpiſſem latina oratione uertendo, deprehendi multa & autoris & librarij errata. Perrexi tamen, ut cœperam. Et poſtea multis de cauſsis faciendum eſſe duxi, ut hæc ipſa neq; correcta ſatis, neque explicata diſertè, exemplis tamen compluribus expreſſa, emittenda curarem. Primùm, ut breui in libello, & paruo coniuncta, & in promtu quiſque tempora haberet, de quibus maximè quæritur: & ut de ſingulis hac occaſione diligentius cogitaret. Deinde, quòd nondum expoſitam talem conſequentiam temporum & ſucceſsionum uſquam me meminiſſem uidere: ut quamuis deſcriptio alicubi allucinaretur, ordo tamen quantiuis mereretur fieri. Atq; nos tum nonnihil aſpergere quaſi notarum inſtitueramus. Dum autem tam elaboratio quàm editio differtur (nam neq; ea uis eſt & ſagacitas mentis noſtræ, ut facile comprehendere neceſſarias conſiderationes: neq; tā prompta facultas, & quem-

admodũ Græci uocant, ἀξιότης, ut celeriter explicare & abſoluere proferendo cogitata poſsimus: intermiſſa autẽ perquàm difficulter conteximus: nonnunquam etiam moratur incitationẽ ſtudij mei, editionis opportunitas.) Dum igitur hæc mora fit, relegendo interea prius perſcripta, ſtudui amplius cùm notando, tum enarrando quędam ueluti limari & expoliri. Hæc opera nonnihil occupatũ me habuit, non modò exquirendis pleniorib. narrationibus: ſed ijs etiam quæ reperiſſem diſponendis, & alicubi concinnandis. Quæ quantum temporis abſumant, & quid difficultatis habeant, non niſi experienti credibile eſt.. Itaque dilata diutius res fuit, & hoc noſtrum opuſculum ſerius prodijt in lucem. In quo poſitum ſtudium meum, & adhibitam diligentiam atque curã non expertem mediocris, ut ſpero, induſtriæ, tuæ, illuſtriſsime Princeps VVOLFGANGE, Clementię dicandã, ſubiectiſsima confidentia, putaui: Quem ſcirem cùm omnem liberalem cognitionem, tum noticiam hiſtoriarũ plurimi facere, & copia aliqua iſto in genere eſſe inſtructum. Declarãt hoc prudentiſs. conſilia, & prę clariſs. actiones Clem. tuę: quę neque caperentur, neque conſequerentur, niſi eſſet cogitatio ſententiaq́ue & iudicium, tali ſcientiæ prępacatione conformatum atque directum. Quid ego, quod pręcipuum eſt, de pia religionis affectione dicam? quid de reſpectu ſolicito ad Rempublicam? Non poſſunt iſta paucis expediri: & cum ſint ante oculos omnium, diſſeri nihil eſt neceſſe. Eos felices eſſe populos, non dubito pronunciare, qui talem te ſunt Rectorem & principem nacti. Neque libet his plura adiungere, ne in ſuſpicionẽ aſſentationis ueniam. Quod ſi fortè illuſtriſs. Clementię tuę uacauerit inſpicere hoc ſcriptum, in bona ſpe ſum, aliquid percepturam illam eſſe, quod non modò iucunditatem, ſed utilitatẽ quoq; afferat. Tota enim, ut illuſtriſs. Clementiã tuam non fugit, uita hominis ad diſcendum non eſt ſatis. Spero autem occaſionem etiam aucupaturam, cognoſcendi iſta, Clemẽtiam tuam. Nunquam enim expletur honeſtiſs. auiditas ſapientiæ & uirtutis, quæ eſt tuæ illuſtriſs. Clem. acerrima & Reipublicę ſalutaris. Verùm, de meo ſcripto quicquid fiat, perſuaſum eſt mihi, illuſtriſs. Clem. tuam, & iudi-

& iudicium rationesq́; meas hac in parte probaturam, & nō offenſum iri iſto facto quaſi dedicationis, & cōpellationem non eſſe repudiaturam. Tuam illuſtriſs. Clem. cum illuſtriſs. domo uniuerſa ſalua incolumiq́; & læta, quàm longiſs. temporis diuturna felicitate uti, in gubernationis florentis fortuna proſpera, opto: & de hoc ex animo imploro æternū Deum, quem uenerantes colimus, patrem Domini noſtri & liberatoris IESV CHRISTI, cum ſpiritu ſancto, unum, ſolū, prępotentem, miſericordem Deum: cui illuſtriſs. Clementiam tuam cum ſuis omnibus, ſupplice precatione commendo, ad protegendum, defendendum, conſeruandum perpetuò benignitate reſpectus & cuſtodiæ ſempiternæ.

CHRONICA, SECVNDVM GRAECORVM RATIONEM COMPVTATIS TEMPORIBVS, autore NICEPHORO archiepiſcopo Conſtantinopolitano.

ADAM ætatis ſuæ anno ducentiſsimo triceſimo genuit Seth: Et poſtea uixit annis ſeptingentis. SETH natus annos ducētos & quinq;, genuit Enos. ENOS natus annos centum nonaginta, genuit Cainan. CAINAN natus annos centum ſeptuaginta, genuit Malaleel. MALALEEL natus annos centum ſexgintaquinq;, genuit Iared. IARED natus annos cētum ſexginta duos, genuit Enoch. ENOCH natus annos centū ſexaginta quinq;, genuit Mathuſala. MATHVSALA natus annos centū octogintaſeptē, genuit Lamech. LAMECH natus annos centū octoginta octo, genuit Noe. NOE natus annos quingentos, genuit Sem, Cham, Iaphet: & uixit ad diluuium uſq; annis centū. Anno ſexingenteſimo ætatis Noe factum eſt diluuium. Anni uniuerſi ab Adam uſq; ad diluuium, ſecundum LXX, ſunt bis mille ducēti quadraginta duo. Quem numerum teſtimoniū ueritatis, & ueterū Eccleſiarū omniū traditiones cōprobant.

APPENDIX.

SEcundum ueritatem librorum Hebraicorū, cuius par eſt maximam eſſe autoritatē, ætates & tempora exponuntur hoc modo. ADAM factus à Deo, anno ætatis ſuæ C XXX. genuit Seth. uixit annis noningentis XXX. SETH natus annos C V. genuit Enos. uixit annis DCCCCXII. ENOS natus annos XC. genuit Cainan. uixit annis DCCCCV. CAINAN natus annos LXX. genuit Malaleel. uixit annis DCCCCX. MALALEEL natus annos LXV. genuit Iared. uixit ann. DCCCXCV. IARED natus annos CLXII. genuit Enoch. uixit annis DCCCCLXII. ENOCH natus annos LXV. genuit Mathuſala. in terris uerſatus fuit annis CCCLXV. MATHVSALA natus annos CLXXXVII. genuit Lamech. uixit annis DCCCCLXIX. huius mors incidit in annū diluuij. LAMECH natus annos CLXXXII. genuit Noe. uixit annis DCCLXXVII. NOE natus annos D. genuit Sem, Cham, Iaphet: & ſuperuixit annis C. cum diluuium aquarum uaſtauit orbem terrarum.

Summa Græcorum annorum,

2242.

Summa Hebraicorum annorum,

1656.

Interſunt anni

586.

Quo numero, numerus Græcus maior eſt Hebraico.

SEQVITVR CHRONOLOGIA NICEPHORIANA.

POſt diluuium anno ſecundo, SEM filius Noe natus annos C. genuit Arphaxad. ARPHAXAD natus annos CXXXV. genuit Cainan. CAINAN natus annos CXXX. genuit Sala. SALA natus annos CXXX. genuit Eber. EBER natus annos CXXXIIII. genuit Phalec. PHALEC natus annos CXXX. genuit Ragau. Diebus autẽ Phalec diſpertita fuit terra. Ideo & nomen Phalec Hebraica lingua partitionem ſignificat. Et tempore huius illa turris ſubſtructio cœpta, & ex uno antiquo ſermone uariæ uoces deductæ, & diuerſarum linguarum ſua cuiq; genti attributa fuit, ut ſacræ literæ docent. RAGAV natus annos CXXXII. genuit Seruch. SERVCH natus annos CXXX. genuit Nachor. NACHOR natus ann. LXXIX. genuit Thara. THARA natus an. LXX. genuit Abraam. Vniuerſi ab Adam uſque ad Abraham anni ſecundum LXX. ſunt ter mille trecenti uiginti quatuor. A' diluuio autẽ uſq; ad Abraã, annos mille octogintaduo.

APPENDIX.

Non uidetur ullius ſtudio huius ſecundæ ætatis Chronologia ſatis explicari poſſe. Primùm enim, neq; in libris Hebraicis Cainan memoratur: et Epiphanius de Melchizedecianis diſputans, ipſe quoq; omnia, ut Græci ſecundum LXX. reliqua perſequens, omittit illum Cainan, & CXXX. annos ipſius: quod & in annorum ſumma, quam expoſuit, manifeſtè apparet. Nam cum annis Abraam circiter nonaginta, quando ei occurriſſe uult Melchizedecum, colligit à centeſimo anno Sem, annos mille centum XXX. hoc modo. SEM natus annos 100. genuit Arphaxad. Hic natus annos 135. genuit Sala. SALA natus annos 130. genuit Eber. EBER natus annos 134. genuit Phalec. PHALEC natus annos 130. genuit Ragau. RAGAV natus annos 132. genuit Seruch. SERVCH natus annos 130. genuit Nachor. NACHOR natus annos 79. genuit Tharra. THARRA natus annos 70. genuit Abraã. ABRAAM circiter annum ætatis ſuæ 90. occurrit Melchizedec. Conſummantur igitur anni mille centum triginta. Quid igitur Nicephoriana deſcriptio ſecuta ſit, non uideo. nihil enim conſentaneum eſt in numeris expanſis, ut uulgo uocant, & collectis. Nam de expoſitione illa colliguntur ab Adamo uſq; ad Abraamum anni 3412: cum ipſe ponat 3324. A' diluuio autem uſq; ad Abraamum, anni 1170: cum ipſe ponat 1082. Ac annis quidem ab Adamo ad diluuium, id eſt primæ ætatis ſuprà relatis 2242, ſi addantur 1082, conficitur ſumma 3324. ſed quomodo collecti fuerint de genealogijs in hac ſecunda ætate iſti anni 1082, non apparet: neq; ego poſſum ulla ratione diuinare, niſi quòd ſuſpicor diuerſas rationes, & diuerſa etiam exempla librorum hunc ſecutum fuiſſe: id quod de ijs quæ adiunguntur, manifeſtum fit. Ideoq; ſæpe & requiro in ſcriptoribus diligentiam: & non poſſum non accuſare negligentiam, qua multarum rerum tractationes mirabiliter ſunt confuſæ. quibus acceſſit poſtea librariorũ incuria & barbaries, ut ſi quid nunc explicari uelimus, in quam plurimis diuinatione opus eſſe uideatur. Sed nos, ut inſtituimus, collationẽ numerorum perſequamur. In Nicephoriana conſummatione

ſunt

ſunt à diluuio uſq; ad Abraamum, anni 1082. Sed ex genealogijs expoſitis colliguntur anni 1170. Differentia eſt ann. 88. Epiphanius autem omiſſo Caina, colligit à diluuio ad Abraamum annos 1040. Hi igitur, ut illi excedunt conſummationem Nicephorianam annis 88, ita deficiunt annis 40. Hæc itaq; in medio relinquentes, Hebraicam expoſitionem referamus, & ſecundum illam huius ætatis mundi ſecundæ annos conſummemus. Poſt diluuium igitur anno ſecundo, SEM F. Noe natus annos C. genuit Arphaxad. uixit autem Noe poſt diluuium annis CCCL. & mortuus fuit natus annos DCCCCL. SEM uerò uixit annis DC. Arphaxad natus annos XXXV, genuit Sale. uixit annis CCCXXXVIII. SALE natus annos XXX, genuit Eber. uixit an. CCCCXXXIII. EBER natus annos XXXIIII, genuit Phalech. uixit annis CCCCLXIIII. PHALECH natus annos XXX, genuit Regu. uixit annis CCXXXIX. REGV natus annos XXXII, genuit Saruch. uixit annis CCXXXIX. SARVCH natus annos XXX, genuit Nachor. uixit annis CCXXX. NACHOR natus annos XXIX, genuit Thare. uixit annis CXLVIII. THARE natus annos LXX, genuit Abraam. uixit annis CCV.

Summa annorum Nicephori,

1082.

Summa annorum Epiphanij,

1040.

Interſunt anni 42.

Summa annorum Hebraicorum,

292.

His, in Nicephorianis plures ſunt anni 790. In Epiphaniais, plures 748.

Expoſita autem & à Nicephoro eſt ſeparatim annorum per diuerſas mundi ætates conſummatio, quæ ad finem adiecta legitur. & apud Suidam, in nomine Ἀδάμ, alia refertur: ut non mirũ ſit, Auguſtinum quoq; in hac ſecunda ætate ita perplexè hæſitauiſſe, ut quò ſe uerteret non inueniret: præſertim cum Cainan in Græcis codicibus adderet annos CXXX, in Hebraicis prorſus omitteretur. Cuius tamen nomen & in Luca Euangelica hiſtoria, ſicut eſt edita, commemoratur.

NICEPHORIANA.

ABraam agens annum LXXV, dignatus fuit oraculo diuino, & facta ipſi promiſsione. À qua uſq; ad iter ex Ægypto, cuius dux fuit Moyſes, ſunt anni CCCCXXX. Quemadmodum & Apoſtolus teſtatur, inquiens: Teſtamentum Dei lex poſt annos quadringentos triginta lata, non facit irritum, ut aboleat promiſsionem. Et ipſe in Exodo concordat Moyſes, cum ait: Inquilinatus autem filiorum Iſrael, quo Inquilini fuerunt in terra Ægypti & Chanaan, ipſiq; & patres eorum, anni ſunt CCCCXXX. Hi per partes ita diſtinguuntur. Abraam natus annos C. genuit Iſaac. Iſaac natus annos LX. genuit Iacob. Iacob natus annos LXXXVII. genuit Leui. Leui natus annos XLV. genuit Caath. Caath natus annos LXIII. genuit Amram. Amrã natus annos LXX. genuit Moyſen. Moyſes natus annos LXXX.

eduxit populum ex Ægypto. Colliguntur uniuerſi à primo anno Abraam, ad iter ex Ægypto, anni quingenti quinque. A' diluuio uerò, anni mille quingenti octoginta ſeptem. Ab Adam uerò, ſecundum ſeptuaginta, ter mille octingenti uiginti nouem: ſecundum alios, ter mille ſeſcenti nonaginta octo.

APPENDIX.

De duplice collectione annorum hoc tenendum, quod ſuprà monuimus, diuerſos autores atque codices ſecutos fuiſſe iſtos Chronologos, & reperta abſque cura & exquiſitione notaſſe. apparebit autem utraque ratio ad huius Chronologiæ calcem. In libris Hebraicis, Geneſi XII. memoratur, Verbum Domini factum ad Abraamum natum annos LXXV. Uixit autem Abraamus ann. CLXXV. Sexaginta autem annos natus Iſaac, genuit Iacobum, ante mortem patris ſui Abraami annis XV: ut legitur Geneſeos XXV. uixit annis CLXXX. Iacob uixit annis CXLVII. mortuus in Aegypto, quò demigrauerat ex Chananæa. Leui uixit annis CXXXVII. Caath uixit annis CXXXIII. Amram uixit annis CXXXVII. Moyſes uixit annis CXX. Tempora autem & ætates procreationum collegiſſe uidetur Nicephorus de Africano. Quæritur & de annis 430. quibus in Aegypto perhibentur abfuiſſe Iſraelitæ, cum illic hunc numerum non confecerint. Græci ita explicuerunt, ut aſſumerent tempus illud quoque, quo Abraamus & poſteri in Chananæa peregrinati fuerunt. Et dicit ita Deus Abraamo: Scito tuum genus futurum in alieno ſolo annis 400. In Exodo autem, planè annis 430. in Aegypto exulaſſe Iſraelitas legitur. ubi tamen in Græcis libris additur, Et terra Chanaan. Sed Græci hunc numerum ita explicant. ponunt enim, fuiſſe in Aegypto Iſraelitas annis tantummodo 215. hoc modo: Abraam uenit in Chananæam natus annos 75. reliqui igitur ſunt ad Iſaac uſque, 25. anni Iſaac ad Iacob, 60. anni Iacob, cum uenit in Aegyptum, 130. conſummantur 215, quibus Abraamitæ peregrinati fuere in Chananæa. In Aegypto naſcitur Caath demigrationis anno ſecundo: & hic anno ætatis ſuæ 63. gignit Amram. Qui natus annos 70. genuit Moyſen. Moyſes octogenarius eduxit Iſraelitas ex Aegypto. conſummantur ſimiliter anni 215.

Hebraicus Philo ponit annos ab Abraam ad Moyſen,

425.

Et Moyſis ad eductionem anni ſunt 80. Conſummantur

anni 505.

In Epiſtola ad Galatas legitur, poſt promiſſionē factā Abraamo, legem datā anno 430. Græci ſecundū Chryſoſtomum, ut uidetur, hunc numerū ita explicuerunt: Ab anno 75. Abraami, ad 100 uſque, ſunt anni 25. Iſaaci anni 60, Iacobi anni 95. Ioſephi anni 110. In Aegypto fuerunt annis 144. Conſummantur anni 434. Qui numerus cum Apoſtoli numero congruit. nam 4. anni rationem iſtam turbare non debent.

Facere non potui, quin referrem hoc loco Epiphanij explicationem illorum annorum 430: falſam quidem in Moſis mentione manifeſto, & ideo labantem in reliquis quoque: etſi colligitur ille annorum numerus de temporibus diſtributis. Hoc ideo feci, cum

feci,cum exiſtimem ſuperiorem noſtram expoſitionem eſſe & commodam, nec ineruditam, ut cùm diſcrepantiam Græcarum narrationum perſpiceremus: tum ſciremus, cõſideranda diligenter ea quæ apud ueteres quoque autores leguntur: ne ad faciendam fidem hoc ſatis eſſe crederemus, quod memini indoctos quoſdam aliquid affirmantes afferre,me quoq; audiente,cum illud neſcio quid, futile quidem & nugatorium ita ſe habere aſſeuerarent, quia in quodã libro legiſſent. Epiphanius igitur in Ancyroto hæc refert,ut nos fideliter ſumus interpretati. Ab anno LXXV. Abrahami,ad Iſaac natum,anni ſunt XXV. Iſaac natus annos LX. genuit Iacob. Iacob natus annos LXXXIX. genuit Leui.Leui natus annos XXXIIII.genuit Caath. Anno Leui XLVII. deſcendit Iacob in Aegyptum. Hi ſiunt anni CCXI. Sequuntur anni IIII. poſt introitum in Aegyptũ.Ita complentur ab anno LXXV. Abrahæ, anni CCXV.Hinc numerantur alij anni CCXV, inquilinatus Iſraelis. Caath poſt introitum in Aegyptum natus annos LXV,genuit patrem Moſis Amram. Amram natus annos LXX: genuit Moyſen. Moyſes anno ætatis XXX. calcat mare rubrũ,egrediens cum Iſraelitis ex Aegypto. Et ſiunt à magno Abraamo anni CCLXXX: ab introitu in Aegyptum CLXV. Reliquos annos L. cõfecerunt poſt tranſitum maris,uſq; ad ingreſſionem Palæſtinæ. Ergo ſiunt ab anno ſeptuageſimoquinto promiſſionis Abraam magni ad Moyſen uſq;,& profectionem Iſraelitarum in Palæſtinam,anni CCCCXXX.& ab introitu Aegypti,uſq; ad introitum in Palæſtinam,anni CCXV. Hæc Epiphanius. De quibus quia iam ſatis eſt dictum; nunc reliquam temporum ſeriem,ſecundum Nicephori deſcriptionem,& noſtram adiunctam illi Commentationem proſequamur.

NICEPHORI CHRONOLOGIA.

POſt hæc præfuit populo Moyſes in deſerto annis XL. Ieſus Naue annis XXVII. Seniores annis XXXIII. Alienigenæ annis VIII. Gothoniel ex tribu Iuda annis XL. Alienigenæ annis XVIII. Poſt quos Aod ex tribu Ephraim,annis LXXX. Alienigenę annis XX. Debora & Barac annis XL. Madianæi annis VII. Gedeon annis XL. Abimelech annis III. Thola an. XXIII. Iaer annis XXII. Ammonitę annis XVIII. Iephthe annis VI. Eſebon annis VII. Ailon annis X. Abdon annis VIII. Alienigenæ annis XL. Sampſon annis XX. Eli ſacerdos annis XL. Samuel & Saul annis XL. Dauid regnauit annis XL. Vniuerſi, ab exitu Iſraelitarum ex Ægypto ad Dauid uſq;, & unà cum huius regni tempore, ſunt anni ſexcenti triginta.

APPENDIX.

Alij fecerunt tertiam ætatem illud ſpacium,quod à primo anno Abraami deducitur uſq; ad regem Dauidẽ. Sed Nicephorus ita diſtinxit, ut nos expoſuimus. Erit igitur hæc quarta quædam ætas Moſis, Iudicũ, & initij regni Iſraelitici. De qua non eſſe controuerſia aiunt inter Hebræos & Græcos.Sed deficit in utriſq; libris exquiſitio temporum & annorum. Græci etiam mirabiliter hac in parte diſcordant. Nam alibi, ut hoc loco,ab egreſſione Iſraelitarum ex Aegypto uſq; ad Salo-

*monem,colligunt annos 630.alibi,ut poſtea patebit,768.Quod eo magis mirum alicui uideatur,quia legitur tertio Regũ libro,cap.*VI.*in utriſq; tam Hebraicis quàm Græcis libris, quartum annum regni Salomonis incidere in quadringenteſimum annum egreſſionis ex Aegypto. Et adhunc numerum addunt Græci annos* XL: *Hebræi annos* LXXX. *Et tamen multo plures de diſtributione temporũ annos Græci colligunt,quàm Hebræi. Hoc ergo puto eſſe inexplicabile, deficientib. expoſitionibus ſacrorum librorum. Ioſephi autem hiſtoria & ipſa in diſtinguendis & indicandis temporibus indiſertior eſt.apud quẽ anni Ieſu leguntur* XXV: *quem ait cum Moyſe uixiſſe* XL.*annis. Ergo cum explorator fuit miſſus,egit tum ætatis annum* XLV.*uixit enim annis* CX. *Et idem libro ſecundo contra Appionem ſcribit,Salomonem ædificaſſe templum poſt egreſſionem ex Aegypto,annis* DCXII. *Verùm in his ſe torquere fortaſſis neq; neceſſarium,& ocij immodici fuerit. Exponamus igitur reliqua,notantes numeros ſuprà relatos.*

Ad exitum ex Aegypto ponunt Græcorum aliqui annos

3829.

Aliqui ponunt annos

3698.

Erunt igitur ad regẽ Salomonẽ, additis 630. ann. uel ann. 4459. uel ann. 4328. Differentia ann. 131. Hebræi autem ponunt annos, ut retulimus ſecundum Philonem, 425.inter Abraamum & Moſen. Anni Moyſis educentis Iſraelitas ſunt 80. Anni ab exitu ex Aegypto Iſraelitarum, ad Salomonem,ſecundum narrationem capitis VI.*lib.*III.*Regum,476 conſummantur. A diluuio ad Abraamũ, exquiſitiſſima,ut uidetur, ratione, ann. 292. Ab ortu Adami ad diluuium uſque, ann. 1656. Conſummantur omnes anni 2929. Differentia inter annos Græcorum maiores, ann. 1530: inter minores,ann. 1399. In hiſtoria Lucæ apoſtolica cap.* XIII *dicitur, Iudices præfuiſſe populo Iſraelitico annis circiter 450. regnaſſeq; Saulem annis 40. Hi ſunt anni 490. Addantur anni Dauidis 40. conſummabuntur iam anni 530. His accedant etiam anni 40. peregrinationis in deſerto, & annus 4.uertens Salomonis: conficiuntur ita anni propemodum 580. Sed eſſe debebant 480, quemadmodum planè ſcribitur* III. *Reg. lib.cap.*VI. *Ergo ille in oratione Pauli locus deprauatus eſt. Facilis autem fuit lapſus,ut pro* τριακοσίοις,*faceret aliquis* τετρακοσίοις. *Quinetiã Græca Latinaq; exemplaria hoc loco inter ſe diſcrepãt. diſcrepant & Græca ac Hebraica,indicato libro hiſtoriæ Regum.*

SEQVVNTVR NICEPHORIANA.

SAlomon regnauit annis XL. Roboam ann. XVII. Abia annis III. Aſa annis XLI. Ioſaphath annis XXV. His temporibus floruerunt prophetæ Micheas,Elias, Heliſęus. Rex Iorã annis VIII. Ochozias anno I. Gotholia, mater Ochoziæ, annis VII. Ioas annis XL. Amaſias annis XXIX. Azarias & Ozias,annis LII. His temporibus floruerunt prophetæ, Oſee, Amos, Eſaias, Ionas, Iocl. Rex Ioathan annis XVI. Achaz annis XVI. Ezechias annis XXIX. Manaſſes annis

ſes annos LV. Huius regni anno XII. cõditur Byzantium. Amos annis XII. Ioſias annis XXXI. & interregnum annis XXX, ſecundũ LXX: ſecundum Hebræos L. His temporibus floruerũt prophetæ, Hieremias, Sophonias & Baruch. Rex Iachaz menſes III. Eliacim annos XII. Iechonias menſ. III. Sedecias ann. XI. Hunc oculis effoſſis Nabuchodonozor captiuum abduxit, & templum inflammatur poſt menſes V. à Nabuzarda, cum ſtetiſſet ex quo conditum fuerat, annis quadringentis uigintiquatuor. Vniuerſi ab initio regni Salomonis uſq; ad captiuitatẽ, ſunt anni quadringẽti quadraginta quinq;.

APPENDIX.

Regnum Iudaicum quaſi effloruit adminiſtrante illud Salomone Dauidis F. Ideoq; hanc ueluti quintam ætatem ab hoc inchoauit Nicephorus, quæ deducitur uſq; ad templi deſtructionem, & captiuitatẽ Iudaici populi. De qua Græca, & ipſa per ſe minus exquiſita, & librariorum inſcitia deprauata, quàm rectiſſimè fieri potuit, nos interpretati fuimus. Eſt autẽ Hebraica ratio & perſpicua, & admodum certa hoc loco. Nam anni ſecundum illam Salomonis ſunt 40. Reliqui uſq; ad inflammationem templi, conſummantur 394. quibus ſi annus Athaliæ ſeu Gotholiæ addatur, ut fiat ſeptennium: itemq; Amos XII, ſicut Nicephorus retulit: exit idem numerus, quem de Nicephoro paulo antè expoſuimus. Sed in Ioſepho leguntur anni regni Salomonis duplicati, nempe LXXX. & ætas annorum XCIIII. Qui idem Dauidem regnaſſe ait in Chebrone annis VII, menſ. VI. & Hieroſolymis annis XXXIII. Uixiſſe annis LXXX. De hoc igitur ipſe uiderit. Quod autem Interregnum uertimus, ἀναρχία legebatur in Græco ſcripto. hanc aliam nullam reperio cogitãs, quàm eius tẽporis quo abfuit Manaſſes captiuus in Syria. quod tamẽ quantum fuerit, neq; in Græcorum, neq; Hebræorum, quos habemus, libris Sacræ hiſtoriæ exprimitur. Neq; Ioſephus aliud de hoc reliquit ſcriptum, quàm dolo captum Manaſſen ab Aſſyrio fuiſſe reſtitutum in regnum, placato precibus Deo. Fuerunt & poſtea regum Iudæorum factæ mutationes ab Aegyptijs & Aſſyrijs, quæ omnia ad interregni ſeu ἀναρχίας tempus referri poſſunt. Numeri autem in Nicephorianis relati, colliguntur illi quidem de expoſitis annis, ſed legebantur in ſcripto libro numeri diſſentanei. Nam alij minores etiam expoſuerunt: Ioſephus autem maiores, ut facere eum neceſſe fuit, qui regno Salomonis attribueret annos 80. Is igitur ille alibi aliter, ſed ita libro X: Inflammatũ fuit templũ poſt annos CCCCLXX, menſ. VI. dies X. ex quo conditum fuerat. Tum autem annus erat poſt egreſſionem ex Aegypto milleſimus ſexageſimusſecundus, menſis ſextus, dies decimus. Sed à diluuio uſq; ad uaſtationem templi, tempus totũ annorum M.D.CCCCL. menſium VI. di. X. Ab ortu autem Adami uſq; ad hanc fortunam templi, anni ſunt ter mille quingenti tredecim, menſ. VI. di. X. Idem Ioſephus ſcripſit, omnium regum populi Iudaici eſſe annos 514. menſ. 6, dies 10. Saulem autem regnaſſe annis 20. Sed libro ſexto ſcribit, Saulem regnaſſe cum Samuele annis 18. ſolum annis 22. Sed ſumantur anni 20. fiunt igitur anni 534. De quibus ſi anni Dauidis ſubtrahantur, remanent anni 494. Idem penè numerus ponitur lib. XI. ubi ait, ſub regibus à

Saule uſq; ad Sedeciam, populum Iſraeliticum fuiſſe annis 532. menſ. 6. di. 10. qui nimis magnus eſt. Iam, ut in ſequentibus apparebit, aliqui hunc numerum fecerunt annorum 436. ut cùm in tanta uarietate, tum ob eximiam autoritatem, nihil tutius neq; rectius ſit quàm ſequi expoſitionem Sacræ hiſtoriæ de libris Hebraicis: ſecundum quos ſunt ab initio regni Salomonis uſq; ad Sedeciæ captiuitatem anni quadringenti triginta tres, menſes ſex. Præterea quod in Nicephoro legitur, Azariæ & Oſiæ annos eſſe 52: ſciendum, unius eſſe hoc regis tempus, cuius in libro Regum IIII. cap. XV. nomen legitur Azariæ: in Paralipomenis autem, Oziæ. Quòd autem tribuuntur anni XII. Amos, idq; affirmarūt aliqui Septuaginta ſic expoſuiſſe, & Philo uidetur ſecutus: ego neq; in Græcis libris reperio, & Hebraicorum manifeſta omnibus eſt expoſitio diſcrepans annis 10.

Anni Græcorum à principio regni Salomonis, ſecundum expoſitionem Nicephori, uſq; ad captiuitatem:
anni 445.
Secundum alios:
anni 436.
Secundum Ioſephum: anni 494. menſ. 6. dies 10.
Hebraica autem ratio continet annos 433. menſ. 6.

NICEPHORIANA NARRATIO.

POſt captiuitatem autem Iudæorum abductorum Babylona, & ſolitudinem loci, anni ſequuntur LXX. Hi complentur anno ſecundo Darij regis Perſarum, qui populum illum captiuitate liberauit, & inſtaurauit templum Hieroſolymitanum.

APPENDIX.

Hi ſunt anni, & hoc tempus eſt ἐρημώσεως primæ: hanc ferè appellarunt deſolationem. fuitq; hæc acerbitas ingens iræ diuinæ, non paſſa placari ſe ne optimi quidem regis Ioſiæ pietate, atq; religione eximia: cuius extat hoc elogium, Non fuiſſe inter priores reges quenquam, qui ſimiliter ut ipſe conuerteretur ad Deum ex toto corde ſuo, ex tota anima ſua, ex omnibus uiribus ſuis, neq; poſteriorum ullum cum hoc conferendum eſſe. Itaq; hoc occiſo, cum relaberentur tam reges quàm populus ad impios cultus, ſecuta fuit expugnatio urbis, & abductio duarum tribuum, poſt aliarum tribuum Iſraeliticarum captiuitatem ann. ut ſcripſit Ioſephus lib. x. centum triginta. Quod tam inſignis caſus tempus, ueluti ſextam quandam ætatem, ſeparatim expoſuit Nicephorus hic noſter. De quo nulla eſt ambiguitas, niſi quòd ipſe hos ſeptuaginta annos in tempora regni Perſici implicuit, ut poſtea dicemus. Conſummantur autem, ſecundum Nicephorum, à primo anno Salomonis ad reditum Iſraelitarum de Babbylone, anni 515. Secundum Hebræos, anni 503. Differentia anni 12.

NICEPHORVS.

PRimus rex Perſarum fuit Cyrus,annis XXX.Cambyſes an. VIII. Darius filius Hyſtaſpis an. XXXVI. Huius anno II.ut modò dictũ eſt,renouatũ fuit templum Hieroſolymitanũ.Reſtant igitur anni Darij XXXIIII. Xerxes Darij F.an.XXVIII. Artabanes menſ.VII. Artaxerxes Longimanus an.XLI.Huius tẽpore aiũt accidiſſe ea quę de Eſther & Mardochæo leguntur. Xerxes alter menſ.II. Sogdoa nus menſ.VII.Darius alius an.XIX. Artaxerxes Memor Darij & Paryſatidos F. an. XL. Artaxerxes qui & Ochus,an.XXII. Arſes Ochi ann.IIII. Darius Arſamis ann.VI. Hoc ſublato, & delcto Imperio Perſarum, Alexander Macedo regnauit annis VI:potitus rerum ante Darij interitum ann. XII. Mortuus fuit Babylone annis natus XXXV.uel,ut alij tradiderũt,XXXVI. Rex igitur fuit an.XVII. Subegit barbaricas nationes numero XXII. & Græciæ ciuitates XIII. Mortuus,ut diximus,in Perſide,florente Imperio. Vniuerſi ab Adam uſque ad mortem Alexandri, anni quinquies mille centum ſeptuaginta ſeptem.

APPENDIX.

Hæc eſt ætas illa numero, ſi inſtitutã rationem ſequamur, ſeptima: in quam incidit computatio hebdomadum ſeptem, de quibus prædixerat Daniel. Et implicantur ſeptuaginta anni captiuitatis populi Iudaici, & ruinarum atq; uaſtitatis templi Hieroſolymitani: quos hic autor definit anno ſecundo Darij regis Perſarũ. Omnino autem conſtat ex hiſtoria Eſdræ & παραλειπομένων: poſt regem Babylonis interfectum, quem Balthazarem Daniel, Ioſephus Naboandelum Babylonico nomine, Herodotus Labynetum uocat, cum occupaſſent Medi & Perſæ regnum Babylonicum, edicto Cyri regis factam poteſtatem Iudæis reuertendi in patriam, & reſtituendi urbem atq; templũ Hieroſolymitanũ, poſt annos LXX captiuitatis, ſecundum uaticinium prophetæ Hieremiæ. Hunc numerum apud Ioſephum ſucceſſiones regum Babyloniorum libro decimo, cap.XII. non modò complent, ſed longè etiam excedunt. Nam regnaſſe Nabuchodonoſorum ponit an. 43. in cuius regni annum 20. uaſtationẽ Hieroſolymitanã confert Hieremias. reſtabũt anni 23. Abilamarodacho tribuit ann. 18. huius filio Nigliſſaro ann. 40. Nepoti Laboſordacho menſ. 9. Balthazaro ann. 17. Conſummantur anni 99. Hoc eo eſt magis mirũ, quòd Daniel planè dicit fuiſſe filium Nabuchodonoſoris Balthazarẽ: quem pleriq; fratrem fuiſſe perhibent Euilmerodachi, qui Nabuchodonoſori ſucceſſit. Quomodo igitur confundantur hæc tempora, uidemus. Oportet autem impendiſſe finem annorum LXX, prædictorum à Hieremia, regnante Dario. Hic rurſum tenebræ oboriuntur. Nam Darij huius in Græcis hiſtorijs mentio non fit. Aliqui Aſtyagem fecerunt, ut in hiſtoria Beli apparet. Ioſephus filium fuiſſe Aſtyagis ait, alio apud Græcos nomine. Fuit autem Aſtyages, auus maternus Cyri: & huius filius Cyaxares, auunculus ipſius: qui ſanè eſſe poteſt Darius, quem Daniel natum annos ſexaginta duos, potitum eſſe ait Imperio Perſarum, interfecto Balthazare. Et ſatis congruit cum his

Xenophon-

Xenophontea hiſtoria. Sed,ut indicaui,magna eſt confuſio horum temporum. A Nicephoro etiam Cambyſis Cyri F.regno tribuuntur anni octo,ab Herodoto ſeptem, à Ioſepho ſex. Hoc eò fit, quòd Ioſephus addit annum Magorum, quibus attribuerunt alij biennium: quod tempus Nicephorus omittit. Cyro autem patri Cambyſis à Nicephoro XXX, ab Herodoto XXIX.Cicero autem,de ſomnio illius triginta annorum imperium prædictum ei fuiſſe ſcribit. Iam Xerxis anni apud Nicephorum ſunt XXVIII: apud alios ferè XXI. Alia autẽ ab alijs deinceps aliter tradita perſequi,eſſet longum: neq; ego ſcio, quem exiſtimem ſecutum eſſe in hac Chronologia Nicephorum. Non enim Euſebium certè, niſi Africanũ ſuſpicemur. Qui tamen, ut indicat Beda, à captiuitate ad Cyrum numerauit annos 70. quod non facit Nicephorus & Euſebius, planè errantes in nomine Darij, & confundentes Medum cum Perſa. Sed de his ſatis. Hæc ætas habet ſecundum Nicephorum annos 241, menſes 4.id eſt,circiter annos 242. unde ſi demantur 40,cum ſecundo anno Darij Perſæ,hic finiat 70.annus captiuitatis,remanent 202. Quibus ſi anni ſuperiorum ætatum uſq; ad ſecundum annũ Darij Perſæ adijciantur,colliguntur anni 5176. Debebant autem eſſe, ut retulit ipſe, 5177: ita ſequẽtes quoq; numeri congruerent. Sed & hoc in medio relinquamus.

NICEPHORI.

POſt mortem Alexandri,primus rex Alexandriæ in Aegypto fuit Ptolemæus Lagi F. annis XL. Ptolemæus Philadelphus ann. XXXVIII. Hoc regnante,ſacri libri Hebræorum in linguam Græcam traducti fuerunt, & repoſiti in bibliotheca Alexandrina,pontificatu Eleazaris. Ptolemæus Euergeta ann. XXV.Ptolemæus Philopator an.XVII.Ptolemæus Epiphanes an. XXVI. Huius temporib. ea geſta ſunt quæ de Maccabæis leguntur. Ptolemæus Philometor ann. XXXV. Ptolemæus minor ann. XXIX. Ptolemæus Phyſcon ann.XVII.menſ.VI. Ptolemæus Alexander ann.X. Ptolemæus frater huius ann.VIII. Ptolemæus cognomento Dionyſus ann. XXX. Cleopatra Ptolemæi F.ann.XXII. Huius anno tertio, primus occupauit regnum Romæ C. Iulius Cæſar. à quo omnes deinceps reges Romani,Cæſares appellati fuerunt.Hic regnauit ann.IIII.menſ.VII. Poſt Iulium regnauit Romæ Cæſar Auguſtus Octauius, ann.LVI. menſ.VI. Ab hoc deinceps Antiocheni tempora numerant. Hic anno Imperij ſui XV. ſublata Cleopatra,euertit regnum Ptolemæorum, qui illud in Aegypto tenuerant annis CCXCVII.menſ.VI.

APPENDIX.

Aetas octaua eorum qui uocãtur διαδόχοι,id eſt ſucceſſores Alexandri Magni:quo mortuo, quaſi direptum fuit à Ducibus illius Imperium orbis terrarum. Hæc autem ſeries regum Aegypti ab Epiphanio ita deducitur. Ptolemæus Lagi F. ann.40.Ptolemæus Philadelphus ann.38. Ptolemæus Euergetes ann.24. Ptolemæus Philopator ann.21.Ptol.Epiphanes ann. 22.Ptol.Philologus, qui & Euergetes,ann. 29.Ptol. Soter ann.15. Ptol. Alexas ann.12. Ptol. frater Alexandri, expulſus

expulſus à matre, ann.8. Ptol.Dionyſius ann.31. Cleopatra Ptol. F. ann. 32. Hæc coniuncta fuit cum Antonio. Uniuerſi anni à primo Ptolemæo Lagi F. uſq; ad Cleopatram, anni ſunt 306. Ab anno ſeptimo Philadelphi, quo anno ſeptuaginta duo interpretati legem fuerunt, uſq; ad Cleopatrã, anni 249. Et hic fuit finis Lagidarum, qui genus ducebant à Ptolemæo Lagi F. à quo & equeſtris ordo inſtitutus fuit Alexandriæ, id eſt ἱππικὸν τάγμα, appellatum λαγεῖον. Hactenus Epiphanius. Qui cùm in aliorũ regum temporib. uariat, tum tribuit Cleopatræ annos 32. Itaq; 10. annis huius numerus Nicephorianũ excedit. Quòd autem dicit, poſt ſeptimum annum Philadelphi ad finem Imperij Lagidarum eſſe annos 249. manifeſtum eſt librarij erratum. Aut enim iſte erit numerus poſt 17. annum Philadelphi reliquus: aut poſt 7. illius, hic 259. poſito μ pro ν. Quæ in Græcis numeris per mutatis literis, numerorum notis, deprauatio frequentiſſ. deprehenditur. Ut autem paululum relabamur ad mentionem Hebdomadum Danielis, quo quidem rem quiſq; melius explicuerit, ita maior illi gratia debebitur. Incipiendũ autem omnino hoc tempus uidetur ab initio regni Cyri, poſt quod cũ iam Hebraicæ rationis ueritate in annorum numero deficiamur, nihil retulerit ſi præciſe tempus indicatum ad CHRISTUM ducem, in Chronologijs non reperiatur. Nam & Græcos & Latinos ad annos decurtandos exemptione, aut producendos intercalatione dierum ac menſium perfaciles fuiſſe ſcimus: ut ſiue ſecundum à nobis expoſitam rationem aliquot tempus illud annis abundare, ſeu ſecundum aliorum computationem deficere uideatur, nihil officere debeat ueritati demonſtratæ à Danielo, præſertim cum tam propè ab omnium Chronicis expoſitionibus illud abeſſe reperiatur. Placet autem, tempora poſt Alexandrum paulo etiam exquirere diligentius, de regibus Syriacis. In quo Ioſephũ ſecutus fui, qui omnium qui in noſtras manus peruenerunt diligentiſſ. horum ſucceſſiones indicauit: cum tamen ſæpe ſcribat, ſe alibi expoſuiſſe hæc copioſius: ut horum temporum hanc etiam hiſtoriam ſe compoſuiſſe ſignificare uideatur. Orditur autem regnum Græcorum à Seleuco, quem dicit Babylonem tenuiſſe poſt mortem Alexandri: cum Ptolemæus Lagides, quemadmodum uocatur à Theocrito, Aegyptum occupaſſet, Antigonus Aſiam, Lyſimachus Helleſpontum, Caſſander Macedoniam. De quibus regna quatuor conſtituta fuerunt, Macedonicum, Aſiaticum, Aegyptiacum, & Syriacum. Euſebius Seleucij regni initium confert in XII. annum Lagidæ. Sed Ioſephum ſequentes, & exordia regnorũ adæquantes, reperiemus minus temporis ab Alexãdro ad CHRISTUM, quàm ſecundum aliorum expoſitionem. Idq; Hebdomadum Danielis rationi magis etiam congruet. Tribuit igitur Seleuco Ioſephus annos XXXII. Et huius filio Antiocho cognomento σωτῆρι, cui pater condita Seleucia & regno Babylonico & nouerca Stratonica ceſſerat, ann. XIX. Antiocho qui appellatus fuit θεὸς, XV. Seleuco καλλινίκῳ XX. Seleuco κεραυνῷ III. Antiocho Μεγάλῳ XXXVI. Seleuco σωτῆρι, & eidem φιλοπάτορι, XII. Antiocho ἐπιφανεῖ, fratri Seleuci, totidem. Etſi hæc diſtributio apud Ioſephum non eſt explanata, ſed collectio eſt conſentanea annorum CXLIX, Olympiadis CLIIII, cum mortuus fuit ἐπιφανὴς, quem ob inſolentiam ἐπιμανῆ mutata una litera nominauerunt. Sequitur Antiochus co-

gnomento

gnomento εὐπάτωρ, filius Epiphanis. qui cum regnum tenuiſſet annis duobus, interfectus fuit à fratre patruele Demetrio Seleuci F. Demetrius Seleuci F. cum præfuiſſet regno annis x i, cadit in prælio. Succeſſit huic Alexander cognomento βάλλης, Epiphanis F. regnauitq́ꝫ, aut ait Ioſephus, ann. v. Huic collocauit nuptum filiam Cleopatram Ptolemæus φιλομήτωρ. Iſtud tempus dicit incidere in mortem Philometoris, ad quod colligit annos c l x v. Hunc uicit ope Philometoris Demetrius, Demetrij F. cognomento Nicanor: in quo prælio & Alexander interfectus fuit, & Ptolemæus grauiter afflictus paulo pòſt interijt. Duxerat autẽ Demetrius Cleopatram, abſtractam ab Alexandro à patre: regnauitq́ꝫ ann. iii. Antiochus Alexandri F. cognomento θεὸς, educatus in Arabia apud regem Malichũ, uicit Demetriũ: qui fugit in Ciliciã. poſteaq́ꝫ capitur ab Arſace rege Parthorũ. Impulſus autem ad repetendũ regnum paternũ fuit Antiochus à Diodoto, qui & Tryphon, patria Apamenſi: & ab eodem poſtea interfectus, cum regnaſſet annis i i i i. Poſt hunc fauore militum regno præfectus Tryphon, triennio illud retinuit. Hunc ſuſtulit Antiochus cognomento σωτὴρ, frater Demetrij, accerſitus Seleuciam à Cleopatra. Idem & εὐσεβὴς appellatus fuit à Iudæis: quòd cum obſideret Hieroſolyma, non modo incidentibus ferijs τῶν σκηνοπηγίων oppugnationem diſtuliſſet, ſed hoſtias etiam ad immolandum ad portam miſiſſet, interq́ꝫ illas ταύρους χρυσοκέρωτας: itemq́ꝫ aromata in uaſis aureis & argenteis. huius annos Ioſephus non ponit, ſed alij x i i i. fecerunt. Ioſephus quidem quarto eum regni anno in Iudæam exercitũ duxiſſe ait, Olympiade c l x i i. & nõ diu pòſt narrat in bello Parthico occidiſſe. Poſt hunc iterum regno potitus fuit Demetrius, dimiſſus ab Arſace. Huic attribuit reuerſo ann. i i i i. Euſebius. Demetrio immittitur à Ptolemæo Phyſcone Alexander quiſpiam ex genere Seleuci, cognomento Sabinæus: qui deuicto Demetrio regnum occupauit. Hic ab alijs non nominatur: credo quòd celeriter rex factus fuerit, & eſſe deſierit. Demetrius prælio inferior, confugit ad uxorem Cleopatram: ſed non recipitur. ita Tyri captus, necatur. Interea huius filius Antiochus, ab aquilo naſo appellatus γρῦπος, exercitũ comparat: cum quo congreſſus Alexander, uictus cadit in prælio. Grypo regnũ Syriæ tenenti, hoſtis exoritur Antiochus cognomento Cyzicenus, ab urbe in qua fuerat educatus. Hic filius erat Antiochi Soteris & Cleopatræ, quæ duobus fratribus nupſerat: ut eſſet ὁμομήτριος ἀδελφὸς Grypi. Hi duo inter ſe multis annis de regno dimicarunt: ſed regem fuiſſe ſcribit Ioſephus Grypum, & uixiſſe annis x l v. regnauiſſe x x i x. Cui cum filius Seleucus ſucceſſiſſet, bellum fuit proſecutus aduerſus patruũ Cyzicenum: quem captũ interemit. Paulo pòſt oppugnat hunc Antiochus Cyziceni F. & alter quidam cognomento εὐσεβὴς, & uictum expulerunt Syria. Qui in Mopſueſtia Ciliciæ, ab irata multitudine incenſa regia, uiuus crematur cum ſuis. Antiochum Cyzeni F. oppugnat Seleuci frater Antiochus, & uictus interficitur. Repetit bellum tertius frater Philippus, occupata parte Syriæ. Cui auxilio Ptolemæus, qui cum matre bellum geſſit, cognomento λάθυρος, miſit quartum fratrem Demetrium cognomento εὔκαιρον, accerſitum è Gnido. Hi uicto Antiocho, aliquantiſper concordibus animis Syriam tenuerunt.

runt. Poſtea gratia rupta Philippus Parthis accerſitis, uicit fratrem: qui uictus, & ad Mithridatem Parthorum regem miſſus, & benignè habitus, morbo confectus interijt. Tum quintus frater de regno certat cum Philippo. Hic Antiochus fuit, cognomento διόνυσος, id eſt Liber pater. Qui & Philippum uicit, & Syriam breui tempore obtinens, cadit in prælio aduerſus Arabas: inq; eo genus & ſucceſsio Seleuci poſteritatis deficit. Horum aliorum non meminere alij, et tantum duos annos tribuunt Philippo. Ioſephus in hac tam longa mentione tam multorum, temporis nullam facit mentionem. Sint igitur hi duo anni Philippi, quibus Syriæ regnum quaſi cum fine ſuo conflictatum eſt. Poſtea enim præda hoc fuit Arabibus, Iudæis, Armenijs: donec uicto Tigrane, Pompeius in formam prouinciæ illud redegit. Quod tempus incidit in Ptolemæi cognomento λαθύρου regnum. Colliguntur Aegyptiorum regum anni 243. ad finem regni τοῦ λαθύρου. Syriacorum, 225. Differentia, ann. 18. Iam quidam in annum Lagi XIII. contulerunt initium regni Syriaci. illi igitur ſi addantur, fiunt anni 238. Differentia eſt ann. 5. Neq; planè cõſtat, utrũ finis regni Syriaci incidat penitus in finem regni τοῦ λαθύρου. Ita uidemus congruere tamen tempora ὡς ἐν πλάτει: exquiſitius enim deſcribi non poſſunt. Quoniam autem Nicephorus mentionem facit interpretum legis, ſciendum, Ioſephum ſcribere, LXXII fuiſſe miſſos, ſenos de ſingulis tribubus: & tamen ubiq; non niſi LXX nominari. Idem legem ait tranſtuliſſe illos de Hebraico ſermone in Græcum, ſpacio dierum LXXII. remittit etiam lectorem ad Ariſtææ librum, quem autorem fuiſſe Regi perhibent huius operis: & nunc etiam extat liber illius de confabulationib. regijs, & cellulis atq; iugis (Græci οἰκίσκους & ζυγὰς nominarunt) in Pharo. Voluiſſe autem aiunt Eleazarum pontificẽ mittere ſeptuaginta, ſecundum numerũ ſenum adiunctorum Moſi: ſed ne inter tribus contentiones orirẽtur, æqualiter ſenos de ſingulis fuiſſe delectos. Ac aiunt alij, ut Epiphanius quoq;, non modò ſacros libros quæ græcè ſunt ῥητοὶ βίβλοι, id eſt certi, & ἐνδιάθετοι, quaſi dicas in uno quodã corpore diſpoſiti libri, ſed ἀποκρύφους etiã miſſos atq; traductos fuiſſe: cum Ioſephus tantum meminerit tranſlatæ legis. Etſi me non fugit, legis appellatione omnes libros ſacros Hebræorum indicari. Sed cum in hanc mentionem inciderimus, nihil nocuerit de alijs etiam interpretationibus quædam differere. Ea quidem quæ Interpretum LXX nomine indicatur, ut tempore antiquiſs. ſic autoritate prima ſemper habita fuit. Etſi non plura ſcripta Hebraica illi perhibentur uertiſſe, quàm quinq; libros Moyſis. Sed de alijs Epiphanius ferè retulit ea quæ modò exponenda putauimus, miſcens ſanè, ut alibi quoq;, ἀνιστόρητα nonnulla. Ille igitur ſcribit in Commentario de Notis quæ appoſitæ cernerentur in libris Eccleſiaſticis, Adriani Imperatoris temporibus Sinopenſem fuiſſe hominem doctum, nomine Aquilam, quo uſus fuerit Imperator præfecto operis, quando curauit extruendam urbem nouam Hieroſolymorum, loca dirutorum à Tito. Cum autem inſtaurarentur ædificia, & è uicina Decapoleos Pella diſcipuli Apoſtolorum in nouam urbem reuerterentur, annis XLVII poſt euerſam illam: Aquila motus cùm doctrinæ religione, tum uitæ ſanctitate, tum etiam ijs quæ mirabiliter ab illis diuina effectione fiebant, Chriſtianus eſt factus. Cum autẽ aſtrologiæ eſſet peritiſs. non deſtitit,

*ne baptiſatus quidem, arti illi operam dare: neq; admonitionibus & reprehenſio-
nibus in hac parte aliquid profici apud eum potuit, quibus ille contentioſe refragare-
tur. Nullus dies erat, quo natalicias ſiderum collocationes non aſpiceret atq; conſide-
raret, & fata exquireret. Eam ob rem ex Eccleſia fuit eiectus, tanquam is qui ſuæ
ſaluti non ſtuderet. Intelligi autem aliunde quoq; poteſt, illis maximè temporibus,
uarias ſuperſtitiones in Aſtrologicas obſeruationes implicatas, non modo præcla-
ræ artis nomen infamaſſe, ſed omnes mathematicas diſciplinas reddidiſſe ſuſpe-
ctas: adèo ut mathematicum eundem & maleficum perhibere uulgò non dubita-
rent. De quo plura nunc diſſerere non libet. Aquilam quidem Epiphanius nar
rat, ignominiam iſtam ita acerbè tuliſſe, ut fide Chriſtiana uiolata ad Iudæos tran-
ſiret, & circumciſus fieret proſelytus. Tum deinde igitur magno ſtudio Hebrai-
cæ linguæ cognitionem ſingularem ſibi comparauit. Et libros ſacros ſermone græco
interpretatus eſt: ſed de induſtria deprauatis ijs quæ teſtimonium de CHRISTO
dicerent, defectionis ſuæ pudore. Hæc ſecunda eſt diuulgata interpretatio, annis poſt
primam illam, ut Epiphanius tempora collegit, ad XII. annũ Adriani, quadrin-
gentis triginta, menſib. quatuor. Etſi autem Epiphanij hoc loco indiſerta eſt com-
memoratio, & editio mendoſa, tamen id dicere uidetur, Symmachum uixiſſe tem-
poribus Aurelij Veri. nam Euſebius ſcribit, Origenem ſignificaſſe, quòd Symmachi
interpretationem acceperit à Iuliana quapiam, cui ipſe eam Symmachus tradidiſ-
ſet. Floruit autem Origenes poſt Veri tempora ætate tertia, id eſt pluribus quã LX.
annis. Hunc Ebionæum fuiſſe, Euſebius ait: quæ ſecta affirmaret IESVM Chri-
ſtum eſſe hominẽ ſimilem aliorum, & legem Iudaicã obſeruari neceſſe eſſe. Theo-
dotionem autem Epiphanius non ambiguè refert in tempora Commodi, M. Anto
nini philoſophi F. qui fuit interpretationis, ideſt ἑρμηνείας quartæ autor. Antoni-
ni autem cognomento Caracallæ regno, & anno quidẽ huius VII. Hierichunte in-
uentam eſſe ſcribit interpretationem quintam, iacentem in dolijs quibuſdam abſtru
ſam, unà cum alijs libris Hebraicis & Græcis compluribus. Alexandri autẽ Mam
mææ F. temporibus ſextam interpretationem fuiſſe prolatam, quæ ſimiliter recon-
dita eſſet in dolijs Nicopoli, ad Actium. Decij autem crudelitate affligente Eccle-
ſiam grauiter, Origenes cum palmam Martyrum non obtineret, quamuis multa
& grauia eſſet perpeſſus, ita Cæſareæ & Hieroſolymis aliquantiſper uerſatus, Ty-
rum ſe contulit: ubi annis, ut fertur, XXVIII. cùm alia opera præclara elaborauit,
tum eos libros curauit cõponendos, qui ipſo autore appellatione diſtinctionis ſenariæ
βιβλίων ἑξαπλῶν nomen habuerunt. Sed quia & τετραπλᾶ & ὀκταπλᾶ
nominari reperiuntur, de his quoq; addemus relata ab Epiphanio. Hic in diſpu-
tatione contra Origeniſtas, hoc ordine diſpoſitas fuiſſe interpretationes narrat, ut pri
ma eſſet Aquilæ, ſecunda Symmachi, tertia Septuaginta duûm, quarta Theodotio-
nis: & deinceps quinta ac ſexta, numeris tantum indicatæ. In Commentario au-
tem de Notis, copioſius de his uerba facit: ubi & Symmachum fuiſſe Samaritam
tradit, & deficientem ad Iudæos circumciſum denuò. Docetq; hoc mutuò inter eas
gentes fuiſſe obſeruatum, ut ſeſe his uel illis adiungentes, denuò circumciderentur.
Quinetiam arte Medicinæ præputium à quibuſdam fuiſſe reſtitutum, organo*

primùm

primùm attrahentib. cuticulam, ipſe παραβισῦρα: deinde acu conſuentib. & tandem conglutinantibus. Quod & ab Apoſtolo indicari putat, ubi ait, περιτετμημένος τις ἐκλήθη, μὴ ἐπισπάσθω. additq́; hoc primum feciſſe Eſau. Atq; hunc Symmachum interpretationem ſuam oppoſuiſſe, ait Epiphanius, Samaritarum libris. Theodotionem autem fuiſſe Ponticum, primùm ſectæ Marcionis àddictum: poſtea hanc improbantem, & Iudæum circumciſione factum, ita linguæ Hebraicæ eximiam cognitionem eſſe adeptum, & interpretationem peculiarem edidiſſe, conſentaneam illam quidem maximè interpretationi primæ. Sed Origenicam diſpoſitionem exequamur. Hic igitur homine locuplete Ambroſio, qui admiratione ſapientiæ uirtutisq́; eius captus, reliquiſſet ſectam alteram quandam, & Eccleſiaſticam diſciplinam amplexus eſſet, ſumptus perquàm liberaliter præbente, primùm Græcas uerſiones coiunxit, Aquilæ, Symmachi, ſeptuaginta duûm, & Theodotionis. Iſti quadruplices libri fuerunt, id eſt βιβλία τετραπλᾶ. His curauit deinde aſcribenda Hebraica duplice ſerie: una, qua illa ſuis propriarum literarum elementis deſcripta legerentur: altera, qua deſcriberentur eadem notis literarum Græcarum. Hi fuere tum ſenariæ diſtinctionis libri, id eſt βιβλία ἑξαπλᾶ. Tandem acceſſit & quinta & ſexta interpretatio, & opus extitit octuplex, quæ iam ὀκταπλᾶ fuerunt. Id fortaſſe in omnibus ſcriptis nō eſt factum: ſed in quibus factum eſt, in iis oſtendit Epiphanius hunc ſeruatum eſſe ordinem, ut primùm exponerentur Hebraica, duplice quidem, ut diximus, ſerie: tertio loco interpretatio Aquilæ: quarto Symmachi, quinto Septuaginta duûm, ſexto Theodotionis: ſeptimo & octauo duæ illæ ἀνώνυμοι indicatæ numeris, quinta & ſexta. Quanquam autem Septuaginta duûm interpretatio & tempore & dignitate prima eſſet: hanc tamen Origenes non primo loco ponere, ſed mediam interiicere uoluit, ut ab hac ad cæteras huc & illuc eſſet reſpectus certior. De notis autem & ſignis quibus uſus fuit Origenes, omnia referri quæ Epiphanius expoſuit, in præſentiâ oportere non putaui. Mentionem autem facit ſtellulæ, id eſt ἀστερίσκου, quaſi illuminantis locum quempiam: & ὀβελοῦ, quem & obeliſcum uocarunt, ueluti configentis aliquid: & faſciolæ, id eſt, λιμνίσκου, & ὑπολιμνίσκου, notantis diſcrepantia uerbis tantum, non ſententia, duob. aut unò ſaltem loco reperta. Hæc adiicere placuit, neq; alienâ instituto noſtro, & paulo diligentius quàm ab aliis demonſtrata. Sed de hoc legentes, ut par eſt, iudicabunt. Nos, quæ reliqua ſunt de temporum notatione Nicephoriana, prioribus deinceps adiungamus.

SEQVVNTVR NICEPHORIANA.

COlliguntur itaq; uniuerſi ab Adam uſq; ad initium Imperii Auguſti, ſecundum exquiſitos temporum deſcriptores, anni quinquies mille quadringenti quinquaginta ſeptem. Quippe Auguſtus, ut eſt dictum, Imperium tenuit annis LVI. menſ. VI. anno autem quadrageſimo ſecundo ipſius, natus fuit ſecundum carnem, ex ſancta & Deipara uirgine Maria, Dominus noſter IESVS CHRISTVS, Deus æternus, in oppido Iudææ Bethleē, ante diem VIII. Calend. Ianuarii:

qui eſt Choeac uigeſimus nonus, idećꝗ Decembris XXV. Cyrenius tum à Senatu miſſus, cenſum ægit patrimoniorum & incolarum. Fiunt igitur uniuerſi ab Adam ad Domini noſtri IESV CHRISTI in carne adminiſtrationem, id eſt ἔνσαρκον οἰκονομίαν, exquiſitiſs. ratione, anni quinquies mille quingenti.

APPENDIX.

Hæc eſt ætas, ſeu hoc tempus eſt quaſi nonum, ſalutiferi partus filij Dei, rei incredibilis ſapientiæ huius mundi: continens explicationẽ æterni conſilij Dei, quo ſtatuerat genus humanũ ſibi reconciliare. De quo nihil admodum opus eſt præterea dici. Nam ſecundum ſuprà expoſita, ratio collectorum annorum planè conuenit. Dies autem γενέσεως Christiana ab omnibus ferè is eſt commemoratus, qui à Nicephoro: nempe Brumæ. Placuit enim ita ueteribus, initia δωδεκατημορίων in circulo Solari indicare, ut ad octauum Cal. quorumq; menſium illa adſcriberent, in octauis partibus ſignorum collocantes. Sed ſolus Epiphanius neſcio quid ſecutus, aut qua conſideratione, cum quidem dies & horas ad calculum reuocet, aliter ſcripſit tam de Chriſti γενέσεως quàm πάθους tempore, de quo aliàs. Nunc igitur reliqua exequamur.

NICEPHORVS.

POſt Auguſtum, tertius Imperator fuit Romanorum Tiberius, annis XXIII. Huius Imperij anno XV. inchoauit ſalutiferam & Euangelicam doctrinam Dominus noſter IESVS CHRISTVS. Anno autem XVIII. paſſus fuit Hieroſolymis, pro nobis, paſsionem ſalutarem, ante octauum diem Calendarum Aprilis, is eſt Martij XXV. Sunt igitur ab Adam uſq; ad ſalutarẽ paſsionem & reſurrectionẽ Domini & Dei ſaluatoris noſtri IESV CHRISTI, anni quinquies mille quingenti triginta tres.

APPENDIX.

Decimum quoddam hoc eſt temporũ interuallum, ſeu ætas, (nihil enim refert) numero annorum illud quidem perbreue tempus, ſed rerum pondere atq; magnitudine prolixum. Hoc complectitur eos annos, quibus IESVS CHRISTVS filius Dei confecit ea, ad quæ miſſus fuerat in terras à patre cœleſti: promulgata pœnitentiæ doctrina, & promiſsione remiſsionis peccatorũ & uitæ æternæ, quæ contingeret omnibus credentibus uerbis ſuis, & in ſeſe. De his igitur modò plus uerborũ faciendũ eſſe non putauimus. faciemus autem aliàs, uolente Deo. Nunc conſummabimus annos. Ac eſt Græcorũ ratio ſecundũ ſuprà dicta explicata, id eſt, ad Chriſtũ natũ

Annorum 5500.

Hebraica autem, & ipſa, poſt Macabæorum tempora, incertior, habet

Annos 3953.

Alij colligentes annos, & ſuperioribus 3647, quos Hebræi numerant uſq; ad Cyrum, addentes indiſtributè 490, qui ſunt anni Hebdomadum Danielis, uſq; ad CHRISTI doctrinã ſeu baptiſmũ, quod tẽpus in illius annũ 30. incidit, fecerunt Annos 4107.

Differen-

Differentia ann. 154.

Itaq; aliqui hoc tempus hebdomadũ numerare incœperũt ab initio captiuitatis, id eſt uerbo prophetiæ Hieremiæ. Alij produxere longius, ad Apoſtolorum doctrinam. Liberationem autem Iudæorũ, & completionem annorum 70. captiuitatis, manifeſtè contulit Ioſephus libro XI. cap. I. in Cyri regni initium. Sed nunc ad alia pergamus. Sunt enim mihi quidem hæc inexplicabilia: & malo pia aſſenſione dubitationes reprimere, quàm harum occaſionem maiorem commouere, aduerſantis rationis expoſitione.

SEQVVNTVR NICEPHORIANA.

IVlius igitur Cæſar, ut dictum eſt, præfuit regno occupato Romæ ann. IIII. M. VII. Huic ſucceſsit Octauius, cuius anni ſunt LVI. M. VI. Tertius Imperator regnauit Tiberius, priuignus Octauij, an. XXIII. Poſt Tiberiũ Caius an. III. M. X. interfectus fuit in palatio. Claudius ann. XIII. M. I. ſublatus ueneno. Nero ann. XIII. M. VIII. fugit, ſeq; ipſum uiuus defodit. Hoc Nerone perſecutionẽ primò commouente, Petrus & Paulus Romæ martyres facti ſunt. Et Iacobus frater Domini, quem uocabant omnes Iuſtum, à Iudæis Hieroſolymis lapidibus eſt obrutus. Otho menſ. III. ſeipſum occidit. Vitellius menſ. VIII. Veſpaſianus ann. IX. M. XI. dieb. XXII. Deceſsit in hortis Saluſtianis. Huius Imperij anno ſecundo capta eſt urbs Hieroſolyma, à filio ipſius Tito, annis poſt Chriſti aſſumptionem XXXV. Titus ann. II. M. II. necatus in palatio. Domitianus ann. XV. M. V. Hoc perſecutionẽ commouente, Iohanni apoſtolo Pathmus inſula ad incolendum aſsignatur. Qui poſt mortem Domitiani inde reuerſus Epheſum, ibi manſit uſq; ad Imperium Traiani. Nerua annum I. M. IIII. Traianus ann. XIX. M. VI. Huius tempore diuus Ignatius Romæ fit martyr, obiectus beſtijs. Adrianus ann. XXI. Deceſsit ad Baias, aqua inter cutem effuſa. Hic Hieroſolymis deletis, urbi inſtauratæ nomen Æliæ indidit. Titus Antoninus cognomento Pius cũ filijs, Aurelio Vero & Lucio, an. XXII. menſ. III. M. Aurelius, filius huius, ann. XIX. menſ. II. Huius temporibus Iuſtinus Philoſophus martyr factus. Antoninus Verus an. XII. Commodus ann. XIII. Ælius Pertinax menſ. VI. cæſus in palatio. Seuerus an. XVIII. Huius regni tẽpore Leonides Origenis prauanimi, id eſt κακόφρονος pater, martyr factus. Et floruit Hippolytus Romanus hiſtoricus: & Gregorius mirificus, id eſt θαυματουργός: & Clemens Alexandrinus. Antoninus Seueri fil. ann. VII. cæſus inter Carras & Edeſſam. Macrinus ann. I. cæſus. Antoninus Gabalus ann. IIII. cæſus Romæ. Alexander Mamçæ F. ann. XIII. cæſus apud Moguntiacum. Maximinus ann. III. cæſus ad Aquileiam. Gordianus ann. VI. ſuſpendio uitam finijt in Africa. Philippus ann. VII. cæſus in hortis Tiberianis. Decius annũ I. M. III.

perijt in foro. Huius tēpore fit martyr Antiochcæ Sanctus Babylas, & alij per omnes prouincias. Et ſeptem pueri Epheſi. Gallus & Voluſianus ann.I.M.IIII. Valerianus & Galienus ann.XII. Valerianus cæſus in Perſide, Galienus Mediolani. Claudius ann.I.M.IX. mortuus Sirmij. Aurelianus ann.V.M.VI. cæſus in nouo Caſtello. Tacitus M.VI. cæſus in Ponto. Quo tempore S. Charito confeſsionem exhibuit. Probus ann.VI.M.IIII. cæſus Sirmij. Carus, unà cum filijs Carino & Numeriano, ann.II. Carus quidem mortuus in Meſopotamia, Carinus autem cæſus in Thraciæ oppido Numeria. Diocletianus & Maximianus ann.XX. Huius tempore martyr fit S. Petrus Alexandriæ epiſcopus, & alij multi per totam prouinciam. Conſtantinus Magnus an. XXXI. Anno Imperij huius XX. coacta fuit Synodus ſancta CCCXVIII patrū Niceæ in Bithynia, anno poſt Chriſtum in carne natum CCCXVIII. poſt uenerabilē autem paſsionem & glorioſam reſurrectionem CCLXXXV. Fiunt igitur uniuerſi ab Adam uſq; ad mortem Conſtantini Magni, anni quinquies mille octingenti trigintaſex.

APPENDIX.

Illos poſt aſſumptionem Domini noſtri IESV CHRISTI XXXV. annos, uſq; ad euerſionem ultimam Hieroſolymorum, & interitum gentis Iudaicæ, utcunque colligere poſſumus de annis expoſitis: alij autem omnes circiter 40. annos interpoſuerunt. Epiphanius tamen poſt Chriſtum crucifixum annis LXV. fuiſſe Hieroſolyma euerſa ſcripſit. Claudio Nicephorus tribuit an.13. & menſ.1. Alij ferè omnes ann.13. menſ.9. Hunc necatum ait. fuit enim ſuſpicio, Meſſalinæ fraude ſublatum fuiſſe Claudium, dato ueneno in boleto. Neroni tribuit Euſebius ann.14. menſ. 7. dies 28. ſed omnes alij minus quàm annos 14. ut mendoſè illi 14. anni pro 13. in Euſebio perſcripti, quemadmodū multa alia, eſſe uideātur. Sed deinceps in his conferendis non immorabimur: eſſet enim nimis longum, & Chronologiæ diuerſorum in medio ſunt: unde hoc facere uolentibus, annos excipere nihil negotij fuerit. Quòd Neronem ſe ipſum uiuum defodiſſe ſcribit, Græcum commentum eſt. nam de huius morte quid Suetonius ſcripſerit, notum eſt. niſi eſt mendū, ut ſuſpicor: & legendum κατίσφαξεν, ut dicat illum ſe confodiſſe, non κατίσκαψεν. Etſi ſuſpicari poſsit aliquis, audiuiſſe Nicephorum quippiam de latebris Neronis ſubterraneis. Sed retineatur illud Confodiſſe. De Petri autem & Pauli martyrio Euſebius hiſtoriam expoſuit. Nam alia de Neronis erga Pilatum & Petrum, ob Chriſtum interfectū & negatum indignatione, μυθώδη ſunt. Quòd Titum necatum in palatio refert, aliquem ſecutus uidetur, qui ueneni illi à fratre Domitiano dati ſuſpiciones affirmaret. De Iohannis autem exilio & reditu, hiſtoria apud Euſebium extat. Itemq; de Ignatio: cuius hoc, quod plurimùm in ore habuerit, fertur, ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται. Epithetum autem frequens huius reperitur, ut θεῖος appelletur, id eſt Diuus, & θεοφόρος. Antonini prænomen Titi, & alibi reperias. Sed ſunt tempora & nomina confuſa apud Nicephorum. Antoninus Pius adoptatus ab

Adriano,

Adriano, qui primus Imperator Rom. barbam nutriſſe perhibetur, ſimiliter & ipſe ſibi adoptauit M. Aurelium & Lucium, qui poſtea concordibus animis Imperio præfuerũt. hi ſunt apud Iuriſconſ. Diui fratres. Lucius ante Marcum moritur. Marci cognomentum fuit philoſophus, qui filium Commodum reliquit. Cum M. regnauit L. frater annis XII. non poſt Marcum ſolus, ut ex mentione Nicephori intelligi poſſet. Iuſtinus autem pereruditus uir, & Pio & DD. FF. multos libros obtulit, patrocinans Chriſtianæ religioni, & Idololatrarum, Iudæorum atq; hæreticorum errores refutans. Tandem Creſcentis Cynici inſidijs & fraude circumuentus, in confeſſione nominis CHRISTI moritur, cum Cynici furorem quibuſdam conuicijs irritaſſet. Poſt Pertinacem emptum precio Imperium obtinuit Didius Iulianus, quem & Nicephorus & alij in Catalogo Imperatorum non poſuerunt. De Origenis autem peruerſa doctrina, cùm alibi mentionem fecit Epiphanius, tum in libro de Notis, cum quidem laudaſſet ſtudiũ edendorum & diſponendorũ librorum ſacrorum his uerbis, εἴθε δὲ καὶ ἐν τοῖς αὐτοῦ συντάγμασι μὴ παρέπεσε καὶ ἑαυτοῦ, καὶ τὸν κόσμον ἠδίκησε, κακῶς δογματίσας τὰ περὶ πίστεως, καὶ τὰ πλεῖστα τῶν γραφῶν κακῶς φράσας. *Confudit autem & hoc loco Nicephorus tempora. Clemens hic fuit Alexandrinus, ludi Eccleſiaſtici magiſter: cuius ſcriptorum, ut uidetur, ualde bonorum, meminit Hieronymus, & præceptorem Origenis illum ait fuiſſe. Hunc audiuit Gregorius, qui idẽ &* θεόδωρος, *epiſcopus Neocæſarienſis, eccleſiæ in Ponto. Qui edendorum miraculorũ donum habuit, & uitam uſq; ad Iulianum produxit. Hippolytus autem non ſolùm utiles rerum geſtarum narrationes, ſed rationem etiam motus ac curſus Lunæ compoſuit, quam* ἐξαετηρίδα *nominauit. In Gordiano rurſus confuſa res eſt. nam contra Maximinum Senatus C. creatus Gordianus Africæ præſes, uictus à Capelliano præfecto Mauritaniæ, cingulo ſe ſuffocat: filius adoleſcens illius cadit in prælio. Poſtea Gordianus puer, nepos ex filia Gordiani, fit Princeps: & occiditur poſt ſexennium à Philippo. Decium in foro perijſſe retulit. Sed eſt ſcriptura aut falſa, aut mutila. fortaſsis in* βορβόρῳ *uerum fuerit. Niſi indicatio eſt loci, ubi perijt. Decius merſus quidem paluſtri loco, ita ut ne cadauer quidem illius appareret. Babylæ autem martyrium per fuit glorioſum: qui uel Numeriano, uel Decio, ingredi eccleſiam Antiochiæ uolenti, cum obſtitiſſet, poſtea accerſitus ab Imperatore, & accuſatus grauiter, quòd Principi aduerſatus eſſet, & iuſſus fuit immolare Dijs. Sed cùm, ut paſtorem, diceret ſe uitam ſuam pro ouibus obtuliſſe, & idolis ſacrificaturum negaret, uinctus cathenis ad ſupplicium rapitur: quas quidem ſepeliri ſecum petijt, ut pulcherr. ornatum corporis ſui. Notum autem eſt, Decianã perſecutionem ualde acrem fuiſſe. Gallo, & Voluſiano Galli F. tribuuntur ferè anni duo: Valeriano & Galieno, XV. Sed hac nunc exquirere non uelle nos oſtendimus. Hoc eſt tempus, quo Imperium Rom. planè dilabi & corruere cœpit, ubiq; exorientibus Imperatoribus, quos tyrannos nominarunt, & numerarunt XXX. Valerianus captus apud Parthos, in turpi ſeruitio conſenuit: cum quidem Sapores rex Perſarum, ſiue Parthorum, equum conſcenſurus, hoc inclinato tanquam ſcabello niteretur. quem tandem crudeliſſ. cæſum eſſe traditur. Aurelianum ait cæſum* ἐν καινῷ φρουρίῳ. *id nimirum inter*

*By*Z*antium & Heracleam fuit, ubi à ſcriba interfectum accepimus Aurelianum. De hoc ſcripſere Græci, ὅτι ἐγένετο μᾶλλον ἀναγκαῖος στρατηγὸς, ἤπερ αἱρετὸς βασιλεύς. primus Romanorum Principum diadema impoſuiſſe ſibi & uſurpaſſe traditur. Huius temporib. Manicheæ hæreſeos inſania exorta fuit, poſt Chriſti aſcenſionem ann. CCLXXVI. uel ſecundum alios, CCXLVI, ut ſcripſit Epiphanius. Sed omnino eſſe hoc interuallum temporis longius uidetur. Poſt Probum Imp. poſuere Florianum: ut poſt Galienum, Quintilium. In Diocletiani etiam mentione cùm indiſerta, tum mutila eſt Nicephori narratio: ſed & aliorum. Eſt autem hæc ſeries horum temporum. Numeriano & Carino Cari filijs, qui ictus de cælo interierat in Perſide, his igitur ſublatis, occupat regnum Diocletianus, cuius cum Maximiano anni ſunt XX. Galerij Armentarij, quem aliqui Maximianum Iuniorem uocãt, & à Galerio diſtinguunt, cum Licinio & Conſtantio anni XIII, & ipſi uidentur includi annis XX Diocletiani, aut ſuperare paululum: id eſt, ut quibuſdam placuit, annis quatuor. Quod, mirificè confuſis horum temporũ hiſtorijs, in medio relinquo. Socrates hiſtoricus ſeriem nominum expoſuit dilucidè hoc modo. Cum conueniſſet inter Diocletianum & Maximinianum cognomento Herculium, ut Imperio ſe abdicarent, occupata Italia, is qui unà cum eis gubernationi præfuerat Maximianus cognomento Galerius, duos deſignauit Cæſares, Maximinum in Oriente, & Seuerũ in Italia. In Britania autem renũciatus fuit Impera-
forte 271 tor Conſtãtinus, loco patris ipſius Conſtãtij, mortui anno primo Olympiados CLXXI. VIII. Cal. Auguſti. Profectus autem Seuerus aduerſus Maxentium, quem milites Romæ Imperatorem appellauerant: deſertus à militibus interijt. Tandem ſublato & Maximino è medio, & Herculio, ſupererat ſolus Maximianus Galerius: qui paulo pòſt & ipſe deceſſit, communicata prius gubernatione cum Licinio uetere commilitone. Poſthac deuicto Maxentio Herculij F. ſumma rerum peruenit ad Conſtantinum, & Licinium Conſtantini affinem: quòd coniugem haberet Conſtantiam, ſororem Conſtantini. Sed inter hos non diu concordia fuit: & ſemel uictus Licinius, conſecutusq; ueniam, cum bellum reparaſſet, iuſſu Conſtantini interficitur. Ita ſolus Imperium tenuit Conſtantinus, & Magni cognomento ornatus eſt. Confunduntur autem in narrationibus Maximiani & Maximini nomina paſſim, fortaſſe librariorum uitio. Sed modò expoſita, uidentur eſſe conſentanea.

Sub Diocletiano maxima & atrociſs. uel immaniſs. potius perſecutio commota fuit: cum non ſæuiretur in ſingulos, ſed totæ communitates Chriſtianorum trucidarentur, ut legentes quæ prodita memoriæ ſunt de hac crudelitate, totis animis cohorreſcere neceſſe ſit. Poſt quod tempus calamitoſiſs. propitius Deus quietem reſtituit Eccleſiæ, excitato magnanimo Principe & pio, Conſtantino Conſtantij F. Magno, ſuſcepto ex Helena Britannica fœmina: in quo quaſi undecimum tempus ſiue ætatem Nicephorus, diſtinctione narrationis ſuæ finit. De collectione autem annorum plura diſſerere non eſt uiſum. Hoc modo indicandum putaui, pleroſq; Græcos à Chriſto ad Conſtantinum Magnum numerare ann. 318. Nicephorusq; idem in ſua conſummatione annorum facit, ut mox apparebit. Hoc autem loco neſcio an delectatus congruentia numerorum, 318. annos ponit à Chriſto ad ſynodũ Nicenã,

in qua

in qua cōueniſſe totidem Epiſcopi perhibentur. Sed ſi hæc incidit in annū 20. Conſtantini, ut & Euſebius indicat, qui Conſtantinū celebraſſe uicenalia ſcribit cum epiſcopis, tum fient illi anni ad mortem Conſtātini 5829. nam erant iam ad Chriſtū 5500.] Addantur 318. & Conſtātini à Synodo reliqui 11. exeunt 5829. In Chronicis Euſebianis confertur ſynodus in finitum 13. Imperij Conſtant. Magni annū. ita reſtarent 18. ad mortē huius, & conficeretur numerus 5836. Sed de his quia quid præterea afferamus non eſt, Nicephorianam expoſitionem perſequamur.

NICEPHORVS.

MOritur autē Conſtantinus, cum regnaſſet, ut aiunt, ann. XXXI. natus annos LXV. relictis filijs tribus, Conſtante, Conſtantino & Conſtantio: quorum Conſtans ueteris Romæ, Conſtantinus nouæ, Conſtantius Antiochię regnū tenuit. Confecit conſulatus duos. Sed filij poſt Conſtantinum regnarunt an. XXIIII. Iulianus ann. II. interfectus in Perſide. Iouianus menſ. IX. Valentinianus Magnus, & Valens frater, ann. X. menſ. IX. Valentis Imperio factus martyr fuit Sanctus Dorotheus, obiectus in uenatione feris, ab Arianis. Gratianus & Valentinianus minor, Valentiniani FF. & cum his Theodoſius Magnus, ann. XVI. conſul III. Secundo anno Imperij huius, coacta fuit ſecunda Synodus Conſtantinopoli, CL. ſanctorum patrum. Arcadius & Honorius, filij ipſius, ann. XIII. M. III. Theodoſius minor ann. XLII. M. VI. Sub hoc celebrata fuit Synodus tertia Epheſi, patrū ſanctorū CC. Et altera inſidiatoria, cui præfuit impius Dioſcorus. Martianus & Valētinianus ann. XXV. ſub quo Chalcedone quarta ſancta Synodus celebrata fuit, ſanctorū patrum DCXXX. Leo Magnus ann. XVI. Leo Paruus, cum patre, annum I. moritur. Zeno ann. XVII. cum tyranno Baſiliſco an. II. Anaſtaſius ann. XXVII. M. IIII. Iuſtinus Thrax ann. IX. M. III. Iuſtinianus Magnus ann. XXXVIII. dies VII. ſub quo ſancta Conſtantinopolitana Synodus celebratur. Iuſtinus Iuſtiniani fratris filius ann. XII. M. II. D. XX. Septimo anno huius Imperij completus fuit circulus unus ſancti Paſchatos, annorum 532. Ex quo crucifixus fuerat Dominus noſter IESVS CHRISTVS, indictione VI. Anno à condito mundo ſexies milleſimo ſexageſimoquinto.

APPENDIX.

Hoc eſt duodecimum quoddam tempus, ſecundum Nicephori diſtributionem: quo à crudelitate, qua antea potentia regnorum graſſata fuerat in Eccleſiam Chriſti, huic quies & ocium contigit. ſed ipſa tum inteſtinis bellis & impietate ſuorum conflictata fuit, Ario claſsicum canente, & conuellente Deum in filio, & callidiſsimis uerbis de confeſsione uera genitum hunc eſſe, conſtituente principium & κτίσιν huius: ita uere & natura Deum illum eſſe, re ipſa negauit. ἦν γὰρ, inquiebat, ὅτ' οὐκ ἦν. Et, ἐκ τῶν οὐκ ὄντων ἐγένετο. Et, πρὸ τοῦ γεννηθῆναι οὐκ ἦν. Quibus uerbis aſtutiſsimè efficere hoc uoluit, factum eſſe filium: dum hoc ſtatuit, coæternum non

eſſe cum

eſſe cum patre. Unde diſcere debemus, quàm nocens & pernicioſa res ſit rationis humanæ artificium & architectura in dogmatis diuinis. Siue enim malicia, ſeu quodam non impio conſilio, peruerſo tamẽ ſtudio, ille hanc conatus fuit in Eccleſiam doctrinam inuehere, præbuit ſe Diabolo hoſti Eccleſiæ organum ad effectionẽ multorum malorum, & ingentium perturbationum, quæ poſtea uariæ ſecundum diuerſimodi hominum petulantia ingenia extiterunt. Fauit autem Conſtantius, Conſtant. F. huic ſectæ. Quo Arium tuente, Chriſto autem filio Dei Eccleſiam ſuam defendente, Arius moritur. Etſi hoc, ut exploratum alia quadam narratione noſtra, in medio reliquimus. Condidit autem Conſtantinus, Conſtantij & Helenæ Britannicæ mulieris F. nouam Romam in Thracia, Byzantio inſtaurato, cui nomen impoſuit κωνςαντίνȣ πόλιν: quæ uno nomine uocatur Conſtantinopolis. In quo eſt memorabile, quòd hoc factum perhibetur ab initio Imperij Romani, quod ſine dubio in regni formam redegit Cæſar Auguſtus, anno CCCLX. confecto quaſi curſu temporis æqualis numero partium eius circuli, qui conuerſionem cœli unam definit. Iuliani ſempiterni opprobrij cognomentum eſt ἀποςάτȣ, quo defectio & deſertio indicatur. Huic alij annũ unum tribuunt: ſed ijdem Conſtantini FFF. ann. XXV. idq; tempus de incidentibus menſibus hoc modo conficitur. Ualentiniano & Ualenti tribuuntur à plerisq; Chronologis anni XIIII. M. V. Ualentem autem Arianis fauiſſe, contra orthodoxos, & miſerabiliter interijſſe, exuſtum in caſa ruſtica, notum eſt. Sub Theodoſio ſynodus coacta fuit, ad cognoſcendum de dogmate Macedoniano, quod tum condemnatum fuit. Negabat autem Macedonius Sancti Spiritus cum Patre & Filio naturã eſſe eandem: ideoq; πνευματομάχοι appellati fuerunt ſectatores illius. Uerùm hanc Synodum alij celebratam tradunt anno octauo Theodoſij. Quod ſi uerum eſt, errauit ſcriba nimirum in notis numerorum exprimendis, poſito β pro η. Theodoſius minor ſolus regnauit ann. XXVII. Cum patruo autem Honorio, XV. Quorum anno ſecundo Roma à Gothis capitur. Ipſe Theodoſius neq; uirtutis ſtudioſus, neq; ingenio perſpicace fuiſſe perhibetur: religionis tamen amans, penè etiam ſuperſtitioſus. Roma capta à Barbaris, non dubitarunt multi tum dicere, cauſſam calamitatis eſſe, quòd religionis ueteris cultura impedita fuiſſet. Nam Theodoſius ſuperior, cum declararet Romæ Cæſarem filium Honorium, egerat cum Senatu, qui more maiorum, Deorum numina ſacrificijs coleret, ut ab errore illo impietatis recederẽt, & ueritatem religionis Chriſtianæ amplecterentur. Hoc illi cum ſe facturos negaſſent, quòd dicerent patrios ritus ad annos penè M.CC. cuſtoditos eſſe, incolumi urbe: quibus cum alijs commutatis, quæ fortuna ſecutura eſſet, ſeſe ignorare: tum Theodoſius ademit ſumtus qui publicè antea ad ſacrificia fuerant ſuppeditati, ut multis deinde in locis obſeruatio rituum priorum intercideret. Sed magis pœnam pertinaciæ atq; contumaciæ ſuæ dederunt, fugientes lucem, & amantes tenebras: ut antè Iudæi, & poſtea alij. Id quod Auguſtinus planum facere ſtuduit. Sub hoc autem illa Synodus Epheſina celebrata fuit, qua damnatur & impium Pelagij dogma, conuellens efficacitatem gratiæ Dei, & remittens homines ad merita ſua. Inſidiatoria autem altera, quã uocat Niceph. λῃςρικὴν, & ipſa Epheſina, fuit coacta propter Eutychen,

qui

qui Conſtantinopoli in opinione ſingularis ſanctitatis degebat. Hic renouabat Manichæam ueſaniam, pingens eam paulo uenuſtioribus coloribus, ut impietas dogmatum conſueuit. Illum cum damnare ſynodus deberet, inducitur hæc à Dioſcoro epiſcopo Alexandrino præſidente, ut abſolueretur Eutyches, & reſtitueretur: Fabianus autē, ſeu Flauianus, Conſtantinopolitanus Orthodoxus dānaretur. Quod factū uel propter exemplum, diligenter memoria tenendū eſt. Itaq; poſtea ſub Martiano ſancta Chalcedonenſis Synodus congregatur: & damnatis Eutyche atq; Dioſcoro, decreta Epheſinæ poſterioris impia abrogantur. Leo paruus, ſeu minor, non numeratur in Catalogo Imp. ab alijs, & in Maioris annos includitur. His temporibus Græcia ſuos, & Italia, ſeu Oriens & Occidens, peculiaresq́; Principes habuit. Zenonis autem Imperio planè alienata fuit Italia: cum paulo etiam antè, id eſt Leonis anno XII. Romæ regnum Auguſtulus, ominoſi nominis ignauus Imperator, occupauiſſet. Quo loco memorabile, quòd nominibus iiſdem præditi complures, & conſtituerunt atq; auxerunt, & euerterunt ac afflixerunt regna. Cyrus Cambyſis F. Perſarum Imperium condidit: Cyrus Darij & Paryſatidos F. grauiter afflixit. Darius Hyſtaſpis F. recuperauit Perſarum regnum: Darius Arſamis F. penitus amiſit. Philippus Amyntæ F. Macedoniæ imperiū Græcia addidit: Philippus Antigoni F. omnia euertit. de quo & Oraculi uerſus,

αὐχοῦντες βασιλῆσι μακηδόνες ἀργεαδῃσιν,
ὑμμὶν κοιρανίτωι ἀγαθὸν ϗ πῆμα φίλιππος.

Auguſtus primus Rom. Princeps, & re ipſa Rex: Auguſtulus ultimus. Conſtantinus Magnus autor Imperij Conſtantinopolitani, retinens tamen & Romanum: Conſtantinus, Irenes F. Romanum penitus alienauit: Conſtantinus ultimus perdidit omnia. Balduinus fuit primus Francicus Imperator Conſtantinopoli: & huius abnepos Balduinus, ultimus. Sub Carolo Magno Pipini F. Germania adepta fuit Imperium: Carolus Bohemus, ut conciliaret Imperiū filio Uuenceslao, Principes Germaniæ deuinxit largitionibus, & Imperij dignitatē labefecit. Sed redeamus ad rem. Zeno, de quo dicere cœpimus, Theoderichum Gothum in Italiam miſit cum poteſtate Conſulari, qui in Italia ſe pro Rege geſsit. Eius appellatio fuit, DOMINVS *noſter Rex Theoderichus. Atq; ita peruentum eſt ad fecem Imperij Romani. Non ſunt prætereundi ſilentio, ut opinor, ij qui his temporibus in Italia cum Imperio fuerunt. Nam poſt mortem Theodoſij Magni, Imperium diuiſum ſic eſt, ut teſtamento ipſe iuſſerat. Arcadius ad Orientem Conſtantinopoli, Honorius ad Occaſum Romæ præſedit. Poſt Arcadium Theodoſius Arcadij F. Theodoſij Magni N. Conſtantinopoli Imperium tenuit: Romæ Ualentinianus, cuius pater fuit Conſtantius, frater Theodoſij minoris. Hunc curauit occidendum Maximus. Quibus temporibus Roma & Italia à Uandalis uaſtata eſt. Poſtea ij qui adhuc uolebant ſe appellari Senatum populumq́; Romanum, præfecerunt ſibi Auitum quendam honeſto loco natum, & idoneum ad gubernationem. Quod factum Martianus approbauit. Hunc Auitum remouit Richamer Gothus. Poſt Auitum, pro Italico Imperatore ſe geſsit Maioranus, ann. ferè III. Seuerus deinde, ſeu Seuerianus, annis totidem. uterq; ita deceſsit, ut ſuſpicio mortis eſſet uiolentæ. Euagrius ſcripſit,*

Auitum Imperij menſe VIII. mortuũ eſſe peſte: Maioranũ anno Imperij II. fraude eſſe interemptum, id eſt δολοφονηθῆναι, à Richamero Gotho, ductore in exercitu Romano. Idem Euagrius ſcripſit, generum Martiani Imperatoris Anthemium, Imperij anno V. cæſum eſſe à Richamero. Fuiſſe perhibetur Anthemius uir præſtans uirtute & humanitate, laudatus ab eruditis temporum illorum. Hic, ut eſſet firmius Imperium, collocauit in matrimonium filiam ſuam Richamero. Sed orta diſcordia inter ſocerum & generum, ita eſt è medio ſublatus. Richamer direpta urbe Roma, poſt paucos menſes alui doloribus, quæ ſunt πάθη κοιλιακὰ, confectus moritur. Tum cepit eſſe ſumma rerum penes Olybrium, cum quo nupta fuit Placidia Valentiniani III filia. hic ſeptimo menſe Imperij moritur. Poſt quem milites appellarunt Imperatorem Glycerium: qui uix anno confecto, à Iulio Nepote iubetur Epiſcopus fieri Salonis Dalmaticis. Nepotem eſſe potitum Imperio, Euagrius ſcripſit, annis V. Hunc priuauit Imperio & uita Oreſtes: qui perfecit, ut filius Mamillus, cognomento Auguſtulus, Imperator appellaretur. Non tenuerant hi Imperium toto anno, cum pater ab Odoacro Gotho occiditur, filius iubetur exulare. Fuit Auguſtulus ultimus eorum qui in Italia Imperatorum Romanorum nomine præfuerunt. Odoacer enim ſe Regem appellari uoluit: quod nomen poſteriores retinuerunt. Odoacro tribuuntur an. XIII. Hunc per fraudẽ interfecit Dieterich, quẽ Germanica carmina celebrãt, quiq́; deinde Theoderichus nomine rex in Italia fuit ann. XXXVI. Dietericho ſucceſsit Adelrich, cum matre Amelaſuinta, Dieterichi filia. Etſi Euagrius refert, hanc coniugem fuiſſe Dieterichi: falſo, ut uidetur. nam uxorẽ Dieterichi nominant Adelheid Franconicã, Chlodouæi F. Adelrichi. Huius anni ſunt X. Diethat. cognatus horum, mortuo Adelricho, & Amelaſuinta necata, regnum tenuit ann. V. Hoc interfecto, regnauit Bittig. duxitq́; uxorem Amelaſuintæ F. Dieterichi neptem, quam Madeſuintã nominant: priore uxore repudiata. huic tribuuntur ann. V. Euagrius Diethatum ceſsiſſe regno ultro ſcripſit, aduentante Belliſario, & ſtudijs ſe totum dedidiſſe, quorum ſemper magnus amator fuiſſet, neq; de cædibus illis mentionẽ ullam facit. Sed Bittigem Belliſarius uictum & captum miſit Conſtantinopolin. poſtea biennio res turbulentæ fuerunt in Italia: tandem Gothi regem fecerunt Totilam. qui max. animo, ætate iuuenis, bellum in Italia geſsit, & hanc grauiſsimè afflixit ann. XI. Cui Teia, ſeu Tega ſucceſsit, & ſtatim oppreſſus eſt. Interijtq́; uterq;, adminiſtrante bellum Narſete eunucho. Ita poſt annos LXX. Gothi ex Italia expulſi ſunt. Atq; à Narſete adducti Longobardi, gens Germanica, qui in Italia regnarunt annis circiter ducentis: cum Narſes XVI. annis in Italia bella geſsiſſet, & uerſatus eſſet. Hunc uxor Iuſtini Minoris contumelioſe ex Italia & ab exercitu reuocans, ſic iritauit, ut Italiam externæ nationis poteſtati ſubijceret. Non dubium autem eſt, quin & Gothica & Longobardica natio gentes Germanicæ ſint: idq́; perſpicuè indicatur nominibus proprijs, quæ paſsim, quamuis corruptè, in hiſtorijs Regũ Ducumq́; & Principum uirorum apud Gothos & Longobardos legũtur. Quin has ambas appellationes eſſe Germanicas certum eſt: altera bonitatẽ ſignificante, altera prolixas barbas. Bittigis coniunx Madeſuinta poſtea habuit, Bittige mortuo, uirum Germanũ Patricium, fratrem

patruelem

patruelem Imperatoris Iuſtiniani. Pepercerat autem Bitigi Imperator, atque eum limiti Perſico præfecerat. Quæ notaſſe hactenus ſatis fuerit. Nam ut ſæpe teſtati iam ſumus, hiſtoriã ſcribere propoſitũ non eſt: cum quidem diuerſorum negligente expoſitione confuſæ res, alicuius accuratã diſertamq́ enarrationem poſtulare uideantur. Sed nunc inſtitutũ exequamur. Quam appellat Nicephorus Sanctam Synodum, ea Iuſtiniani tempore (cui Euagrius mortuo etiam maledicit, μεταχωρήσαντι πρὸς τὰ κατωτάτω δικαιωτήρια) fuit coacta aduerſus Theodori impiam hæreſin, reſpondentem planè Apollinaris delirio, unam tantum naturam diuinam tribuentis Chriſto. Ibiq́ decretum, ut ſancta Maria uirgo Dei genitrix uocaretur: id eſt, Græco uerbo θεοτόκος. hæc eſt numero ε. inter præcipuæ autoritatis Synodos. Quod autem ſcribit, circulum ſancti Paſchatos Iuſtini minoris anno 7. fuiſſe completum: id de Enneadecaeteride accipiendum, qua uſi fuerunt ad interlunia reperienda, quæ aliquo modo aliquantiſper congruit, & adhuc in Faſtorum expoſitione uulgo ſeruatur. Hæc eſt uicenariæ & octonariæ rationis, quæ anno indicato à Nicephoro congruit. Nam decies & nouies 28. ſunt 532. Sciendum tamen, in Euſebio ad annum 7. Iuſtini aſcriptos eſſe à nato Chriſto annos 572. hi erunt à reſurrectione 539. ſupputatis 33 in ætatem Chriſti: & plures Nicephorianis 7. Reliqua collectio congruit. Nam ſi ad annos ab Adamo ad Chriſtum addas hos 532. & ætatem Chriſti an. 33. exit ille numerus ann. 6065.

SEQVVNTVR NICEPHORIANA.

TIberius ann. v. Mauricius ann. XX. menſ. IIII. cæſus. Phocas an.
VIII. cæſus. Heraclius an. XXXI. unà cum filio. Imperij huius an
no tertio Perſa Choſroes plurima loca occupauit Imperij Romani:
Hieroſolyma diripuit, & inflammauit uenerabilia loca. Et magnam
multitudinem captiuam abduxit, cum patriarcha Zacharia & hono
rabilibus lignis, in Perſidem. Anno XII. ipſius, Choſroes Perſa occi
ſus: & reuocata captiuitas, & uiuifica crux ſua in loca, cum inſtaurata
eſſent, repoſita fuit. Tum deinde Saraceni omnia uaſtare cœperunt,
anno Mundi ſexies milleſimo centeſimo XXVI. indictione VII.
Conſtãtinus, filius huius, an. XXVIII. Hic occiſus fuit in Sicilia. cuius *
tempore magna pars Imperij à Saracenis uaſtata fuit. Conſtans ne-
pos Heraclij ann. XVII. cuius tempore Byzantium à Saracenis ob- *
ſeſſum fuit. Et VI Synodus, XIII anno ipſius celebrata Conſtantino
poli. Hic fortiter ſe geſsit aduerſus Saracenos, repreſſo impetu illo-
rum, & ualde ipſis perterrefactis. Iuſtinus filius huius ann. X. Leon *
tius ann. III. Tiberius, qui & Abſunarus, ann. VII. Iuſtinianus Iſau- *
rus an. XXV. M. III. D. XIIII. Conſtãtinus filius eius an. XXXIIII.
M. II. D. XXV. Leon Chazares ann. V. Conſtantinus filius huius,
cum matre Irena, ann. X. M. II. D. II. Horum anno octauo celebrata
fuit Nicææ ſecunda Synodus ſanctorum patrum CCCL. Conſtan
tinus an. VI. M. IX. D. VIII. Irene mater ipſius an. V. M. II. D. XII.

Nicephorus an. VIII·M·IX· cæſus in Bulgaria. Stauracius filius huius M·II· Michael gener ipſius ann.I·M.IX·D·XI· Leo Armenes ann. VII·M.V·D·XV· cæſus in palatio, in templo ſanctiſs. Deiparæ. Michael alter ann. VIII·M·IX·D.IX· Theophilus huius F. ann. XII·M·III·D·XX· Theodora unà cum filio Michaele ann. XIIII·M·I·D.XXV·

APPENDIX.

Hoc loco concludit Chronologiam ſuam Nicephorus, facitq; iſtud ultimum ſuum tempus XIII. ita enim ille diuiſit. Quo miſerabiliter omnia in peius ruere cœperunt, & euerſa fuerunt politia, Eccleſiæ uaſtatæ in Aſia & Aegypto. Poſt ueritatis autem amiſſionem horribilē, indies noui aliquid erroris prouenit. & Romanus Pontifex iam etiam Imperatoria autoritate euectus, principatum ſibi quendam uendicare, & de hoc litigare cum alijs Epiſcopis. Obtinuit tamen tandē à bonitate Francorum (qua gente nulla fuit alia quæ maius pietatis ſtudium cum uera uirtute coniunxerit) ut caput quoddam eſſet rei Eccleſiaſticæ. quam poteſtatem ſemel occupatam Pontifices, contra eos à quibus adepti fuerant, poſtea conuerterunt, & pedibus Imperatores conculcarūt: donec iam illa immodica potentia & uis conſilij expers mole ruit ſua: cum magno, uel potius ultimo exitio quidem Reipub. uidentibus & patientibus penè uniuerſis, ſed iuſto iudicio DEI. Quod eſt illud à CHRISTO indicatū: Quia lux uenit in mundū, & præ luce adamauerunt homines tenebras. Quoniam autem hæc infinita potentia iam non modo Chriſti & Apoſtolorum doctrinam non tuetur, ſed cùm uita ac moribus infamat, tum aduerſando oppugnat: concidat cum hac, ſi aliter fieri nequit, & fractus illabatur orbis: Viuat autem & regnet IESVS CHRISTVS filius Dei, cum Patre & ſancto Spiritu, omnibus omnium ſeculorum ſeculis, Amen. Incidit in fundatam potentiæ Romanæ ſedem tempus impietatis Mahumetanæ, quod eſt ſine dubio ἀντιχρίστου, conantis euertere regnum & labefactare gloriam Chriſti. Quem celeriter profliget & ſternat filius Dei, Amen. Heraclius recepit τὸ τίμιον ξύλον. quem quidem non fuiſſe ὀρθόδοξον ſcripſere: ſed μονοθελητῶν hæreſi corruptū à Sergio Conſtantinopolitano, & Athanaſio Iacobita. Iam tum autem adorationis imaginum ſuperſtitio inuaſerat in ritus Eccleſiaſticos, de qua poſtea pernicioſa certamina exorta ſunt. Sed tum relatum fuit lignum Crucis in clauſa & obſignata arca: & metu Saracenorum, qui Iudææ infeſti imminebant, deportatum Conſtantinopolim, & ibi erectum atq; adoratum, cum Modeſtus Hieroſolymitanus & incorruptam clauſuram & ſignum integrum eſſe agnouiſſet. Ut autem pia ueneratio tam memoriæ hominum ſanctorum, quàm earum rerum quæ uel Chriſti uel huius martyrum recordationem excitant, & more recepta eſt, neq; ulla ratione improbari poteſt: ſic θρησκεία & cultus adorationis uel Sanctorum uel reliquiarum, idololatriæ manifeſtam ſpeciem habet. Nam ſi adoras ſimpliciter cathenas Petri, aut gladium quo ille amputauit aurē Malchi, cur non & eum laudas atq; colis qui ſtrinxit & alligauit, Petrū aut celebras laudib. factū Petri? Quî autē potes? cum & ille carnifex immanis, & hoc facinus grauiter reprehenſum atq; culpatū à Chriſto fuerit? Idem de omnibus

de omnibus ſimiliter dici poſſet. Sed nunc nihil eſt opus. CHRISTVS *Filius* DEI *aperiat oculos noſtros, ad contemplandam lucem ueritatis, & fugiendas tenebras mendaciorum, & uitandam idololatriam, Amen. Hoc addam τίμιον ſit ſanè, ut uocat Nicephorus, lignum Crucis, in qua Chriſtus pependit: non propter ſe, ſed quia Saluatoris noſtri filij Dei corpus contigit, & ſanguine conſperſum fuit: ut enſis, quo Iohannis aut Pauli caput amputatum fuit. Nam humana cogitatio organa cædis bonorum atq; innocentum etiam ipſa execrari, & fabricam illorum ad infeſta hominum uitæ numina quædam referre ſolet. ut Teucer facit, in balthei & enſis mentione apud Sophoclem.*

ἆρ᾽ οὐκ ἐρινὺς τοῦτ᾽ ἐχάλκευσε ξίφος,
κἀκεῖνον ἅδης δημιουργὸς ἄγριος;
Nonne hunc Erinnys fabricata enſem fuit,
Illumq́; Ditis ſæua perfecit manus?

Sit igitur lignum crucis Chriſti τίμιον, propter Chriſtum, ſed ζωοποιὸν ne appelletur: neq; tribuatur huic gloria, ſoli filio Dei, Deo uero debita. In Chriſto crucifixo gloriemur: Crucis lignum ne ſeparemus, & per ſe erigamus ad adorandum: ſicut & fieri & factum eſſe ſcimus, non modò per ſuperſtitionem manifeſtam, ſed turpes etiam atque pudendas fallacias. Verùm de his, ut quaſi ὁδοῦ πάρεργος, ſatis, uel etiam nimium. Quæ ſequuntur, edita quemadmodum reperimus, mendoſa ſunt, rebus nominibusq́; confuſis: atq; etiam mutila, ſiue ſcribæ uitio, ſeu autoris negligentia. Quapropter duxi pertexendam ſeriem illam Imperatorum, in qua hæret expoſitio Nicephori. Heraclij igitur anni ſunt 31. Qui morbo, quem uocant Latini aquã intercutẽ, deceſsit: cum etiam inguinis tentigo accederet. Huius filius Conſtantinus ſummã rerum tenuit annũ fermè unum, necatus ueneno à Martina nouerca & conſobrina. Martinæ cum filio Heraclona tribuuntur anni 2. Conſtans Conſtantini F. Heraclij N. ſecundum Zonaræ narrationes, Sergij & Pyrrhi ſequens dogmata, Maximum quendã præſtantiſs. uirum afflixit: & Romanum Papam Martinum exilio damnauit, quòd cum Maximo illo coacta Romæ ſynodo; Sergium & Cyrum execratus, μονοθελητῶν doctrinam impiam eſſe pronunciaſſet. Hic nauali prælio uictus à Saracenis, turpiter fugit. Suntq́; illi deinde, nemine prohibente, uaſtando omnia longè lateq́; prouecti. Tum & Rhodus capta, & celeberr. coloſſus Solis comminutus fuit: cuius ſtatuæ æs emptũ Iudæus quidam fertur auexiſſe, onus impoſitum camelis noningentis. Eodem tempore & terra multis in locis mota, horribiles labes fecit: Ipſe Conſtans fratre Theodoſio interfecto, Imperij ſui anno 27. ſex annis in Sicilia commoratus, in balneo urna impacta capiti interijt. Conſtantinus in Siciliam ad ulciſcendam necem paternam, & comprimendam ſeditionem profectus imberbis, redijt re bena geſta barbatus. ex eo nomen Pogonato factum. Hoc rerum potiente, Saraceni Cyzico ſtatione utentes, toto ſeptennio oppugnarunt Conſtantinopolim. Tum excogitatus eſt ignis ſub aqua ardens, πῦρ ὑγρὸν Græci appellarunt, à Callinico architecto Syro. Et ſunt induciæ factæ cum Saracenis, ſeu Arabibus, ann. xxx. Tunc & VI Synodus incoata. quam ſub Conſtante celebratã, in Nicephoreis perhibetur: falſò quidem, cum

in iſta Synodo affuerint uicarij Pontificis Romani Agathonis, & Conſtãs Romano papæ infenſus fuiſſe tradatur. Huius anni ſunt 17. In hac Synodo damnatum eſt μονοθελητῶν dogma: reconciliata Eccleſia Græca ac Latina: comprobatus ritus liturgiæ Euchariſticæ Romanorũ. Quæ ideo aſperſi, ut cogitaretur quò tum adeò prolapſa fuerit res Chriſtiana. Perhibentur tũ conueniſſe patres CCLXXXIX. In editis de hac Græcis Canonibus indicantur CCXXIX. Hanc Synodũ anathemati poſtea ſubiecerunt diſſentientes: freti potentia Imperatoria. Nam Philippicus Bardanes, interfecto iam Iuſtiniano Rhinotmeto, ſynodo illi eſt aduerſatus, τὰ ἐνθέως δογματισθέντα, δύο τοῦ σωτῆρος θελήματα καὶ ἐνεργείας μὴ ἀποδεχόμενος. Huic factioni præfuit Iohannes Conſtantinopolitanus, & Germanus Cyzicenus. Iuſtinianum ideo ῥινότμητον uocarunt, quia Leontij factio nares ei abſcîdit. Idem quibuſdam eſt Iuſtinus III. Leontius autem tenuit Imperium ann. 3. cui & ipſi ſunt nares præciſæ. Leontium ſequitur Abſimarus, Tiberius dictus. Hic Philippicum Nicephori patricij F. propter ſomnij uiſum, quo apparuerat aquila alas ſuper illo expandens, relegauit. Et poſt annos Imperij 7. captus à reſtituto Iuſtiniano eſt interfectus, unà cum Leontio. Iuſtinianus autem Imperator fuit ann. 17. interfectus à factione Philippici, amputante caput eius Elia prætore Cherſonitarũ, cuius liberos in matris ſinu iugulari iuſſerat Iuſtinianus, & ipſius nuptias iungi ſeruo coco, mancipio Indico. Philippico, ſabbatho Pentecoſtes, conſpiratione Senatus oculi eruti ſunt. Hic Imperator fuit ann. 2. Artemij Anaſtaſij tempus eſt an. 1. M. 3. Theodoſij Atramyteni, ann. 2. Leontis Iſauri, ann. 24. Huius filius fuit Conſtantinus: quem mirabiliter Græcorum narrationes lacerant, quod de hiſtorijs poterit cognoſci utraq; lingua editis. Abari illis temporibus, ſeu Abares, barbarica quædam natio, & ipſa uires ſuas proferre cœpit: eademq; appellata fuit Chazaris. Habuit autem principis in illa natione uiri Chagani ſororẽ Iuſtinianus Rhinotmetus coniugem, nomine Theodoram. Et eiuſdem Chagani filia nupſit Conſtantino, Leontis Iſauri F. qui quòd polluiſſet aquas baptiſmi, κοπρωνύμου cognomen inuenit. Et eam ob rem Leontem filium Conſtantini Chazarem, & Chazaræ ſeu Chazaridos ſobolem per ignominiã appellauerũt. Sub Iuſtiniano autem VI. Synodus perfecta, inq; ea & de ſanguine, ne ueſci hoc liceret, & ne pingeretur Baptiſta agnum digito oſtendẽs, ſed ut hominis imago Chriſtum referens exprimeretur, fuit decretum. Conſtantini Copronymi ſunt an. 34, M. 3. cum quibus numerantur anni duo, quibus Artabaſdus de Imperio cum Conſtantino decertauit, uel potius illud tenuit, Patriarcha & Senatu cum populo uniuerſo agnoſcentibus hunc Imperatorem, & deteſtantibus Conſtantinum. Leontis autem, qui Chazares fuit appellatus, ut diximus, anni ſunt 5: quem & ipſum aduerſatum fuiſſe acerrimè uenerationi imaginum, traditur. Conſecrauerat animo religioſo Imperator Mauricius, in templo magno ſpectati operis coronã precioſam: hanc geſtandi inceſsiſſe perhibetur Leontem cupiditas. cumq; eſſet capiti ipſius impoſita, ſubitò febre eum cœpiſſe laborare, & eſſe mortuum. Quam coronam coniux ipſius Irene, poſt mariti mortem, in templũ honorificè referendam curauit. Atq; nunc deinceps Nicephorea procedunt. Nicenum autem ſecundum Concilium, quod ſub

Conſtantino

Conſtantino ſtudio matris Irenes cõflatum perhibetur, quantũ tempore à priore abeſt, tantum etiam puritate deficitur. In hoc enim θρησκεία imaginum confirmatur, ſtudio ſuperſtitioſo patriarchæ Germani, ſub Leonte Iſauro, commota. cuius filius Conſtantinus cognominatus fuit, quemadmodum paulo antè eſt dictum, κοπρώνυμος. fortè enim accidit, ut uenter pueri ſolueretur, delati ad baptiſterium. Huius F. Leon fuit, quem Chazaren cognominat Nicephorus: cumq; hoc nupta Irene. Tum igitur illa cultura mortuorum ſanctorum, & oſsium atq; exuuiarum, & aliarum reliquiarum uſurpari immodicè cœpta, & contentione quadam utrinque peccatum fuit. Specioſum erat nomen in primis Beatæ & deiperæ Virginis, S. Crucis, & martyrum. itaq; omni uenerationis & cultus honore proſequendos eſſe, plauſibiliter dicebatur apud uulgus; præſertim tum auxilia horum omnibus implorantibus præſentia promitterentur. Docebantur ita tabulas & ſtatuas adorare, ut hoc ſigno quodam admoniti, ſpectarent ſanctos iam cum Chriſto regnantes, & illos colerent atq; inuocarent. De quo diſputare nunc non eſt propoſitum, ſed indicanda res fuit exempli cauſſa. Nam quantum hac contentione mali excitatum fuerit, ex hiſtoria temporum illorum patet. Aduerſati fuerunt dogmati quidam in aulæ potentes, ipſe etiam Imperator. Qui cum iritarentur aduerſante contraria factione, proceſſerunt, ut fit, etiam ipſi longius: uſq; adeò, ut de ſanctis mortuis, ne illæ planè diuina ueneratio confirmaretur, non dubitarent penè contumelioſe loqui. Hoc dum arripiunt ad exagitãdum defenſores cultus imaginum, planè Græco ritu quodam idola in Eccleſiam Chriſti introducere cœperunt. Nam quantam tragœdiam obſecro excitauit Germanus, cum eburneam crucẽ in mare deiecit, & aſtante multitudine exclamauit, Χριστὲ σῶσον σεαυτ. quam imaginem, fabulantur Græci delatã fuiſſe per Propontida, Helleſpontũ, Aegeum & Ionium mare in Tyrrhenum, & aduerſo flumine Tiberis Romam, & exceptam cum ſummis honoribus à Pontifice Gregorio. Sed uicit tum ſuperſtitio, & ſtabilita non modò inuocatio ſanctorum, & approbata προσκυνία ſeu ἔντευξις, quæ ſupplicibus uotis expoſceretur: ſed adoratio etiam illorum ad imagines, & loca dicata memoriæ eorum, ſancita fuit. Et decretum de hoc ipſo in iſta Synodò factum, in qua & ſubtiliter ſancti Spiritus proceſsio quaſi enucleata fuit. In ſumma, in ueritate religionis, & ſincera pietate, & cuſtodia utilium rituum, iam tum magnæ & horribiles ruinæ factæ fuerunt: neque correctio poſtea ſuſcepta, ſed malũ malo ſemper additum, donec eò perueniretur, quò cernimus, ut propemodum emendationi locus nullus relinquatur. Michaelus gener Stauracij cognomento κουροπαλάτης, non diu regnauit: factus Monachus. Leon autem Armenius huic ſucceſsit, bellator: ſed minus pius habitus, proptereà quòd imaginum θρησκεία repugnaret. Hic ob crudelitatem inuiſus omnibus, à Michaelo Traulo, qui & Amorræus, interficitur. Vocant Græci Leontem δυσώνυμον, & δυσσεβῆ. Michaelum autem & ipſum aduerſarium fuiſſe culturæ imaginum (Græci εἰκονομάχους hos appellarunt) & ἀπαίδευτον καὶ ἀμαθῆ σφόδρα, perhibent. Et multo magis filium huius Theophilum: qui ſauus admodum fuit, inſtigatus à patriarcha Iohãne erga cultores imaginũ, adeò ut hunc crudeliter perſecutum fuiſſe Eccleſiam tradant, & conuicia huic maxima faciant, &

Iohannem patriarcham incantatorem, & alterum Balaam atq; Apollonium appellitent. Tanta certamina tum de Imaginibus fuerunt, Religionis noſtræ ſanctiſſ. pondere in his nugis ſubſidente, ὡ̓ ἐπιπολαζούσης ἀεί τινος ἐθελοθρησκίας καινῆς. Non perſeuerauit Theodora in patrocinio dogmatis εἰκονομάχου. Sed hæc à filio Michaelo exuta regno, & intruſa in monaſteriũ fuit. Michael autem Pontif. Romanum muneribus placauit. Extat ſcriptum titulo Iohannis Damaſceni de Veneratione imaginum, indignum fama pietatis & doctrina illius. Incredibile autem eſt, quantopere breui interdum tempore errores maximi corroborentur, hominum contentioſorum peruicace ſtudio: præſertim ſi Religionis opinione uulgi animi occupentur. Itaq; cùm alibi, tum maximè in Eccleſia, res eſt pernicioſa inprimis propriæ ſentẽtiæ & peculiaris cogitationis aſſertio atq; defenſio. In quo qui nimij ſunt, ij à Græcis ἰδιογνώμονες uocantur: ita parati, ut abſurda abſurdis cumulare potius ſtudeant, quàm concedere alteri, aut admittere quod ſemel comprehenſis, quamuis & futilia aliquando illa & inexplicabilia reperiantur, aduerſari intellexerint. Uſq; adeò ſua probari lætãtur, & dolẽt improbari. Deteriora autẽ ſunt omnia, ſi fortè accedant aliæ etiam cupiditates, cumq; his propenſio gratificandi aliquibus, & aſſentandi impudentia. Sed, nimis enim longè euagatur iſta diſputatio, pergamus ad reliqua.

NICEPHORVS.

COlliguntur anni hoc modo, ut ſequitur. Ab Adam uſq; ad diluuium, anni bis mille ducẽti quadraginta duo. A' diluuio uſq; ad turrim Nemroth, anni quingenti uigintiquinq;. A' turri uſq; ad dimidiationes Abrahã, anni quadringenti uigintiquinq;. A' dimidiationibus uſq; ad finẽ Abraam, an. LXXVI. Vniuerſi anni ter mille ducenti ſexaginta octo. Ab Abraam uſq; ad egreſsionẽ Iſraelitarũ, anni quadringenti triginta. Ab egreſsione uſq; ad ædificationem templi Domini, anni ſeptingenti quinquaginta ſeptem. Ab ædificatione templi uſq; ad captiuitatem, anni quadringenti uigintiquinq;. Vniuerſi anni quater mille octingenti octoginta. A' captiuitate ad Alexandrum, anni trecenti decem & octo. Ab Alexandro uſq; ad Chriſtum, anni trecenti tres. Vniuerſi anni quinquies mille quingenti. A' Chriſto uſq; ad Conſtantinum Magnum, anni trecenti decem & octo. A' Conſtantino ad Theophilum, Indictione quinta, anni quingenti triginta. Vniuerſi anni ſexies mille trecenti quinquaginta.

APPENDIX.

Hæc eſt conſummatio, qua ferè Græci uſi fuerũt. ſed cum temporũ diuiſione Nicephoriana nõ ubiq; congruit: quod, qui uolet, ex ſuprà relatis facile poterit cernere. Et nos exponemus paulo pòſt κεφαλαιωδῶς. Dimidiationes autem ſunt διχοτομήματα, Geneſeos capite XV. ubi uictimas iubetur Abraam in duas partes diſſecare, & bifariam diſponere. Hoc cum ex narratione factum eſſe colligatur ante annum illius LXXXVI, hic confert in annum C. quia poſtea tribuit Abraamo annos LXXVI. Uixit autem Abraamus annos uniuerſos CLXXV. De hoc igitur

& illo

& illo ipſe uiderit. Sed iam, ut ſumus policiti, referamus ea quæ in Suida leguntur in nomine ἀδὰμ. Ab Adam ad diluuium, anni ſunt 2242. A diluuio ad turris extructionem, anni 525. A turris extructione uſq; ad Abraam, anni 425. Abraam uixit ann. 175. Hinc anni ſunt ad egreſſionem ex Aegypto, 430. Ab egreſſione uſq; ad ædificationem templi Salomonis, anni 757. Ab ædificatione templi uſq; ad captiuitatem Iſraelitarum, anni 425. Uniuerſi anni 4880. A captiuitate ad Alexandrum regem Macedoniæ, anni 318. Ab Alexandro uſq; ad CHRISTUM *Deum noſtrũ, ann. 303. Uniuerſi anni 5500. A Chriſto uſq; ad Conſtantinum Magnum, an. 318. A Conſtantino M. uſq; ad Michaelum Theophili F. anni 555. Uniuerſi anni 6375. A Michaelo uſq; ad Romanum, filium Conſtantini cognomento πορφυρογεννήτε, reperiuntur anni 120. Hinc uſq; ad mortem Iohannis cognomento Zimiſcis, anni 25. Hæc conſummatio fermè cum Nicephorianis congruit, ſed per tempora diuiſio diuerſa eſt. Nam ab Adam ad egreſſionem Aegyptiacã collegit ille an. 3829. hic ſunt 3698. Hinc uſq; ad Salomonem, ibi reperiuntur anni 630: hic 746: ſi ponamus ædificationem confici anno undecimo Salomonis. A Salomone, ibi ad captiuitatem ſunt anni 445, hic 436. A captiuitate ad Alexandrum, ibi 267, hic 318. Ab Alexandro ad Chriſtum, ibi 329, hic 303. Iam à Chriſto ad Iohannem Zimiſcen, in Suida reperiuntur anni primùm 555. A Conſtantino M. ad Michaelum Theoph. F. & conſummantur deinde cum annis inter Chriſtum & Conſtantinum interpoſitis, anni 875: cum tamen ex diſtributione temporum exeant tantum 873. Addit ille ad Zimiſcis uſque mortem annos 145. Ergo erunt à Chriſto ad Zimiſcen mortuum, anni 1018: qui reperiuntur in Chronicis uulgatis 977. id eſt, pauciores ann. 41. Cum autem nos uideamur exquiſita obſeruatione ducere hunc annum 1547 à ſalutifero* CHRISTI *partu, eſſent ſecundum Græcorum rationem, qui ab origine Mundi ad Chriſtum numerant ann. 5500, nunc anni 7047. Hebraica autem ratio de diuiſione temporum collecta, habet annos 5500. Altera annos illos hebdomadum 490, à Cyro ad Chriſtum indiſtributè colligens, habet annos 5654.*

Ab origine mundi uſq; ad hunc annum à Chriſto nato 1547, τῆς γερμανίας τεγακτήρ,

Secundum Græcos ſunt anni 7047.

Secundum Hebræos, ut quidam collegerunt, anni 5654.

Inter hos differentia 1393.

Secundum Hebræorum annorum collectionem alteram 5500. Inter hos & priores ann. 154.

Inter hos & Græcos ſunt, ann. 1547.

Ne quid tamen diſſimulem, indicandum eſt & hoc, Hieronymum collegiſſe ab Adamo ab Alexandrum annos 3634. cum cuius numeri expoſitione conſentire putantur quamplurimi. Hic deficitur à noſtro, in quo conſummantur anni 3640,

annis 6. Euſebius ab Alexandro ad Chriſtum numerat ann. 329. quem diligentes χρονολόγοι comprobant. Ab hoc deficitur ille noſter annis 16. conſummantur igitur de Hieronymi & Euſebij numeris, ab Adamo ad Chriſtum, anni 3963. qui noſtro maior eſt annis 10. M. LVTERVS, homo & peringenioſus & mirabiliter diligens, & ualde doctus, collegit ab Adamo ad Chriſtum annos 3960. Picus collegit ann. 3962. Ita apparet, inter eos quibus & cordi & curæ res fuit, & non defuerunt adiumenta literarum atq; artium, uerſari in non magno diſcrimine hanc rem. Illosq; annos in menſium intercedentium numero, aut aliqua gentiū diuerſarum uarietate contineri atq; implicari. Nam Pauſanias ſcripſit, Eleos duas Olympiadas de Catalogo remouiſſe, qui ſunt anni 8. & tempora uarie conciſa ac aucta, dierum, menſiū, annorū numeris, conſtat. Quo loco nō poſſum explicare, quid ſit quod libro priore contra Appionē ſcribit Ioſephus, ſe complexū eſſe libris ſuis de Antiquitate Iudæorū annos quinquies mille, cū ipſe fateatur ſe deduxiſſe hiſtoriam ad an. x11 Neronis. Sint enim, ut oſtedimus Ioſephū tradidiſſe, ab exitu ad ædificationē templi an. 612, & hinc uſq; ad captiuitatē an. 490, M. 6. D. 10: & captiuitatis an. 70. & deinceps à ſecundo anno Cyri, anni ducēti quadraginta ad mortē Alexandri, hinc ad Chriſtum ann. 324. qui naſcitur in terris anno 42 Auguſti. reſtant anni 14. M. 6. Tiberij autem anni ſunt 23. Caij ann. 3. M. 10. Claudij ann. 13. M. 1. Neronis ann. 12. Ad exitum autem ſeu egreſſionem ex Aegypto, à prima Mundi origine numerus annorum apud Hebræos incertus non eſt. Ita colliguntur uniuerſi tamen anni, non plures ann. 4256. Quòd ſi retinere placet Luteri numerum 3960 annorum, à quo animus nequaquam abhorret, additis 1549. qui ad noſtram ætatē (iam biennio, ex quò iſta ſcribere cœpimus, confecto) uſq; à Chriſto nato præterierunt, ducetur nunc annus à mundi origine 5509. Et erit climacter hic ſeptenarius. nam ſepties 787, ſunt 5509. In quo hoc notandum, quòd ſeptem utrinque octonarium includunt, quorum numerorum commiſtio à Pythagoricis myſtica habita: propterea quòd, ut Cicero ait, uterq; plenus, alter altera de cauſſa habetur. Et ſolet hæc commiſtio max. uirorum fatales ſummas, circuitu naturali conficere. Præterea hæc ipſa 787. diuiſa per 7. qui eſt planetarum numerus, relinquunt 3. Præterea quadratur 28 in 784. Quibus ſi 3 addas, idem numerus 787 cōpletur. Iam faciamus 5508. erit hic climacter nouenarius. nouies enim 612. conficiūt 5508. Sed 612 ducta per 9, præciduntur per 7, relinquunt 3. Conſtat autem magnam eſſe uim τῶν κλιμακτήρων ad mutationem rerum omnium: ut hominum uitæ, ſtatus, fortunarum. Tertius autem planeta numeratur Mars, qui & πυρόεις. Sed 28 & reliqua ſcrupula lunarem habent indicationem, cuius motus conficitur diebus 28, & triente. Ita apparet, impendêre grauem & memorabilem mutationem orbis terrarū, in qua furore & leuitate omnia referta ſint. Non uirtus, non ueritas, non fides uulgò quærenda: ſed ignauia furioſa, mendaciorum ſtudium, fraudulentia, quaſi procellæ quædam concutiēt & exagitabunt Remp. præſertim cum horum malorum & aliæ ſignificationes extent. In quibus difficultatibus & tam atroce tempeſtate, niſi affulgeret beneficio propitij Dei lux Euangelij, & flammula, uel etiam ſcintilla quædam S. Spiritus, ἀναζωπυρουμένη in pijs ſtudio ueritatis, micaret,

nulla

nulla eſſet ſpes ſalutis. Nam quocunq; conuertas oculos, & quancunq; Reip. partem contemplere, πάντῃ κακὸν κακῷ ἐστήρικτο, & (ut ait Tragœdia) ἐπ' ἄλγεσιν ἄλγεα κεῖται. Oremus igitur filium Dei, Dominū noſtrum IESVM CHRISTVM, *ut mitiget ærumnas, & protegat paruulum gregem, & defendat exiguum cœtum Eccleſiæ ſuæ in terris. & ut liberet nos tandem, ῥυσάμενος ἐκ τοῦ πονηροῦ: cui regnanti cum Patre & S. Spiritu, uni, ſoli, uero, æterno, iuſto, miſericordi, omnipotenti Deo, ſit laus, honor & gloria ſine fine, Amen. Hæc πεφιλοσόφηται ἡμῖν, non ut opinor prorſus ἀκαίρως. Sed ut ineptiiſſe exiſtimemur, hoc certè lucri fecimus, quòd inter hanc ἀριθμητικὴν πραγματείαν quaſi aberrauit animus à triſticia cogitationum aliarum. Quod ſi hæc numerorum explicatio minus momenti habere creditur (nam ne nos quidem ignoramus, leuem hanc rationem uideri poſſe) at ualeāt & moueāt animos noſtros, cùm ea quæ geſta his annis aliquot ſunt, tum quæ modò fiunt: tum etiam quæ impendêre intelligit, quiſquis eſt qui non modò poteſt aut uult oculos intendere, ſed manibus etiam contrectare. Nam ſecundum Homerum, ἢ κ' ἄλλος δὴ τοῦτο διακρίνει τὸ σῆμα, ἀμφαφόων. Hactenus igitur de his. Nam fata uiam inuenient. Atq; hic diſputationis hac in parte Chronologicæ noſtræ finis eſto.*

Ut ad Nicephoriana autem reuertamur, deduxit ille ſeriem Imperatorum uſque ad Theophilum & Theodoram, & aſcripſit annum ſexies milleſimum trecenteſimum quinquageſimū, congruentibus temporibus cum narrationibus aliorum: qui Michaeli cognomento corrupti nominis Curopalatæ, quòd ex palatij curatore Imperator eſſet factus (nomen enim fuit alterum Rancabe) ætati aſcripſere annum ſexies milleſimum trecenteſimum uiceſimumſecundum. Sunt qui κουροπαλάτην ſignificare uelint puerum Imperatorium, quaſi κοῦρον παλατίου. Sed omnino κουροπαλάτου nomen muneris & dignitatis fuit, quam φυλακὴν τῆς αὐλῆς uocat Euagrius, in Iuſtino. Breue autem Michaeli Rancabæ iſtius regnū fuit: cui cum multis prædictionibus ſignificata eſſet oppreſſio, & ipſe tamen magnopere diſſuadentibus amicis, reliquiſſet ad exercitum Leonem Armenium, primarum copiarum (πρῶτον θέμα tum nominarunt) ductorem, iam etiam ancillula domeſtica uaticinatrice, ex eorum genere quæ πυθώνιαι fuerunt appellatæ, hæc igitur ſæpe magno clamore Imperatorem iubente egredi atque diſcedere: quæ & Theodoto, à quo proditus Imperator fuit, fertur ſucceſſorem Leonem Bardæ F. ex Armenia, & ulterius ex Aſſyria oriundum, demonſtraſſe, occurſurū ipſi ad arcem in mula: Leo igitur iſte Michaelem in palatio oppreſſit, & monachum fieri iuſſit. Cumq; imaginum uenerationi aduerſaretur, Theodotum idem ſentientē Patriarcham fecit, eiecto Nicephoro. Hoc Leone ferijs natalicijs CHRISTI IESV *in templo fraude inſidioſa crudeliter obtruncato, cum autores cædis ornatu ſacerdotali ingreſſi fuiſſent, Michael cognomento Traulus è carcere productus, cum compedibus in ſolium regium collocatur. Phryx hic fuit Amorieus. Ea nocte qua fuit interfectus Leo, nauigantes in mari audiuerunt uocem in aere, indicem mortis illius, cum hæc uerba pronunciarentur, ὅτι ὁ λέων τῇδε διαπεφώνηκε. Mirificum ſtudium fuit illis temporibus cognoſcendi futura: quæ ferè ſolebant à monachis prædici, qui di-*

uinitùs

uinitùs iſta facultatē credebātur præditi, cum dolis & fallacijs ſæpenumero circum
uenirentur ſimplices. Sed & alia genera diuinationum uſurpabantur, ut undique
uita pleniſſ. eſſet ſuperſtitionibus, & erroribus uarijs. Prodigia etiam & portenta
crebra nunciabantur. In primis Curopalatæ temporibus Cometa apparuit, luce &
ſpecie mirabili. hoc alij in Leonis tempora oſtentum retulerunt. Figura fuiſſe tradi
tur huius ſideris ſimilis duplicis lunæ, perſpicuè concurrentis & diſcedentis, cumq́ue di
uerſæ formæ effingi uiderentur, inter has & ſimulacrum hominis ſine capite ſeſe ui
ſum eſt exhibere: quo cùm aliæ calamitates & quaſi obtruncationes imperiorum
ſignificatæ putantur, tum doctrina quæ Eccleſia afflixit grauiſſimè, non modo Sa-
racenica, ſed etiam Monachorum, planè caput amputantium illius qui eſt CHRI
STVS IESVS filius Dei: cuius Saraceni naturam, Monachi dignitatem con-
cidere ſunt aggreſſi. Fuere tum celebratæ & Sibyllinæ uaticinationes. Et libri nota
rum quidam coniecturas multorum exercuerunt: has Græci βίβλȣς συμβολικάς
nominant. De quorum librorum unius ſignificatione, Leonem cognouiſſe diem &
genus mortis ſuæ accepimus: quòd notaſſet inter duas literas χ & φ, expreſſam fi-
guram Leonis qui iugularetur. Nam & in iugulum Leonis ab interfectore enſis de
fixus fuit: & accidit hoc, ut diximus, ferijs natalicijs Chriſti, noctu luminibus accen
ſis atque fulgentibus: ut ad Chriſti naſcentis lumina cædem illam factum iri demon
ſtraretur, id eſt, κατὰ τὰ χριστȣ̃ φῶτα, ἢ χριστοφάνια. Leone interfecto, Mi-
chaelus factus Imperator, ut eſt indicatum, moritur morbo ueſicæ & renum, & dif-
ficultate urinæ, quæ ſunt πάθη νεφριτικὰ ϗ δυσȣρίαι. Succeſſit huic filius
Theophilus, ad cuius nimirum regni finem annos collegit illos 6350 Nicephorus,
cum & indictionē quintā ipſe aſcripſerit, & in hiſtorijs legatur hæreditatē Imperij
paterni adijſſe Theophilū, anno ſexies milleſimo trecenteſimo triceſimooctauo. Hæc
ſanè cū ſuperius collectis & poſitis annis non penitus congruūt. Nam ſi CHRISTI
IESV annum, ut Nicephorus retulit, faciamus 5500: & addamus illos 1547 eius
temporis quo iſta componere inſtituimus, quemadmodum ſuprà eſt indicatum, exi-
bunt anni 7047. Sin ad finem Imperij Theophili, indictione quinta, qui erit ſci-
licet 13 annus illius, ponamus iſtos ann. 6350, cum ad hoc tēpus aſcribatur in Chro-
nicis editis annus Chriſti 842, unde reliqui ſunt ad annū Chriſti 1547, anni 705.
Additis his, illis 6350: conficiuntur ann. 7055. Differentia eſt, ann. 8. Iam ſi pla
ceat ad ultimum Theophili annum illos 6350 attribuere, accedent anni 2: cum il-
lius Imperium annis 15 definiatur, eritq́ue iam differentia ann. 10. Quinetiam ali
bi à Græcis annos hos aliter quoque numerari reperias. Sed aliquoties iam dictum eſt,
exquiri omnino, & quaſi ad unguem præcidi iſta non poſſe: ut diſcrimen eſſe an-
norū ſanè 10, tam longo tēpore, uel propter memoratas, uel ob alias quoque cauſſas, mi
randum non eſſe uideatur. Sed ad rem. Theophilus tabeſcens inter alui fluxio-
nes & tormina, quæ ſunt δυσεντερικὰ νοσήματα, moritur iuuenis, IIII. CL.
Ianuarij, relicto gubernationis munere filio Michaelo & coniugi Theodoræ.
Michael Bardæ cognati calumnijs inductus, matrem à gubernatione remouet, &
monaſterio includit unà cum filiabus, ijſdemq́ue ſororibus regijs, cui nomen μονὴ τῶν
γαστρίων: interfecto prius Theoctiſto, quem aduerſaturum eſſe ſciebat actionibus
iſtis. Bardus

iſtis. Bardas enim inculcauerat Imperatori, matrē hoc agere, ut conciliatis ſibi aut uni filiarum nuptijs, ipſum regno ſpoliet, effoßis oculis. Sed idem Barda, autore conſpirationis aduerſum eum genero Sabbatio, nono anno Imperij Michaeli iam Ceſar deſignatus, crudeliter in cōſpectu Imperatoris occiſus, & fruſtra corpus illius diſſectum fuit. Huius facinoris autorē & patratorem fuiſſe Baſilium qui Michaelo ſucceßit, & ab eodem eſſe Michaelum interfectum, Zonaras ſcripſit. Hunc exitum Manuelum, praſtantiſſ. in aula Imperatoris uirum, Bardæ, cum Theoctiſtus interficeretur, ſcribunt prædixiſſe. Eiusq; quaſi uaticinationis uerſus memorantur:

σπάθην γυμνώσας Βάρδα τοῖς ἀνακτόροις,
σαυτοῦ γυμνώσεις εἰς τομὴν τοῦ σαρκίου.
In Regia enſem Barda ſi nudaueris,
Nudabis ipſe in corporis cædem tui.

Hic tamen Barda ruinam opt. diſciplinarum atq; artium impendentem Græciæ auertit, cum nō longè abeſſet quin omnis doctrinæ eruditio extingueretur. Qui tum perfecit, ut publicè docerentur bonæ literæ & philoſophia, conſtitutis munificentia Imperatoria mercedibus, ijs qui docerent. Horum princeps nominatur Leo, quem παμφιλοσόφου appellatione ornant. Hic & interitū Bardæ prædixit, & futurum Imperatorem Baſilium quaſi digito demonſtrauit. Succeßit autem Michaelo, cuius ſolius Imperio Zonaras tribuit ann. XI. cum matre confectis annis XIIII. ut retulit Nicephorus. huic igitur ſucceßit Baſilius gente Macedo, de paupere & obſcuro ad Imperium euectus: cum tamen & ſpecie liberali, & uirtutis laude Imperatori conciliatus fuiſſet, & deſignatus Ceſar. Mater Adrianopoli profecturum Conſtantinopolim ægrè dimiſit: neque dimiſiſſet, niſi ſomnio oblato. Uiſa enim fuerat uidere ingentem arborem enatam in domo ſua, cuius ſtirps & rami auro fulgerent. Et cognouerat cum alijs pueris, ludenti filio aduolaſſe aquilam, ſupra ipſum alas expandentem. Baſilium hunc ſunt qui uelint genus ab Arſacidis, atq; adèo Alexandro Magno duxiſſe. Et comparant cum ueteribus Heroibus, in eo etiam collaudando inepti. Tantum autem abeſt ut fateantur conſcium eum fuiſſe cædis Imperatoris, ut magnopere etiam aduerſatum eſſe ſcribant. Sed factio quæ Bardam ſuſtulerat, cum Michaelo quoq; infeſta eſſet, neq; ignorari hoc ſciret, cædem illam fecit, ne uel commißi in Bardam, uel etiam cogitati in Imperatorē ſceleris pœnam perſoluerent. Baſilius tamen occaſionem uſurpandi Imperij non neglexit: ſed, quòd Cæſar iam eſſet deſignatus, interfecto Michaelo, Imperator ipſe ad ſolennia uota proceßit. Eundem Baſilium & pietate cæteris præſtitiße tradunt quidam, & pauperū curam in primis ſuſcepiſſe, inq; his alendis munificum fuiße, inſtauratis ijs locis in quibus ægroti & ſenes curarentur, & ubi paſcerentur mendici. Græci idoneo ad duplicāda uerba ſermone νοσοκομεῖα, γηροκομεῖα & πτωχοτροφεῖα appellant. Et nominātes hunc θεόστεπτον καὶ μεγαλουργὸν βασιλέα, id eſt coronatum diuinitùs & magnificum Imperatorem, poſt caſum quendam uenationis fluxionibus alui contabeſcentem cum ardens eum febris inuaſiſſet, ita uitam ſuam finiße tradunt. Hæc à me uerboſius expoſita ſunt, quòd reperta in libro uetere quodam neſcio cuius autoris, apud alios extare non meminiſſem. Hunc Baſilium

ſilium Imperatorem fuiſſe perhibent ann. XIX. Cui filius ſucceſſit Leo, quem Zonaras ſcripſit à quibuſdam pro Michaeli filio eſſe habitum, quòd prægnans Eudocia ab Imperatore collocata fuiſſet Baſilio. Sed hunc ſermonem maleuolorum fuiſſe credibile eſt: præſertim cum idem Zonaras meminerit Conſtantini, ut natu maioris inter filios Baſilij. Leonis regno tribuuntur ann. XXV. M. III. Poſt quem frater ipſius Alexander imperio illuſit, ut Græci aiunt, ann. I. M. I. Conſtantini, filij Leonis, qui patruo ſucceſſit, ætatis & Imperij tēpus unum eſt: ſed non ſincerum, tractantibus gubernacula alijs. Nato hoc ann. VII. cum pater moreretur, ſumma rerum penes Alexandrum fuit. Neq; mater à gubernando abſtinuit. Romanus autem Lacapenus Conſtātini Imperium quaſi interpolauit annis XXVI. quibus nomine tantum Conſtantinus fuit Imperator, re ipſa Romanus. Quo depulſo, ann. XV. Imperator fuit Conſtantinus. Sunt igitur huius cum patruo matre & Romano anni XLVII. Romanus Conſtantini F. cognomento παιδίον, male gubernauit an. III. ſuſpicio fuit dati illi ueneni, ſed res incerta. Hinc alieni regnarunt duo: Nicephorus Phocas an. VI. M. VI. & Iohannes Zimiſces annis menſibuſq; totidem. Tum redijt deinde Imperij dignitas ad Baſiliū, Romani cognomento Pueri F. quem ſcribunt huic præfuiſſe diutius an. L. Poſt quem Conſtātinus frater Baſilij Imperio inſultauit, ut Græci loquuntur: id eſt, κατωρχήσατο τῆς βασιλείας ann. II. M. XI. cui ſucceſſit Romanus cognomēto Argyrus & Argyropolus, cuius ſunt ann. V. M. VI. Michaeli Paphlagonis tempus ſuperat annos VII. Michaelis Calaphatæ, futilis hominis, menſes ſunt IIII. D. V. Zoes & Theodoræ menſ. III. Conſtantini Monomachi ann. XII. M. VIII. Rurſum Theodoræ ſolius ann. I. M. IX. Michaeli ſenis cognomento Stratiotici ann. I. Iſacij Comneni ann. II. M. III. Conſtantini Ducæ ann. VII. M. VI. Eudociæ menſ. VII. Romani Diogenis ann. III. M. VIII. Michaelus Parapinaceus Ducas Imperator fuit ann. VI. M. VI. Nicephorus Botoniates ann. III. Hinc ad Comnenos Imperium redijt, cui Alexius præfuit ann. XXXVII. M. IIII. S. Et aſcribunt huic ætati Græci annum ſexies milleſimum ſexcenteſimum uiceſimum ſextum, max. motuum tempori, concitatis Principibus uiris & cæteris ad cupiditatē mirificam recuperādæ Syriæ: quo Hieroſolymis receptis, primus ibi Rex eſt declaratus Godefridus Bullionius, ſeu Bullionenſis. Indicatum autem Græcorū tempus de expoſitis annis propemodū colligitur. nam unum alterum'ue, aut plures etiam deficere, eo minus mirum, quòd ipſi qui indicarunt tempora non eſſe exquiſitè indicata, illa confitentur. Omnino incidit tempus Botoniatæ in annū Chriſti M. LXXIX. Sed quidam tradidere, huius Imperatoris ſororem in matrimonium collocatam fuiſſe Dominico Siluio Duci Venetum, Anno Chriſti M. LXXVI: fœminam excellente forma, & uenuſtate corporis incredibili, & mirificè delicatam: adeò ut cibum non niſi minutè conciſum tubulis aureolis attraheret, & nunquam aliter quàm aut cœleſti roris aqua collecta, aut roſacea lauaret. quæ tandē fœdo & horrendo morbo, mēbris omnibus puteſcentibus interierit. Id quod neq; narratione indignum, & propter temporis paululum diſcrepantis indicium putauimus adiungendum. Sequuntur anni Iohannis, Alexij F. XXIIII. M. VIII. Huic cognomentum fuit ſignificationis elegantis, parum

elegan

*eleganter compoſito nomine Caloiannis. Manuel F. Iohannis Imperator fuit an.
XXXVII. M. IX. moriens exutis ueſtibus Regijs, induit uiles monachorũ. cuius ſcri
ptor Sacri belli, memoriã exquiſitis laudib. proſequitur: cum tamen alij, interq́ hos
Græci, ingenio malo atq; fraudulento eum, & multis uitijs contaminatum fuiſſe
perhibeant. Filius huius Alexius, alieno arbitrio puer, Imperator fuit ann. III.
Hunc crudeliſſ. curauit obtruncandum patris ipſius Manueli frater patruelis An
dronicus: qui penè biennio potitus rerum, crudelius ipſe interficitur, admodum ſe-
nex. Iſacij Angeli ſunt ann. IX. M. VII. fratris Alexij, qui Imperatore oculis
priuato occuparat Imperium, ann. VIII. M. III. D. X. Alexius Iſacij F. ope
Venetum, ad quos cõfugerat, cum urbis & Imperij max. cladibus pulſo Alexio pa
truo, unà cum Iſacio patre ad Imperiũ reuocato, menſe Imperij VI. die octauo, inter
ficitur ab Alexio Duca, cognomento MurZiphilo. ſic autem æquales hunc uoca-
rant, quòd ſupercilia crebrò contrahere, ueluti ſuſpenſa ad oculos, ſoleret. De quo po
ſtea in fuga à ſuis prius oculis priuato, Conſtantinopolimq́ retracto, iudicioq́ condem
nato, ſuppliciũ crudele ſumptũ. Oculis autẽ eum priuauerat ſocer Alexius. Conſtan
tinopolis tum à Francis & Venetis occupata fuit, cõſtituto rege Balduino. cui anno
aſcribitur à Græcis, à mundi origine annus ſexies milleſimus ſeptingenteſimus duo-
decimus: à Latinis, à CHRISTO IESV nato in terris M. CC. II. Franci in Græ-
cia Imperiũ tenuerunt annos circiter LX. Hi ita diſtinguuntur. Balduini, cum in-
terregno (captus enim ab hoſtibus, & per ſummos cruciatus ſcribitur hic eſſe inter-
fectus: neq; antè ſucceſſorem lectum, quàm mortuum illum conſtaret) Balduini i-
gitur anni ſunt V, Henrici fratris eius an. XI. Petri, & interfecto hoc, coniugis, an.
XI. Roberti anni fermè XIIII. Balduini II. & ultimi, ann. penè XX. Sunt
autem hæc tempora, & quæ ſequuntur, quod ad Græcas res attinet, ἀνιστόρητα. Ne
que certæ diſertæq́ de his narrationes extant ullæ. Michael Palæologus recupe-
rauit Imperium lacerum & diſſipatum Græcorum: de quo dum contenditur, tam
ipſorum Græcorum quàm Latinorũ, & in primis Venetorum, quorum ſocij Fran-
ci erant, & Genuenſium armis, res Chriſtiana fracta debilitataq́, ac planè ener-
uata fuit, ut poſtea Turcorum uiolentiam nuſquam locorum & gentium ſuſtinere
poſſet. Huic Michaeli tribuuntur anni XLV. Andronico ſucceſſori ann. XV.
Hoc Imperium Romani nominis tenente, Imperium nouum Turcicum conſtituit
Othomanus, anno Chriſti M. CCC. ante illum confuſa appellatione Turcarum, gen-
tis antiquæ Scythicæ, cuius & Herodotus meminit, cum Saracenis & Perſis.
In cæteris tempora non indicãtur. Sed conſtat, à Michaelo Palæologo ad finem Im
perij Græci capta Conſtantinopoli à Mahometo Turco, cum Conſtantinus ultimus
Græcorum Imperator occubuiſſet, non pauciores interceſſiſſe annos, annis centum
nonaginta duobus. Captam urbem pleriq; ſcripſere anno Chriſti M CCCC LIII.
Pius Senenſis anno LII. Neq; diem omnes eundem expugnationis tradiderunt.
Sed notentur Germanorum etiam Imperatores, Imperio diuiſo Conſtantini & Ire-
nes tempore. Tum enim Conſtantinopolitani Imperatores appellati fuere Imperato-
res Orientis, & Germanici Occidentis: Conſtantinopolitanis quidem nomen Roma
norum pertinaciſſ. retinentibus: & alteram partem Imperij tenentes, appellantibus*

Latinos: cum iam illi ne Græci quidem eſſent, Romaniq́; fuiſſent nunquam. Temporibus igitur Conſtantini Leonis F. & matris eius Irenes,

Tum demum Heſperiæ regnum ſe ſcindit Eoo,
Alteraq́; Imperio eſt pars data Magne tuo.

Quemadmodum opt. & doctiſſ. uir Iacobus Micyllus fecit. factusq́; eſt Imperator in Occidente Carolus Pipini F. cognomento Magnus. Hic cum Francorum regnum adminiſtraſſet ann. XXXIII. à Leone Pontif. Rom. qui ſucceſſerat Adriano, Imperator eſt ſolenni ritu conſecratus, acclamante multitudine læta, & Imperij titulos illi tribuente. Conſpirauerant in Leonem Pontif. quidam, & capto iuſſerant oculos erui. Quibus tamē hoc negotium datum fuerat, ij cruentos quidem uulnerando oculos fecerunt, ſed pepercerunt luminibus pontificis. Itaq; uiſus ei ademptus non eſt. De quo fabulam poſtea ſparſerunt quidā, uiſum Pontifici diuinitùs reſtitutum fuiſſe. Hic Leo Carolo Pipini F. (cum prius eo anno, quo Leo deceſſit Conſtantinopoli, relicto Imperio Conſtātino filio, anno poſt CHRISTVM IESVM natum DCCLXXXI. Carolum Pontif. Adrianus regem feciſſet Italiæ, quod aduerſus Longobardorum uim Romam eſſet tutatus) Carolo igitur huic Leo Pont. claues & uexillum urbis Romæ miſit in Germaniā, & poſtea natali CHRISTI IESV Romæ eum Imperatorem eſſe iuſſit, legitima conſecratione peracta anno CHRISTI IESV DCCCI. Regni Francici ipſius XXXIII. Tum ſunt legati Romam ab Irena miſſi. Sed rediere, Imperatore iam facto Nicephoro, qui depulſa Irena occupauit Imperium anno Chriſti DCCCII. Et ſuos etiam legatos miſit ad Carolum de pace facienda: de qua & conuenit. Traditur autem, anno circiter IX. regni Conſtantini Synodus coacta, quam uocant Græci Oecumenicam ſeptimam. Perſcribitur à Græcis huius tempus ἔτη 5655, qui ſunt anni ab origine mundi 6296. ut inter hanc & Trulleam intercedant anni C. corrupto numero in ea temporum notatione quæ Pſello tribuitur, & poſito o pro ϛ. Hanc ſynodus coacta Francofurti anno Chriſti DCCXCIII. præſente Pontificis Adriani Legato, cenſuit neque Septimam appellandam, neq; ullo in numero habendam, tanquam ſuperuacaneam. Francofurti autem damnata fuit curioſa impietatis doctrina Felicis cuiuſdam de Chriſto filio Dei ſecundum humanam naturam. Sunt autem annorum diſtributiones neq; eædem omnium, neq; collectis congruentes. Sed cum annus primus Leonis Imper. Conſtantini F. perhibeatur incidere in annum regni Caroli VIII: & Carolus regnare cœpiſſe anno Chriſti DCCLXIX: hinc cætera deduci facile poterunt. Addantur enim annis illis VIII, anni XVII, Imperio Conſtantini Leonis F. & matris confecti, fiunt anni XXV. hi ad annum addantur Leonis Imperatoris ſeptingenteſimum ſeptuageſimum ſextum, fiunt anni DCCCI. ſimiliter VIII detrahantur de annis XXXIII regni Caroli, quo anno perhibetur Imperator Romanorum ille declaratus eſſe: remanēt pariter XXV. Item addantur ad annum DCCLXIX, quo regnare cœpit Carolus, anni XXXIII regni Francici ipſius, congregabuntur anni DCCCII. ut confectis à nato CHRISTO annis DCCCI, & uertente anno DCCCII, Carolus cognomento Magnus cum eſſet Rex Francorū & Italiæ, Imperator Romanorū autoritate pontificia eſſe cœperit. Atq;

tribuuntur

tribuuntur Caroli Imperio an. 14. Ludouici Pij ann. 27. Huius ann. XVI, incidit in annum primum Theophili, Micaeli F. Conſtantinopolitani. Poſt hunc, in numero Imperatorum Urſpringenſis ponit Ludouicum, Ludouici Pij filium: & regnaſſe eum ſcribit ann. 36. Eſtq; admodum confuſa & indiſerta horum temporum expoſitio, neq; hominum neq; regnorum nominibus diſtinctis. Fortaſſe regnũ Germanicum, quod Ludouici iſtius fuit, pro Imperio Rom. perſcripſit Urſpringenſis. Sed iſta cum ſint humana diligentia inexplicabilia, deſinamus coniecturis perquirere, & ſequamur plurimorum conſenſu tradita. Ludouicum igitur I. cognomentó Pium ſequitur Lotarius, Ludouici Pij F. cum ann. 15. ut Imperij anno XVI deceßiſſe eum ſtatuatur. Ludouicus II. cum fratre Lotario, deſierunt Imperatores eſſe anno uiceſimo. Carolus Caluus, Ludouici Pij F. Caroli Magni N. Imperator fuit an. 3. Sed pleriq; hunc non diu fuiſſe Imperatorẽ autumant, & coniungunt huius Imperium cum filij ipſius Ludouici Balbi Imperio, ut proferatur hoc tempus in annum quartum. Carolus Craßus Ludouici II. F. ann. 10. Arnulfus Carolomani F. Ludouici Germanici nepos, Ludouici Pij pronepos. Hic habuit fratrem Ludouicum, hominem nihili & nullius uſus, qui Galliæ regnum gubernare deberet. Itaque credibile eſt, Arnulfum hunc rem Gallicã adminiſtraße, donec Imperio Rom. potiretur: quod tenuit ann. 5. Ludouicus Arnulfi F. anno duodecimo, Imperio moriens deceßit. Hunc aliqui Ludouicum III faciunt, aliqui IIII. à quib. Ludouicus Balbus, Caroli Calui F. in numerũ Imperatorũ refertur. Eundem pleriq; tradidere ultimum fuiße ex progenie Caroli Magni. Sed diligentiores demonſtrant, in Conrado, qui Ludouico ſucceßit; cuius fratris nomine Chunradi ille filius fuit, nepos Arnolfi, hanc defeciſſe. His temporibus res Franconica adhuc celebris & potens fuit. Comites Palatini appellabantur Principes regionũ illius, ad Menum uſque & confluentem Regniſſum: nominanturq; inter alia oppida & caſtella duo præcipuè munita ſub ditione horum, unum Tariſſa ad Menum, alterum Pabeperga ad Regniſſum. Tariſſa nunc celebre & diues Monaſterium eſt, ubi & Adalbertus, illarum regionum ultimus Dominus, ſepultus eſt. Pabeperga caſtellum, quod ab Imperatore Romano expugnari nõ potuit, cum quo Adalbertus ſeptem annis bellum geßit, nuper eſt aduentanti Marchioni Alberto Caſimiri F. deditũ & inflammatum. Arx ea uiſebatur in monte ſupra urbem, uerſus occaſum. Neq; fuiſſe urbem eo tempore tam auctam ædificijs, quam poſtea eſſe cœpit, cùm alia ſunt argumento, tum quòd in hiſtoria de Henrico Imperatore, eo qui primus VII. uirûm ſuffragijs creatus eſt, ſiue uerè ſeu fabuloſe narratur, fuiſſe loco ſilueſtri fanum dicatum ſanctæ Gertrudi, id quod nunc reliquum eſt ad Pegniſſum, ſub urbe. Sed hiſtoricæ non eſt propoſitum exequi. ſunt autem omnia incerta atque dubia, & quæ quaſi per nebulam (ut dicitur) apparent. Thucydides accuſat negligentiam ſugamq; laboris priorũ, quos ipſe ἀταλαιπώρως in perſcrutanda ueritate fuiſſe ait. In ſcriptoribus noſtratibus oſcitantia etiam quædam reprehendi, & ſtoliditas poßit: qui quaſi omnibus æquè explorata & nota, atq; ipſis, quæ exponerent, quaſiq; etiã poſteri tum præſentes eßent, ita neq; explicatè neq; diſtinctè tam de negotijs quàm rebus uerba fecerunt, cùm nominibus perſonas uariè confudiße reperiantur. De quibus

quid poſſumus nos aliud, quàm optare, plus fuiſſe in illis diligentiæ, prudentiæq́; & doctrinæ? Et hæc enucleare, eſt planè fluctus (ut dicitur) numerare. De eo autem quod in manibus eſt, in primis narrationes ſunt diſcrepantes & diſſentaneæ. Ego quodam ueteri in libro deſignationem ſtirpis Carolinæ uidi, aſcriptis his uerſibus:

Hæc ſtirps Francigenam regni dum ſtrinxit habenam,
Romæ ſceptrigeros Carolos dedit, ac Ludouicos.

In qua eſt iſta ſeries. Caroli Magni F. fuit Ludouicus Pius. Huius Lotarius, Italiæ & Lotaringiæ rex. Huius Ludouicus, excæcatus à Berengario rege. Huius Berta filia, quæ nupſit Adalberto Marchioni, & peperit Uuidonem ac Lampertum. Uuidonis F. fuit Adalbertus, proditus ab Hattone. Et rurſum Caroli M. F. fuit Ludouicus Pius. Huius Ludouicus rex Germaniæ. Huius Carolomanus rex Baioariæ inuictiſſ. Huius Arnulfus rex Baioariæ, & Oſtrofranciæ. Huius filij, Ludouicus rex Oſtrofranciæ, & Chunradus interfectus ab Adalberto. Cuius Chunradi F. fuit Chunrad. Imperator. Hæc non congruunt in primis cum ijs quæ de Ludouico, cui oculos effodi iuſſerit Berengarius, ſcribuntur: quẽ alij filium fuiſſe Arnulfi, non dubitarunt tradere. Alij docent, fuiſſe Ludouicum Boſonis regis F. Hic Boſo à Carolo Caluo rex Burgundiæ & Prouinciæ eſt appellatus, cum eſſet frater coniugis ipſius: cui & Hermingarden Ludouici II. F. in matrimonium collocauit. Hæc quàm malè temporibus diuiſa ſint, euidens eſt. Sed Adalbertus Pabeperg. matrem habuit, ut aiunt, filiam Othonis Saxonis, ſororem Henrici qui poſt Chunradum Imperator Rom. fuit. Atq; ſecundum ſeriem generis paulo antè à me expoſitam, hic Adalbertus Comes, ſeu Comes Palatinus Pabepergenſis, interfecit ſobrinum patris ſui: id eſt, quorum proaui fratres fuerant, abauus Ludouicus, atauus Carolus M. Pabepergam autem eſſe montem pauonis, Latina appellatione, quæ paſsim reperitur, indicatur. Qua quidem de cauſſa ſic appellatã, ignoro. Babæ certè, quam tradunt filiam fuiſſe Othonis, Henrici Imperatoris ſororem, nomen Pabepergæ dediſſe, quamuis perhibeatur hæc mater fuiſſe Adalberti, de ſimilitudine uocum confictum eſſe puto. Etiam iſta filia Othonis, uel Baba, uel quocunq; nomine, quomodo ſoror fuit Henrici? Adelbertus enim, & Chunradus Imperator, eodem cognationis gradu, id eſt, abaui ipſorum, fratres germani fuerunt. Chunrado ſucceſsit Henricus, filius Othonis, frater nimirum matris Adalberti. Fuit igitur mater Adalberti ſoror eius, ante cuius Imperium filius interfectus eſſet annis circiter XX. Etſi ætatum ſpacio hoc loco incidentem dubitationem explicari poſſe intelligo. De his igitur ſatis, uel etiam nimium. Chunradus, Chunradi Ducis F. Arnulfi N. adiuuante Othone Saxone, Ludolfi F. Imperium tenuit ann. 7. Henricus cognomento Auceps, Othonis Saxonis F. à Chunrado mortuo deſignatus ſucceſſor, ann. 18. Huius Henrici auunculus fuit Chunrad. interfectus ab Adalberto: pater, ut diximus, Chunradi Imperatoris, Arnulfi F. Siquidem Henrici pater Otho habuit coniugem, ut perhibetur, Lucarden, Arnulfi filiã, quæ ſcilicet ſoror fuit Chunradi interfecti. Hoc tempore Imperium à Francis ad Saxones peruenit, anno Chriſti DCCCCXX. hoc enim anno mortuus eſse Chunrad. Imperator traditur: Vel certè ann. DCCCCXIX. Henrici enim Imperij anno primo aſcribitur ille

annus Chriſti DCCCCXX. Otho I. Henrici Imper. F. quem aliqui Othonem II. faciunt: qui in numero ſcilicet Imperatorum ponunt etiam Othonem, huius Othonis auum. Hic cognomentum meruit Magni. Quædam ſcripta Chronographica inculcant mentionem hoc loco Lotarij II. de quo quid certi indicetur, non habeo. Tribuuntur Othoni M. ann. 36. uel 37. Otho II. Othonis M. F. ann. 10. Otho III. Othonis II. F. Othonis M. N. Hunc factum Imperatorem adhuc penè puerum accepimus, & ideo habuiſſe cognomentum deinde Pueri: ſicut pater ipſius cognomentũ habuerat Ruffi, uel Burri, propter capilli aut oris (ut uidetur) colorẽ. Non autem ignoro quoſdam tradidiſſe, ab Italis ita appellatum eſſe hunc Othonem, quòd cædibus delectari uideretur: cum Saraceni uocarent pallorem mortis. Huius ann. ſunt 19. Henricus II. cognomento Claudus, poſt mortem Sanctus. Hic primus ſecundum conſtitutionem Othonis III. VII uirûm creandis Imperatoribus ſuffragijs electus fuit. Ex Claudi cognomento perperã fecere aliqui Claudiũ. Nam femore detorto, cum periculum quoddam ab hoſtibus ſaltu euaſiſſet, poſtea claudicauit. De quo fuere qui ſuperſtitionis fabulam comminiſcerentur. Ab Henrico I, ad hunc Henricũ II, anni notãtur 83. qui & de expoſitis tẽporibus colliguntur. Sunt igitur à Caroli M. incipiente Imperio ad hunc Henric. ann. 202. Cuius opus eſt inter alia, extructum templum Pabepergæ, & inſtitutum collegium, & epiſcopi ſedes collocata ibidem. Adhuc cernuntur ante templum ſtatuæ ueteres equeſtres, & in templo ad parietẽ una Imperatoria, ſimiliter equeſtris. Idem Imperator urbẽ Pabepergenſem auxit opibus & uiris. Nam ex illius comitatu plurimi in ea urbe conſederunt: unde honeſtæ familiæ propagatæ fuerunt, nominibus multæ munerum, ut Quæſtorum, Monetariorum, Magiſtrorũ uectigalium: quæ poſtea partim interciderunt, partim labefactatæ ſunt & diſſipatæ, cùm alijs temporũ difficultatibus, tũ orta ſeditione, anno Chriſti M.CCCC.XXXV. cum præſideret Antonius gente Rotenhanius, Epiſcopo & collegio diſcordante. Tum & incendium urbem uaſtauit, & fulmine icta curia ad pontem Regniſſi: deiectumq́ æs, quo pulſato ſignum dari conſueuerat, ſi ignis eſſet ortus, aut hoſtium nunciatus aduentus: (æs tumultuũ uocant:) hoc igitur in flumen deturbatum fuit, & priuilegia ciuitatis perierunt. æs autem illud, quantumuis diligenter quæſitum, inueniri non potuit. Huic Henrico tribuuntur ann. 22. Interregnum, diſſentientibus VII uiris, ann. 2. Chunradi II. cognomento Saliqui anni 14 ſunt. Henricus III. cognomento Niger, quem de Italici nominis ſono quidam ridicule Neronem appellarunt, ann. 17. Henricus IIII. Henrici Nigri F. ann. 49. Henricus V. Henrici IIII. F. an. 20. Ad huius annum XIIII, ab Henrici II. anno I. ſunt an. 117. uel 118. ad quem perſcribunt Græci annum mundi ſexies milleſimum ſexcenteſimum XXVI. Hic enim incidere debet in annum, quo mortem obijt Alexius Comnenus Imper. Conſtantinopol. Lotarius III. Saxo, Gebhardi F. ann. 13. Chunrad. III. Sueuus, Henrici IIII. N. ex filia, an. 15. Fridericus Sueuus cognomento Barbaruſſa, ann. 38. Henricus VI. Friderici F. an. 8. Philippus frater Henrici VI. ann. 9. Otho IIII. Henrici ſuperbi ducis Bauariæ & Saxoniæ F. ann. 4. Hic eſt annus ab XIIII. anno Henrici V. nonageſimus tertius: à Carolo M. quadringenteſimus decimus ter-

tius: quibus ſuperioris temporis ſuperſtitiones & errores creuerunt, & uaticinationibus ac uiſis mirabiliter animi hominum perturbati fuerunt ubiq; gentium & locorum. Fridericus II. Henrici VI. F. ann. 37. cui tempori implicantur anni Henrici VII. & Chunradi IIII. filiorum Friderici II. Poſtea interregnum fuiſſe quidam uolunt, ad annum uſq; XXIII. Eo tamen tempore nominantur Imperatores, Henricus VIII Lantgrauius, Uilhelmus Brabantinus, Richardus Cornubiæ Comes Anglus, Alfonſus rex Caſtellæ. Sed neq; hi, neq; Friderici II. FF. in numerum Imperatorum referuntur. Atq; ita deuenitur ad Rodulfum Habeſpurgenſem, cuius ann. ſunt 19. Suntq; ab anno I. Friderici II. ad Rodulfum ann. LX. Adolfus Naſſauienſis ann. 6. Albertus Rodulfi F. ann. 10. Henricus VII Lucelburgenſis ann. 6. Fridericus III. Alberti F. cognomento Pulcer, ann. 10. Ludouicus V. Bauarus, Rodolfi N. ex filia, ann. 23. Gunterus Schuarcepergenſis menſ. 6. Carolus Bohemus ann. circiter 30. nam in huius tempore diſcrepant annales. Nos, quod max. conſequentiam annorum dirigeret, duximus exponendum. Hic largitionibus Imperij opes ualde diminuit, & debilitauit potentiam. Peruenit autem huius tempus ad annum LXXV. Poſt I. ann. Rodulfi à Carolo M. ann. DXLVII. Uuenceſlaus Caroli IIII. F. ann. 22. Quo hic die Norimbergæ baptiſatus eſt, eius diei nocte ædes præpoſiti tēplo Sebaldino conflagrauit: & puer Imperatorius aluo ſoluta aquas baptiſmi inquinauit. Quidam & matrem ipſius eſſe eo partu mortuam ſcripſere. quod ſi eſt uerum, Sigemundus hoc maior natu fuit, cum unam matrem habuiſſe perhibeantur. Huic abrogatum fuit Imperium ſententia Septemuirûm: cùm ob alia facinora, tum quòd cartis puris (Græci χάρτας ἀγράφους uocarunt) Imperatorio ſigno obſignatis, impertiendis immodicus, magnarum confuſionum occaſiones daret. Rupertus Bauarus ann. 10. Annumerant aliqui Iodocum Morauum, electum tantum, tribuuntq; ei menſes VI. Sigiſmundus Caroli IIII. F. ann. 27. Albertus II Auſtriacus ann. 2. Fridericus IIII Auſtriacus, uel III. ſi omittatur Fridericus Pulcer, an. 53. menſ. 4. dieb. 4. Maximinianus Friderici F. ann. 25. Sed attingit Imperium huius ann. XXVI. Carolus V. Philippi regis Hiſpan. F. Maximiliani N. Imperio ſe ultro abdicauit, commiſſa gubernatione Ferdinando fratri, Cæſari ſucceſſoriq; deſignato: cum prius Philippo F. omnium regnorum gubernatione tradita, in Hiſpaniam conceſſiſſet. Præfuit ann. 36. Sunt à Caroli IIII. anno I, ad Ferdinandum Imperatorem, an. CCVI. A Caroli M. incipiente Imperio, ad finem Imperij Caroli V. ann. DCCLIIII. Mortuus eſt Carolus V. ætatis anno LIX. anno CHRISTI IESV MDLVIII. cum uixiſſet ann. LVIII. M. VI. D. XXIX.

IOACHI-

IOACHIMI CAMERARII PABEPERGENSIS

PROOEMIVM EXPOSITIONIS NOMINVM, QVIBVS IMPERATORVM CONiuges, dictæ Auguſtæ, appellatæ fuerunt.

CVM per Chronologias animo & deſcriptione noſtra hoc tempore quaſi inambulans, ueniſſem tãquam in hortis ad ſedile aut maceriam, ubi acquieſcendi occaſio daretur: uiſum fuit, hoc Procœmiũ interponendo, alteram iſtam ueluti progreſsionem inchoare. Diſtinxit autem rem Nicephorus, quem interpretati fuimus, hoc modo, ut poſt continuatã temporum ad ſuam uſque ætatem ſucceſſionem, de mentione ueterum Patrum & Regum atque Imperatorum ita ſummam quandam conficeret annorum ab ortu mundi, uſque ad Michaeli Theoph.F. regnum. Poſtea placuit & enumerare Iſraelitarum Reges, qui hoc nomine poſt decem tribuum defectionem propriè appellati fuerũt: & Pontificum, qui in præcipuis orbis terrarum ciuitatibus præfuerunt, catalogum quendam texere. Verùm ante illam expoſitionem, hoc loco quaſi prę miſit enumerationem fœminarum Principum, quæ cum Imperatoribus legitimis nuptijs coniunctæ, Auguſtæ fuerunt nominatæ. Qua quidem in re admodum probaui iudicium Nicephori, qui hunc illuſtris mentionis honorem mulieribus etiam habere non dubitauiſſet, contra iudicium multorum peruerſe philoſophantium, à quibus Euripidea quadam cõtumelia hic ſexus, tanquam peſtis & lues addita generi humano, infamatur in neceſsitate propagandi illius moleſtus: πᾶν γὰρ ἀναγκαῖον χρῆμ᾽ ἀνιηρὸν ἔφυ, ut Poeta quidam cecinit. Alij, etſi non ueluti deteſtantur ſexum iſtum, tamen uix hominis conditionem eſſe huius uolunt. Plato autem, in altera parte nimius, omnibus rebus exæquat ſexum muliebrem uirili. Vt autem aliena cõmendatio non eſt admittenda: ſic falſa, præſertim crimina,

ab hoc ſexu depellẽda ſunt, in quo ipſo ſapientia & uirtus illuſtribus exemplis eminent, uitia non ſunt certè fœdiora, neque execrabiliora quàm in uiris. Chryſippus uirilem ſexum ſic ueluti exornaſſe Naturã cenſuit, ut adiungeret muliebrem: quemadmodum pauoni uenuſtatem caudæ illa attribuerit. Quaſi appendix ſit mulier, neq; ad ſocietatem, uel potius perfectionem generis uitæq́; humanę pertineat. Quę ab hoc cùm ſtolidè, tum falſo conficta ſunt. Nos uerò hoc teneamus, præſtantiam quidem dignitatis, uirtutis, ſapientię in uiris: non tamen & laudis, decoris, ingenij, expertes eſſe mulieres. Atq; has quoq; excellere, non diuerſis dotibus naturæ, neq; aliena quadam facultate eſſe efficaces: ſed ſimilibus his atq; eiſdem quæ in uiris conſpiciũtur, uerùm ſuo modo moderatis. Non fuit ſcilicet Sappho, aut Corinna (ut ordiamur à re parua) tam docta poetria, quàm poeta Pindarus, ſuauiſſ. tamen carmina utraq; feciſſe perhibetur. Cleobulines autem ænigmata, quo in genere tum ſapientia eminebat, callidiora quàm aliorum fuiſſe accepimus. Quid, an non prudenter multa monuiſſe mulieres perhibentur? quorum exempla colligere non eſt uiſum. πολλὰ δὲ κἀπὸ θηλίων σοφὰ, ſecundum Euripidẽ. Iam iuſticiæ muliebris laus, etſi in contrahendis rebus negocijsq́;, in foro, in iudicijs non conſpicitur (ab his enim ſexus pudor reſilit) integritatis tamen æquitatisq́; ſpecimen datur. & exempla ſunt præclara. Fortitudinis ornamentum uereri aliquis poſsit, ut in hoc ſexu appareat. Quo nomine notãtur in primis Platonica, quibus etiam arma cum mulieribus communicantur. Et præclariſs. tamen atq; inuictiſs. numen bellicum à poetis producitur Minerua, & neceſsitas aliquando arma huic generi induit. Lacedæmonij uictores, Argiuis partim in conflictu cæſis, partim dolo captis, partim impiè etiam deletis, ſigna infeſta inferebant Argis: uerùm illo tempore à Teleſilla, cùm alijs nominibus, tum fama poetices clara femina, non modò urbs defenſa, ſed armata manu muliebri accedentes hoſtes ſunt auerſi: ſiue non audentibus aggredi his feminas, ſeu nolentibus: relinquatur enim hoc ſanè in medio. Fuit nimirum dux præſtantior Miltiades, aut Themiſtocles: ſed Teleſilla

leſilla tamen non ceſsit tum Spartiatarũ Regi, & eximiam famam fortitudinis acquiſiuit. Illę uerò uirgines quæ cognito oraculo ſuam uitam patriæ ultro impenderunt, an non fortes fuiſſe dicendæ ſunt? Sed hæc alio quodam argumento copioſius diſſerere animus eſt. Eius quidē quæ σωφροσύνη dicitur pulchritudo in hoc ſexu elucet, & eſt propria mulierum atq; peculiaris,& tanquam penus exiſtimationis bonę: In qua eſt eximia ſpecies pudicitiæ. Huic ſi qua macula aſpergitur in muliere, decor omnis euaneſcit, neq; quicquã prædicabile relinquitur. Quæ cum ita ſint, rectè feciſſe perhibendus eſt Nicephorus, qui ut Regum Imperatorumq; & Sacerdotum, ſic feminarum Principum quoq; nomina duxit eſſe referēda: ut hic etiam ſexus celebraretur. Quæ cum ab illo ſine titulis nuda exponantur, nos his quoq; pleniorem narrationem adiunximus, ut alijs: & demonſtrauimus, notauimuſq;, quæ in ſingulis eximia in utranq; partem reperiuntur: ut quemadmodum uirorum, ſic & feminarum exempla, tam laudis quàm uitiorum, in conſpectu ſint. Eodemq; conſilio omiſſa à Nicephoro nomina coniugum Auguſtarum addidimus, ſtudio (ut ſpero) nõ improbando, neque contemnenda opera. Sed nunc breuiter à Nicephoro relata, & his noſtra ſubijciantur.

AVGVSTAE.

THeodora & Helene, uxores Conſtãtini Magni. Euſebia Conſtantij. Helena M. Conſtãtini F. uxor Iuliani τοῦ παραβάτου: id eſt, defectoris. Charito Iouiani. Seuera & Iuſta uxores Valentiniani. Dominica, Valentis. Galla & Placilla Theodoſij Magni, Eudoxia Arcadij, Eudocia Theodoſij parui. Pulceria Marciani, Verina Leontis Magni, Areadne Zenonis. Eadem Areadne Anaſtaſij. Euphemia Iuſtini primi. Theodora Iuſtiniani Magni. Sophia Iuſtini. Anaſtaſia Tiberij. Conſtantina Mauricij. Leontia Phocæ. Flauia Eudocia, Martina, Heraclij, Conſtãtini, Heracleonæ, Conſtantini, Iuſtiniani, Leontij, Abſimari, Philippici, Theodoſij, *Iuſtiniani, Artemij. Maria Leontis primi, Iſauri. Irene Conſtantini, Chazaris patris. Maria, Eudocia, Irene, Athenea, Leontis ſecundi, qui Chazares. Maria & Theodote Conſtantini. Thebano Stauracij. Procopia Michaeli. Theodoſia Leontis. Thecla & Euphroſyne Michaeli. Theodora Theophili. Eudocia Michaeli, Eudocia Baſilij.

APPEN-

APPENDIX.

NICEPHORI expoſitio ſtatim initio mutila eſt, librarij, ut credere libet, uitio. Nam Conſtantini, cognomento Magni, mater fuit Helene Britannica, formoſiſſima mulier, ſiue regio genere, ſeu humili loco orta. Ex qua ſuſcepit Conſtantius Conſtantinum M. poſtea duxit Theodoram, priuignam Maximiani, auiam Iuliani Imper. Helenes non modò forma, ſed pudicitia & prudentia & pietas, & in primis ſtudiū religionis laudatur: quam filius Conſtantinus ſingulari obſeruantia coluit. Hanc uixiſſe annis L X X X, ſcripſit Theodoritus. Sed Conſtantini M. coniux fuiſſe perhibetur Mineruia, ex qua Criſpum F. ſuſcepit. quæq́; ualde cara fuiſſe uiro traditur. Alteram habuit coniugem Conſtantinus M. Fauſtam, ex qua complures ille quidem liberos ſuſcepit: ſed quam perhibent falſa accuſatione effeciſſe, ut pater filium Criſpum, iam Cæſarem deſignatum, interfici iuberet: eamq́; re comperta, tanti ſceleris pœnas poſtea dediſſe, ſuffocatam in balneis. Hanc Fauſtam filiam fuiße Maximiani Herculij traditur, ſororem conſanguineam Theodoræ, nouercæ Conſtantini: & Helenam matrem Conſtantini, deſiderio nepotis non deſtitiße impellere Conſtantinum, ad cædis illius uindictam. Sanè mirificis laudibus ornatur Helene, atq; in primis nomine religioſi ſtudij atq; pietatis. Cœpere autem tum adeò multæ ſuperſtitiones implicari Religioni: ut nullæ temporæ non ſolent habere ſua uitia Sed omnino conſilia actionesq́; feminæ iſtius ualde laudantur. De quibus plura dicere, neq; animus, neq; nunc locus eſt. Conſtantij uxor Euſebiæ, & inuida & libidinoſa fuiſſe perhibetur. Poſt quam duxiße alteram ille ſcribitur, Fauſtinam, forma præſtantem, & caſtitate atq; pudicitia ornatiſſ. in partu mortuam. Zonaras mentionem tantum facit Euſebiæ, quam dicit ante maritum eſſe mortuam hyſterico morbo: quòd eſſet Imperator cùm naturæ tum ualetudine languidior. Ualentinianus pater duas ſimul habuit uxores: lege etiam lata, ut hoc liceret omnibūs. Quam autem Iuſtam Nicephorus uocat, alij nominant Iuſtinam. Hanc duxit, commendatione exquiſita motus coniugis Seueræ. Quo exemplo moneri poſſunt mulieres, domitam habere orationem ſuam. Traditur autem hæc Arianis fauiſſe, & errore illius doctrinæ filium imbuiſſe Ualentinianum minorem. Dominicæ Ualentiś coniugis & prudentia & uirtus prædicatur, quæ uocatur à quibuſdam Domnina: & Ariani dogmatis ſtudioſa, ad hoc amplectendum Ualentem impuliſſe fertur. Gratiani coniunx fuit Conſtantia Fauſtina, Conſtantij, Conſtantini Magni F. filia. Ualentiniani filij, ſeu Minoris uxor nulla nominatur. Placilla Theodoſij coniux laudatur ut religioſa femina, & ueri dogmatis perquam ſtudioſa: quā fuiſſe priorem coniugem Theodoſij, ſcripſit Socrates, matrem Arcadij & Honorij: & poſteriorem Gallam, ſororem Ualentiniani minoris. Cum Arcadij Eudoxia Iohanni cognomento Chryſoſtomo multum negotij fuit: qui cum illa eas inimicitias exercuit, quibus ipſe & Eccleſia grauiter afflicta eſt. hæc, putreſcente in utero matris fœtu mortuo, per magnos cruciatus obiſſe & ipſa mortem traditur. Honorij ſponſæ nominantur duæ, Maria & Thermantia, ſorores. mortuæ ambæ uirgines, Stilichonis F F. Ipſe etiam Stilicho

Mariam

Mariã uxorem habuiſſe perhibetur, filiã Honorij. Cuius Mariæ corpus, Paulo III. Pontifice Rom. templũ SS. PETRI & Pauli magnificis operib. amplificante nuper Anno Chriſti MDXLIIII, in Vaticano, ab egerentibus fodiendo ſolum, eſſe fertur inuentum, cum admirabili copia multarum & uariarum rerum precioſarum, in primis ornatus & mundi muliebris. Sed hiſtoriis iſta nõ congruunt. Sobolem enim procreaſſe Honorium, Zonaras planè negat: qui etiam Stilichonis filias non ſponſas, ſed nuptas fuiſſe Honorij ſcribit. Eudocia Theodoſij coniunx Athenienſis fuit, Leontis uel Leontij philoſophi cuiuſdam filia: quam uel uera uel falſa alieni amoris ſuſpicione auerſatus ille fuit. Atq; relinquitur incertum, Theodoſiuſ ne an illa prior mortem obierit. Profectam quidem conſtat eam Hieroſolyma, tranſeuntemq; Antiochiam, & ibi concionantem pronunciaſſe uerſum hunc,

ὑμμετέρης γενεῆς τε ϗ αἵματος εὔχομαι εἶναι.

Atq; hac clauſſula orationem finiſſe: ſignificantem, ex Gracia in illa loca colonias fuiſſe deductas. Valentiniani tertij coniugem non nominat Nicephorus. Hæc fuit Eudoxia, conſobrina ipſius, Theodoſij minoris F. Habuit enim patrem Valentinianus iſte, Conſtãtium, fratrem Theodoſij minoris: matrem Placidiam, Theodoſij Magni filiam. Hæc interfecto marito fraude Maximi, cuius Valentinianus uxorem ui compreſſerat, cum nubere Maximo fuiſſet coacta, impatiens doloris & iniuriæ, accerſiuit ex Africa Genſerichum Vandalum, cuius filio Honoricho nupſit Eudocia, filia Valentiniani & Eudoxia. Martiani ſenis uxor fuit Pulcheria, Arcadij filia, & ipſa ſeneſcens: quam ea conditione in matrimonium ſe dediſſe traditur, ne Martianus ipſam attingeret. itaq; uirginitatem eam conſeruaſſe. De huius mulieris ſapientia & uirtute multa ſunt prodita. Verina uxor Leonis maioris, fuit ambitioſa & turbulenta femina: quæ ad occupandum Imperium impulit fratrem Baſiliſcum, hominem ignauum & futilem, cum quo nuptam fuiſſe tradunt factioſam feminam Zenonida, quam & Auguſtam appellauit. Leonis minoris Zenonis filij coniunx non nominatur: qui & iuuenis, & ualetudine aduerſa laborans, quamuis deſignatus Imperator ab auo, patri tamen ceſſit, cui ipſe ſuis manibus diadema impoſuiſſe ſcribitur. Euagrius narrat, Zenonem cum coniuge Ariadna, Leonis Imper. F. exulaſſe biennio, quo rerum potitus fuerit Baſiliſcus: recuperaſſeq; eum Imperium ope conſilioq; Theclæ, quam πρωτομάρτυρα uocat, in ſomno commonefactum, cuius nomine lucum & templũ magnificè extructum conſecrauerit Zeno Seleuciæ in Iſauria. Idem Baſiliſcum cum uxore & liberis iugulatum eſſe ſcribit, Acuſi in Cappadocia: & Zenonem comitiali morbo extinctum, cum alij ſuffocatum, alij ab uxore Ariadna uiuẽtem adhuc ſepulcro illatum, & ita mortuum fuiſſe retulerint. Sanè Ariadne iſta, & Anaſtaſio Imperium cõciliauit, & nupſit, cũ Zeno ſine liberis deceſſiſſet. De qua plura dicẽda non putauimus. Animaduertitur autem etiam hoc tempore, uel perſpicuè potius cognoſcitur, quantum in hiſtoria affectio animorum diuerſa & uaria uoluntates turbare ſoleant Quid enim quidam probri ignominiæq; in Anaſtaſium hunc congeſſerunt? quem & aliqui ictum fulmine interijſſe, non dubitarunt memoriæ prodere. Horum cauſſæ ſunt præcipua, errores & opiniones multiplices atq; incertæ, de quib.

peruica-

peruicacia, & ea quam Græci ἰδιογνωμοσύνην uocant, uulgò corroborata mirificè confundere omnia, & euentus triſtiſſimos commouere ſolet, tum maximè cùm ea eſt ætas qua multi ſunt cupidi rerum nouarum, & negligitur uera doctrinæ ratio, & uſurpatur ſine pudore audacia decernendi de omnibus ueteribus & recentibus, & iudiciorum ſumma licentia eſt, & in ſententiјs ferendis temeraria confidentia, parcens nemini, condenandoq; glorioſa. Quæ fuerit Anaſtaſij Imperio inter Eccleſiaſticos odiorum immanitas, quæ ueritatis peruestigandæ & ſtabiliendæ incuria, quæ arrogantia, quantæ ambitiones, quàm uehementes iræ, de hiſtorijs cognoſcatur. Omnia tum condemnationibus perſtrepebant. neq; erant pleriq; contenti pietate improbante & damnante falſa dogmata: actionum etiam & perſonarum, nondum cognitis neq; diiudicatis rebus atq; cauſis, ἀναθηματισμοὶ nominatim exigebantur. Hoc ſi qui dicerent neq; neceſſe neq; rectum eſſe, eos alij ſtatim abijciebant & excludebant communitate Eccleſiæ, & muneris functione priuabant, decretis & ſententijs perſcriptis, propria quiq; autoritate. βιβλία uocabant iſta καθαιρέσεων καὶ ἀφορισμῶν καὶ ἀναθηματισμῶν, quib. eripiebatur principatus aliquibus, aut congregatione interdicebatur, aut execrationes etiam impingebantur. Anaſtaſius, ut ait Euagrius, εἰρηναῖός τις ὤν, placido ingenio & pacis amante, nihil omnino nouari optimum ratus, in primis ne Eccleſia & certaminibus & diſſidijs laceraretur amplius, ſtudebat prouidere. Itaq; quibus poterat rationibus & modis, ſimul huic quietē conciliare, ſimul ubiq; locorum curare ut eſſet tranquillitas, omni occaſione contentionū & rixarū, à rebus ſacris profaniſq; ſemota. Qua diligentia quoq; ſtudio hoc conſecutus eſt opt. Imperator, à quibuſdā ut tanquam Manicheæ ſectæ approbator ſuſpicionibus oneraretur: quidam ut Ariano dogmati eum aſſentiri inſimularent, pleriq; Neſtorij aut Eutychis errores defendere criminarentur. Atq; multi epiſcopi nomen in Eccleſiaſticas tabulas mortui referre noluerunt: Hieroſolymis etiam uiuentis execratio (ſic enim ἀναθηματισμὸν interpretor) publicata fuit. Quem ſi nihil aliud, hoc certè declararet pietate & clementia (quæ max. profectò laus eſt principis) præſtantiſſ. fuiſſe, quòd accepimus reſcripſiſſe præfecto Aſiatico, cum ille ſignificaſſet mandatum ipſius de cohercenda petulantia quorundam Eccleſiaſticorum ſine ſanguine exequi ſe non poſſe: ei igitur reſcripſiſſe traditur Imperator, μηδὲν βούλεσθαι προελθεῖν, μηδ᾽ ἂν εἰ μέγα τε καὶ ἀξιόλογον ᾖ, εἴπερ αἵματος ῥανὶς ἐκχέοιτο. Vituperent ſanè hunc Imperatorem, qui imperare ſibi, ſeq; uincere uſq; adeò potuit, ut ſuam ſententiam reuocaret atq; mutaret, ne una ſanguinis gutta profunderetur: dum conſtet, eos illum reprimere & cohibere uoluiſſe, qui non modò autores eſſent alienationum & diſcordiæ, ſed uiolentiæ quoque & cædium. Verùm de his nimis fortaſſe exquiſita alicui & prolixa diſputatio noſtra uideatur, præſertim inculcata: quapropter poſt iſtam ἐκβολὴν λόγου, neque prorſus abhorrentis, neq; carentis utilitate, ad ea unde digreſſi ad hæc ſumus, reuertamur. Iuſtini primi coniunx nominatur Euphemia, pulcerr. nomine, quod cum Auguſta declararetur, illi impoſitum eſſe ſcribitur: quæ prius haberet Lupiciæ. De Theodora coniuge Iuſtiniani, alij aliter. Callidam fuiſſe, & ſagacem, non dubium eſt. hinc alij prudentem, alij malitioſam perhibuerunt. Sectam quidem

Dioſcori & Eutychis eam ſecutam eſſe, planè ſcribitur. Sunt qui & libidinoſam adeò fuiſſe eam ſcripſerint, ut inter mimos ſaltaret, geſtu & motu obſcœno. quod & Procopius retulit: ἀποδυσαμένη, *inquit,* ξὺν τοῖς μίμοις ἐν τῷ μέσῳ ἵστηκε λορδουμένη τε, καὶ τὰ ὀπίσω ἀπονουντῶσα. *Neque altera aut probiore honeſtioreq; coniuge dignus fuit iſte Imperator, qui cætera facinora mala cumulauit ſcholaſticæ inſtitutionis ſcelerata uaſtitate. Nam ut pecunia reliquis ſumptib. ſuppeteret, conſtitutas ubiq; in ciuitatib. mercedes publicè bonas artes atq; literas docentib. eripuit, & intulit ſuo ærario. Unde euenit, ut eruditione ſublata, barbaria & inſolentia & ferocitate, & tandē ſuperſtitione atq; impietate omnia cōplerentur. Iuſtini minoris uxor fuit Sophia, mirificè cara uiro. Perſis quidē tum uictoribus omnia uaſtantibus impunè, cum Iuſtinus planè iam deliraret atq; deſiperet, ſiue Tiberij deſignati Imperatoris commendatione & ſuaſione Auguſtæ, ſeu ipſius Sophiæ conſilio, mittuntur legati ad Choſroen regem Perſarum, non Imperatoris, neq; Imperij, ſed Auguſtæ Sophiæ nomine, cum literis, quibus & Imperatoris hæc deplorabat miſeram uicem: & petebat, ne in illa calamitate inſultaret Rex uiduæ Auguſtæ, & depoſito Imperatori, & Imperio deſtituto. Nam ipſi quoq; Regi paulo antè ægrotanti & officia ſimilia humanitatis præſtita, & miſſos eſſe medicos præcipuos, quorum ope morbo liberatus fuerit. Husq; motum Choſroen, inducias feciſſe triennij legimus. Sed eadem Sophia muliebri ſuperbia contumelioſe Narſen reuocans ex Italia ad penſum, perdidit Italiam: quam tunc occupauerunt Longobardi. Conſtantina, ſeu Conſtantia, Mauricij coniunx, Tiberij filia, fortiſſ. tulit communem fortunam mortis cum marito & liberis, quos uniuerſos ſceleratus Phocas interimendos curauit. Extat Græcum epigramma, epitaphium illius apud Zonaram, uerſum unà cum cæteris elegāter à* HIERONYMO BOLFIO *Otingenſi. Heraclij prior coniunx fuit Flauia Eudocia, mater Conſtantini* νέου, *ideſt iunioris. Et altera, Martina, fratris filia, mater Heraclonæ. Huius cupiditate impulſus, ne inceſtæ illæ nuptiæ uiderentur, legē tulit Imperator, licere ut patruo nuberet filia fratris illius. Hæc Martina mala femina fuit, quæ priuignum Conſtantinum ueneno traditur necaſſe: & cum filio Heraclona arreptum Imperium tenuit penè biennio. poſtea in exilium eſt acta cum filio: huic naribus, illi lingua præciſa. Hoc loco Nicephori deſcriptio mendoſa & mutila eſt. Res ita poterit explicari. Heraclij Imperatoris uxor prior fuit Eudocia. Huius filius Conſtantinus iunior, qui idem Heraclius minor. Huius coniunx Gregoria, ex qua ſuſcepit filium Conſtantem. huius uxoris nomen non eſt proditum. Sed filius ipſius Conſtantinus Imperator habuiſſe perhibetur uxorem Anaſtaſiam. Heraclonas autem filius fuit Heraclij Magni & Martinæ. Rurſum Iuſtinianus Conſtantini & Anaſtaſiæ F. quem Iuſtinum aliqui appellant, uxorem barbaricam habuit ex Abarum gente, Theodoram fidelem & probam: quæ indicio ſuo uitam mariti conſeruaſſe traditur, cum cognouiſſet à patre negotiū eſſe datum ſeruis duobus interimendi Iuſtinianum. Ex hac ſuſcepit ille Tiberium, extractum ex æde ſacra in Blachernis, quò cum auia, matre iam mortua, confugerat, & crudeliter necatum. Blachernæ autem regionis nomen fuit in urbe Conſtantinopoli, à quodam barbaro Blacherna ibi interfecto ſic appellatæ. Leontij & Abſimari*

peruicacia, & ea quam Græci ἰδιογνωμοσύνην uocant, uulgò corroborata mirifi cè confundere omnia, & euentus triſtiſſimos commouere ſolet, tum maximè cùm ea eſt ætas qua multi ſunt cupidi rerum nouarum, & negligitur uera doctrinæ ratio, & uſurpatur ſine pudore audacia decernendi de omnibus ueteribus & recentibus, & iudiciorum ſumma licentia eſt, & in ſententijs ferendis temeraria confidentia, parcens nemini, condẽnandoq́ glorioſa. Quæ fuerit Anaſtaſij Imperio inter Eccleſiaſticos odiorum immanitas, quæ ueritatis peruestigandæ & ſtabiliendæ incuria, quæ arrogantia, quantæ ambitiones, quàm uehementes iræ, de hiſtorijs cognoſcatur. Omnia tum condemnationibus perſtrepebant. neq; erant pleriq; contenti pietate improbante & damnante falſa dogmata: actionum etiam & perſonarum, nondum cognitis neq; diiudicatis rebus atq; cauſis, ἀναθεματισμοὶ nominatim exigebantur. Hoc ſi qui dicerent neq; neceſſe neq; rectum eſſe, eos alij ſtatim abijciebant & excludebant communitate Eccleſiæ, & muneris functione priuabant, decretis & ſententijs perſcriptis, propria quiq; autoritate. βιβλία uocabant iſta καθαιρέσεων καὶ ἀφορισμῶν καὶ ἀναθεματισμῶν, quib. eripiebatur principatus aliquibus, aut congregatione interdicebatur, aut execrationes etiam impingebantur. Anaſtaſius, ut ait Euagrius, εἰρηναῖός τις ὤν, placido ingenio & pacis amante, nihil omnino nouari optimum ratus, in primis ne Eccleſia & certaminibus & diſſidijs laceraretur amplius, ſtudebat prouidere. Itaq; quibus poterat rationibus & modis, ſimul huic quietẽ conciliare, ſimul ubiq; locorum curare ut eſſet tranquillitas, omni occaſione contentionũ & rixarũ, à rebus ſacris profanisq́; ſemota. Qua diligentia, quoq́; ſtudio hoc conſecutus eſt opt. Imperator, à quibuſdã ut tanquam Manicheæ ſectæ approbator ſuſpicionibus oneraretur: quidam ut Ariano dogmati eum aſſentiri inſimularent, pleriq; Neſtorij aut Eutychis errores defendere criminarentur. Atq; multi epiſcopi nomen in Eccleſiaſticas tabulas mortui referre noluerunt: Hieroſolymis etiam uiuentis execratio (ſic enim ἀναθεματισμὸν interpretor) publicata fuit. Quem ſi nihil aliud, hoc certè declararet pietate & clementia (quæ max. profectò laus eſt principis) præſtantiſſ. fuiſſe, quòd accepimus reſcripſiſſe præfecto Aſiatico, cum ille ſignificaſſet mandatum ipſius de cohercenda petulantia quorundam Eccleſiaſticorum ſine ſanguine exequi ſe non poſſe: ei igitur reſcripſiſſe traditur Imperator, μηδὲν βούλεσθαι προελθεῖν, μηδ᾽ ἂν εἰ μέγα τι καὶ ἀξιόλογον ἦ, εἴπερ αἵματος ῥανὶς ἐκχέοιτο. Uituperent ſanè hunc Imperatorem, qui imperare ſibi, ſeq́; uincere uſq; adeò potuit, ut ſuam ſententiam reuocaret atq; mutaret, ne una ſanguinis gutta profunderetur: dum conſtet, eos illum reprimere & cohibere uoluiſſe, qui non modò autores eſſent alienationum & diſcordiæ, ſed uiolentiæ quoque & cædium. Uerùm de his nimis fortaſſe exquiſita alicui & prolixa diſputatio noſtra uideatur, præſertim inculcata: quapropter poſt iſtam ἐκβολὴν λόγου, neque prorſus abhorrentis, neq; carentis utilitate, ad ea unde digreſſi ad hæc ſumus, reuertamur. Iuſtini primi coniunx nominatur Euphemia, pulcerr. nomine, quod cum Auguſta declararetur, illi impoſitum eſſe ſcribitur: quæ prius haberet Lupiciæ. De Theodora coniuge Iuſtiniani, alij aliter. Callidam fuiſſe, & ſagacem, non dubium eſt. hinc alij prudentem, alij malitioſam perhibuerunt. Sectam quidem

Dioſcor

*Dioſcori & Eutychis eam ſecutam eſſe, planè ſcribitur. Sunt qui & libidinoſam
adeò fuiſſe eam ſcripſerint, ut inter mimos ſaltaret, geſtu & motu obſcœno. quod &
Procopius retulit: ἀποδυσαμένη, inquit, ξὺν τοῖς μίμοις ἐν τῷ μέσῳ ἱστήκει λορ
δουμένη τε, καὶ τὰ ὀπίσω ἀποκοντιῶσα. Neque altera aut probiore honeſtioreq;
coniuge dignus fuit iſte Imperator, qui cætera facinora mala cumulauit ſcholaſticæ
inſtitutionis ſcelerata uaſtitate. Nam ut pecunia reliquis ſumptib. ſuppeteret, con-
ſtitutas ubiq; in ciuitatib. mercedes publicè bonas artes atq; literas docentib. eripuit,
& intulit ſuo ærario. Unde euenit, ut eruditione ſublata, barbaria & inſolentia &
ferocitate, & tandẽ ſuperſtitione atq; impietate omnia cõplerentur. Iuſtini minoris
uxor fuit Sophia, mirificè cara uiro. Perſis quidẽ tum uictoribus omnia uaſtantibus
impunè, cum Iuſtinus planè iam deliraret atq; deſiperet, ſiue Tiberij deſignati Im-
peratoris commendatione & ſuaſione Auguſtæ, ſeu ipſius Sophiæ conſilio, mittun-
tur legati ad Choſroen regem Perſarum, non Imperatoris, neq; Imperij, ſed Augu
ſtæ Sophiæ nomine, cum literis, quibus & Imperatoris hæc deplorabat miſeram ui-
cem: & petebat, ne in illa calamitate inſultaret Rex uidua Auguſtæ, & depoſito
Imperatori, & Imperio deſtituto. Nam ipſi quoq; Regi paulo antè ægrotanti & offi
cia ſimilia humanitatis præſtita, & miſſos eſſe medicos præcipuos, quorum ope mor
bo liberatus fuerit. Hisq; motum Choſroen, inducias feciſſe triennij legimus. Sed ea-
dem Sophia muliebri ſuperbia contumelioſe Narſen reuocans ex Italia ad penſum,
perdidit Italiam: quam tunc occupauerunt Longobardi. Conſtantina, ſeu Con-
ſtantia, Mauricij coniunx, Tiberij filia, fortiſs. tulit communem fortunam mortis
cum marito & liberis, quos uniuerſos ſceleratus Phocas interimendos curauit. E-
xtat Græcum epigramma, epitaphium illius apud Zonaram, uerſum unà cum cæ-
teris elegãter à* HIERONYMO BOLFIO *Otingenſi. Heraclij prior coniunx fuit
Flauia Eudocia, mater Conſtantini viz, ideſt iunioris. Et altera, Martina, fra-
tris filia, mater Heraclonæ. Huius cupiditate impulſus, ne inceſtæ illæ nuptiæ ui-
derentur, legẽ tulit Imperator, licere ut patruo nuberet filia fratris illius. Hæc Mar
tina mala fœmina fuit, quæ priuignum Conſtantinum ueneno traditur necaſſe: &
cum filio Heraclona arreptum Imperium tenuit penè biennio. poſtea in exilium eſt
acta cum filio: huic naribus, illi lingua præciſa. Hoc loco Nicephori deſcriptio men-
doſa & mutila eſt. Res ita poterit explicari. Heraclij Imperatoris uxor prior fuit
Eudocia. Huius filius Conſtantinus iunior, qui idem Heraclius minor. Huius con-
iunx Gregoria, ex qua ſuſcepit filium Conſtantem. huius uxoris nomen non eſt pro-
ditum. Sed filius ipſius Conſtantinus Imperator habuiſſe perhibetur uxorem Ana
ſtaſiam. Heraclonas autem filius fuit Heraclij Magni & Martinæ. Rurſum Iuſti
nianus Conſtantini & Anaſtaſiæ F. quem Iuſtinum aliqui appellant, uxorem bar
baricam habuit ex Abarum gente, Theodoram fidelem & probam: quæ indicio
ſuo uitam mariti conſeruaſſe traditur, cum cognouiſſet à patre negotiũ eſſe datum
ſeruis duobus interimendi Iuſtinianum. Ex hac ſuſcepit ille Tiberium, extractum
ex æde ſacra in Blachernis, quò cum auia, matre iam mortua, confugerat, & cru-
deliter necatum. Blacherna autem regionis nomen fuit in urbe Conſtantinopoli, à
quodam barbaro Blacherna ibi interfecto ſic appellatæ. Leontij & Abſimari*

 coniuges

coniuges quæ fuerint, non reperi. Ne Philippici quidem, aut Theodoſij. Quæ autem in Nicephori expoſitione inuenta hoc loco ſumus interpretati, ea notauimus ut falſa & aliena: de quibus, qui uolet, quærere amplius poterit. Fortè uerum ſit, Anaſtaſij Artemij: etſi hic in numero Imperatorum ponitur ante Theodoſium. Quæ ſequuntur, & ipſa confuſa ſunt. Sanè Copronymi matrem fuiſſe Mariam conſtat. Irene uerò, barbarica & ipſa, ſed pietate & fide excellens fœmina, Conſtantini Copronymi uxor fuit, filia Chagani, Abaricæ gentis, quæ & Chazaris dicta. unde Leon filius, Copronymi Chazaridos ſoboles, & Chazares uocatus eſt. Præter hanc habuiſſe eum duas alias ſcripſit Zonaras, ſed eas non nominat. ſuſcepiſſe autem refert ex his filios tres, Chriſtophorum, Nicephorum & Nicetam. Iſtæ erunt igitur à Nicephoro noſtro nominatæ Maria & Eudocia. Leonta Copronymi F. habuiſſe coniugem Irenem nomine, patria Athenienſem, omnes conſentiunt. Huius autem Leontis & Irenes filius Conſtantinus, cupiēs ducere Caroli Francorum Regis filiam Rattruden, à matre coactus fuit ducere Mariam uel Armeniacam, uel Paphlagonicam: quam poſtea repudiauit: & detruſit in monaſterium: & duxit alteram, Theodoten, quam & Auguſtam curauit renunciandam. Hæ nuptiæ magnopere reprehenſæ fuerunt: & Theodote cum filium peperiſſet, ſtatim ille eſt mortuus, & paulo pòſt Conſtantinus Imperio atq; oculis priuatus. Nicephori Imper. coniugem, omiſſa mentione hoc loco, nominari inuenio Mariam: Stauracij autem quæ hic nominatur Theophano, etiā Theophanian. hæc conſanguinea Auguſtæ Irenes, cum alteri eſſet deſponſa, ab illo ſeparata, & collocata Stauracio fuit patre iubente: & poſtea amiſſo uiro, ultro ſolitariæ uitæ ſe deuouit, abſciditq; capillum, & induit pullas ueſtes. Michaeli Rancabæ Procopia uxor fuit, Nicephori Imper. F. Hæc cohortans ad reſiſtendum Leonti, & armis ſe defendendum maritum: Indigna res, inquit, fuerit, regio ornatu amictam conſpici uxorem tyranni, cum illam uocaret Barcan. Sed Imperator pius cedere ſe malle dixit Imperio, quàm cauſſam dare ut gutta ſanguinis Chriſtiani effunderetur. delinitaq; uerbis uxore, in templum confugit, ſibiq; & uxori ac liberis capillum detondit, & à Leonte uitam eſt deprecatus. quæ ei quidem eſt conceſſa, ablegata aliò coniuge, & aliò liberis. Theodoſia Leontis uxor, fœmina miſericors: quæ cum exoraſſet maritum, ut feriarum diebus in cuſtodia Michaelum Traulum aſſeruari iuberet, quòd eo tempore hominem interfici nefas eſſet, prædixit Imperator euentum utriq;: &, Id (inquit) contendis, unde mihi interitus, tibi ſolitaria uita impendet. Michaeli Trauli prior uxor Thecla, poſterior Euphroſyne, Conſtantini filia, Irenes neptis, quam è monaſterio eductam ſibi copulauit. Theophili uxor fuit Theodora, Paphlagonicæ gentis. cuius deprehenſam nauem cum mercibus precioſis, quibus illa quæſtum facere uellet, iuſſit Imperator comburi, cum dixiſſet: Heu, ego ne nauclericam exerceo? ſi quidem mea coniux iſta naue negociatur. Hæc de ſimulacrorum ueneratione non aſſentiens uiro, & ideo Græci hanc θεόφρονα uocarunt, à filio Michaelo gubernatione priuatur, & in monaſterium detruditur: uel ipſa potius, metu grauioris mali, eò cum filiabus ſeceſſit. Baſilij Eudocia uxor fuit, filia Ingeris, concubina Michaeli: quemadmodum aliqui ſcripſere. Sed quodam in Græco hiſtoriarū libro hoc modo reperi,

coniunctum

coniunctum eſſe honeſtiſſimæ uxori Baſilium, genere nobili ab Ingere: ſic enim ſum hæc interpretatus γαμετῇ συναρμοσθῆναι αὐτὸν κοσμιωτάτῃ τῶν εὐγενίδων ἐξ ἴγγερος. Atq; hactenus Nicephorus Auguſtarum nomina retulit, finem faciens in eo ad quem Imperatorũ enumerationẽ perduxit. Nos autem, ut adiecimus nomina & tempora reliquorũ qui Imperatores fuerunt ad noſtram uſq; ætatem: ſic compertas etiam appellationes coniugum illorum recenſebimus.

Ac primùm Græca ſeu Conſtantinopolitana coniugia referemus. Leon Baſilij F. primam traditur coniugem duxiſſe Theophaniam, quæ & Stephanium appellatur. Qua uiuente, captus amore alterius nomine Zoes, hanc illa mortua duxit, & declarauit Auguſtam. Poſt quam duxit tertiam, præſtantem forma mulierem, Eudociam. Et deinde quartam, cui & ipſi nomen Zoe: quam Auguſtam renunciari prius noluit, quàm filium ex ea ſuſcepiſſet. Alexandri coniux nulla nominatur. Conſtantini Leontis F. uxor Helene fuit, filia Lacapeni, femina ambitioſa & animoſa. Romani Lacapeni, quem quaſi interpolaſſe Imperium Conſtantini diximus, coniux fuit Theodora. Hic & Chriſtophori filij coniugem Auguſtam declarauit, nomine Sophian. Romano Conſtantini F. data uxor fuit, filia Hugonis regis Francorum: cuius nomen Berta fuiſſe traditur. Memoratur autem ijs temporibus Hugo Rex Arelatenſis. Sed ea non diu uixit. tum pater alteram ei collocauit, genere humilem atq; obſcuram è uulgo, forma autem præſtantẽ, ut ſimulacrum uenuſtatis illud Naturam effinxiſſe prædicarent. Huius nomen Anaſtaſia fuit, mutatum cum Auguſta declararetur: tum enim eſt appellata Theophano. Hæc eadem nupſit Nicephoro, & apud eum utriuſq; ſexus liberos peperit: mulier libidinoſa & perfida, quæ quòd minus ſecum conſueſceret Nicephorus, alienata ab eo, attractos corbe interfectores coniugi immiſiſſe traditur. quorum caput fuit Zimiſces, non carens ſuſpicione concubitus cum illa. cum tamen hic Imperator factus, mortua priore coniuge, ſorore Bardæ Scleri fortiſſ. uiri, cuius nomẽ non reperi, duxerit Theodoram, Conſtantini Purpurigenæ & Theophanus filiã, Romani Iunioris ſororem. Baſilij Purpurigenæ coniux quæ fuerit, non exponitur dilucide. Fuit ijs temporibus Ruſſorum princeps Bladimarus: cui an ſuam ſororem Annam Imperator dederit uxorem, an illius acceperit, de Zonaræ narratione definiri nequit. Conſtantinus frater Baſilij habuit uxorẽ Helenen, filiam Alypij, uiri illis temporibus præſtantiſſ. matrem Zoes & Theodoræ, penes quas poſtea ſumma rerum aliquantiſper fuit. Zoe nupſit Romano Argyropolo, uxore ipſius adhuc uiuente, & in monaſterium detruſa. Eadem & Michaelũ, ſucceſſorẽ Romani, maritum habuit, unà etiam Imperio illi conciliato. Michaeli Calaphatæ neq; diuturnũ imperiũ fuit, neque coniugij mentio fit. Conſtantino autẽ Monomacho tertio nupſit Zoe: qua uiuente & patiente, Imperator concubinam, uel potius coniugalis lecti ſociã habuit, exilij tempore de ſe optimè meritam Scleræ nam. interq; hos ſingularis amoris cupiditas fuiſſe perhibetur, ut alter ſine altero uiuere non poſſet. Hac mortua, conſueuit adoleſcente muliercula Imperator, ex Alanis obſide data: quam & Auguſtæ loco habuit, ſed ducere legibus, quartò repetitum coniugiũ uetantibus, & pudore prohibitus, cum moriens illam in opulentia & ſplendore reliquiſſet, ſtatim fortuna mutata,

& ad priſtinam conditionē hæc redacta fuit. cuius nomen nō proditur. Michaeli Stratiotici, decrepiti ſenis coniugium non memoratur. Iſaacij autē Comneni non nominatur coniunx, atq; Auguſtæ tantum mentio fit, præter quam ille nullam attigerit unquam: quamuis aliquando domo abſens ut hoc faceret, medici conſuluiſſent. Conſtantinus Ducas habuit uxorem Eudociam. hanc dilexit, ut pudicam, & bene atq; diligenter educantem communes liberos, & ingenioſam ad gubernādum: reliquitq; imperium huic unà cum tribus filijs, cum præſcripto iureiurando eam obſtrinxiſſet, ne ſecundis nuptijs alteri iungeretur. Sed ipſa, uel reſpectu ad laborantem & afflictam Rempub. uel etiam cupiditate uiri, callidè ſcriptura illa recepta, nupſit Romano Diogeni, paulo antè liberato periculo ſupplicij ob crimen affectati regni. Etſi autem hic non tam gratus erga Auguſtam fuit, quàm poſtulabant merita ipſius: tamen miſerabiliter erutis oculis in exilio mortui corpus, etiam ipſa exul magnificè funerandum curauit. Michaeli Parapinacij uxor fuit Alanica femina, Maria nomine. Iamdudum enim coniugijs tum genus & ſanguis miſcebatur, quæ eſt max. poſteritatis pernicies. Nicephori Botoniatæ coniunx altera, cum iam Imperator factus eſſet, fuit Maria Alanica, Parapinacij coniunx, uiuente adhuc Parapinacio. Atq; is ſacerdos qui inceſtas has nuptias iunxit, ideo munere ſacerdotali priuatus fuit. Sed cum Botoniatæ iam Imperium ereptum eſſet, & Maria facta Monacha, ſupplex hæc Parapinacio moribundo, petijt ab ipſo tanti delicti ueniam: quam dediſſe eum facilè traditur, precantem ut Deus ignoſceret. Alexij Comneni coniux fuit Irene, minus in filios beneuola, ſingulariq; amore filiam complectens, cuius marito ſtuderet Imperium conciliari, & ideo Iohanni filio deſignato Imperatori iniquior: cuius tamen iam Imperiū tenentis, cum uitæ inſidias eſſe ſtructas cōperiſſet, mirificum cepiſſe dolorē fertur, prudentiſſimè dicens: Si non ſit Imperator, quæri debere Imperatorem: Si ſit, remoueri non debere. Iohannes Alexij F. coniugem habuit, cuius nomen non memoratur: ex qua, præter filias, ſuſcepit filios quatuor: inter quos Manuelus natu minimus patri ſucceſſit. Etſi aliqui Manuelum iſtum non fuiſſe Imperatoris filium ſcripſere, ſed adulterum Auguſtæ: quod neq; ijs quæ copioſe à Græcis mandata literis ſunt congruit, & fide digno autore caret. Manueli coniunx prima Alemanica fuit, ſoror Gertrudis nuptæ Conrado Imperatori: quam inuenio nominari Irenen. Hanc, cum pigmenta & formæ lenocinia atq; fucos & ornatus muliebres negligeret, eſſetq; femina minus blanda, ſtudio uirtutis, parum ille dilexit, neq; ea multùm conſueuit: turpibusq; amoribus ſe polluit, atq; etiā inceſtis, qui quidē cum fratris filia concubuiſſe perhibeatur. Sed morte ereptam coniugē Manuelus luxit acerbiſſ. & funus ducendū magnificè curauit. Duxitq; cupiditate ſobolis ſecundā coniugem, genere Italicam. Græcus ſcriptor Choniata dicit fuiſſe filiam Principis Antiochiæ in Syria, quem Petebinum uocat, ipſam Xenen. Alij Boemundum hunc nominant, & filiam collocatam Manuelo Conſtantiam. Scriptor belli ſacri hanc fuiſſe refert filiam Rainaldi Antiocheni, ſororem Boemundi, nomine Mariam. Huius formæ incredibilis decor & uenuſtas fuiſſe perhibetur. Habuit autē ſororem Philippā, quam nefariè flagitioſus & ſceleratus Andronicus, Iſacij, qui frater fuerat Iohannis Imperatoris F. turpiter

aliquando

aliquando amauit: & ipſam Auguſtam, matrem Alexij, poſtea crudeliter ream Maieſtatis, falſoq; crimine damnatam, ſtrangulari iuſſit. non carentem tamen ſuſpicione conſuetudinis cum Alexio Andronici, qui frater fuit Manueli, filio, quiq; principe loco curans mortuo Manuelo etiam Imperium affectare uiſus. Sed idem Andronicus prius conſueuerat Eudocia, Andronici, qui (ut diximus) Manueli Imperatoris frater fuit, filia. & poſt amores Philippæ, cõplexus eſt Theodorã, ſororem patruelem Eudociæ; Iſaacij filiã; qui & ipſe frater fuit Manueli, marito ipſius rege Hieroſolymorum Balduino tertio paulo antè mortuo. Tandem erepto Imperio unà cum uita Alexio Manueli fratris patruelis filio (quem adoleſcentem uix annos natum x v. ſtrangulari, & truncatũ in mare abyci iuſſit) duxit impius parricida & portentum hominis, non homo, Andronicus, ſenex decrepitus, penè decempedali altitudine, adoleſcentulã tenerrimam ſponſam Alexij interfecti, annos natam x i. filiam Ludouici Francorum regis Annã, uel Hagnen ſeu Hagnetida, ut autor hiſtoriæ ſacri Belli nominat. neq; hac contentus, meretriculam Marapticam habuit in delicijs, uel in illius potius poteſtate fuit. Iſaacij Angeli fuit coniux, cuius nomen non reperi; filia regis Ungarorum Belæ. hanc duxiſſe perhibetur uix annos natam x. Frater huius Alexius habuit uxorem ex Ducarum familia, Euphroſynen. Hæc fuiſſe ingenio planè uirili perhibetur, non imperita literarum, facunda, prudens etiam, & ſtrenua in explicãdis negotijs; gerendiſq; rebus quæcunq; offerrentur. Eadem & in corporis cultu nimia, non effugit crimen impudicitiæ, cum quidem in gubernatione Imperatori ipſa imperaret. Huius Auguſtæ mentio admonuit, ut iſtius temporis res ſtrictim explanarem, & Græcorum indiſertis narrationibus & aliorum negligentia confuſas ac obſcuratas: ſimul etiam ut intelligatur opt. eſſe, muliebrem ſexum non excedere extra limites cõditionũ & naturæ ſuæ. Euphoſyne igitur Alexio Imperatore per inertiam ſocordiamq; & luxuriam negligente Rempublicam, ipſa in eam maiore cura incubuit quàm deceret: & ideo odium proximè etiam coniunctorum incurrit, ac tandem à fratre & genero adulterij apud Imperatorem accuſata fuit. Qui ita commotus eſt, ut delatum iuuenem, ſiue uerò ſeu falſo, re non exquiſita, ſtatim iuſſerit interfici, & caput cæſi ad ſe deferri. Erat ille in Bithynia tum apud exercitum, & ſic ſe gerebat, ut carus eſſet uniuerſis: factumq; illud totus exercitus iniquiſſ. tulit. Conſpicatus caput obtruncati Imperator, indigna traditur relatu protuliſſe. Cum haberet autem in manibus bellum Ualachicum, animaduerſionem in Auguſtam diſtulit. Interea Auguſta omnibus quos apud Imperatorẽ autoritate ualere ſciebat; ſupplicare, ut non quidem cognitionem & iudicium, ſed iracundiæ præceps ſupplicium deprecando auerterent. Ac cõmouit ad miſericordiã femina diſerta pleroſq;. Sed Imperator reuerſus, nullorum ſermonibus delinitus, ſemelq; adhibitam menſæ coniugem allocutus, poſtea eius conſuetudine penitus abſtinuit: cum quidẽ illa ſe; ſi eſſet conuicta, nihil pœnæ recuſare diceret, & iudicij legitimam cognitionẽ poſtularet. Imperator autem quæſtione ancillarũ quarundã & eunuchorum habita, palatio Auguſtam expulit, & cum duabus ancillis ornatu uulgari in ſola loca ſedemq; religionis deuehendam curauit. ei nomen erat Nematarea, in uicinia Ponti: Hac ſeueritate Impe

ratoris perculſi accuſatores quoq; Auguſtæ, & generis infamiam moleſtè ferentes, poſt ſex menſes perfecerunt, ut Imperatoris animo mitigato, Auguſta reuocaretur, & priſtino loco dignitatiq; reſtitueretur. Quæ aduerſus obtrectatores, autoresq; tantæ ſibi calamitatis, clementē & manſuetā ſe præbuit: tantū abfuit ut uindictæ ratione aliquā inire ſtuderet. De reſpectu uerò ad rēpub. & dominationis ſtudio nihil remiſit. Quinetiā abſente Imp. motum ſeditioneq; orientē fortiter oppreſſit. Sed curioſitate impia progreſſa longius, artib. quibuſdā cognoſcendi futura nō bonis operam dedit. Tum & ſigna quædā præclari operis, & antiqua, ita præcipientib. ſuperſtitionū magiſtris, mutilata, & Herculis ſtatua uerberata fuit. Interea ipſa canes alere, & auro ſparſa pelle inducta digitis, ſic illa diuiſa ut ſinguli digiti tegerentur, geſtare accipitrem, equo prouehi, & in uenatione acclamare, & idoneum comitatum perquā frequentem adducere. Poſtea Alexio Imp. deſperatis rebus fuga elapſo, in poteſtatē Euphroſyne uenit fratris ipſius Iſacij, quem iterū Imp. placuerat fieri. Quo celeriter mortuo, & poſt menſ. v i. Alexio filio huius etiā fraude & ui Alexij Ducæ cognomento Murziphuli, è medio ſublato, cum Latinorū armis Conſtantinopolitæ premerentur, ultimus Græcorum Rom. nomine Imp. Murziphulus nauiculā conſcendit, impoſitaq; Euphroſyna & filia ipſius Eudocia fuga ſalutē quæſiuit, & Lariſſam ſe cotulit, ubi Alexius Imperator, Iſacij frater, exul conſtiterat. Fuerat Eudocia aliquando collocata Stephano Triballo, & ab eo contumelioſe dimiſſa. Hanc Murziphulus duxerat, dimiſſis duab. legitimè prius ductis uxorib. qui cū ad ſocerū ueniſſet, celeriter hūc Comitis exulis exule perteſum fuit. Itaq; Murziphulus oculis priuatur. neq; diu pòſt in manus hoſtiū incidit: & iudicio condēnatus, ſuppliciū præcipitij pertulit Conſtātinopoli. Manſit tum Euphroſyne apud maritū, & fida comes fuit miſeri illius atq; deſerti. Qui paulo pòſt tradidit ſeſe in poteſtatem Marchionis Montiferratenſis, à quo iuſſus fuit manere in quodā uicino loco nomine Halmyro. Verùm ibi nō placuit illū relinqui, ac miſſus eſt in Alemaniā, unà cum uxore Euphroſyna, principi Alemanorū: id eſt, τῷ τῶν ἀλιμανῶν ἄρχοντι. *quem nō uideo qui fuiſſe perhibēdus ſit, niſi Philippus Imperator, qui habuit coniugē Irenen, filiam Iſaacij Imperatoris, deſponſam prius Tancredi Siculi filio. Hæc eam ob cauſſam, quam retuli, narranda putaui uerboſius: neq; operam hanc reprehendendam eſſe, certè non alieno loco datam, arbitror. Poſt Græcos Romano nomine Imperatores Francici fuerunt, ut eſt indicatum. De Balduini coniugio nihil traditum reperi. Henrici coniux fuiſſe Valachica femina perhibetur, ſed non nominatur. Huius filia Violanta, nupſit ſucceſſori Petro. Alij Iolantā, alij Iolen hanc uocant: feminàq; tradunt fuiſſe prudentem, multiſq; uirtutibus ornatam. Roberti, qui & Petri filius fuit, & patri ſucceſſit, deſponſa quædam ex Græca nobilitate uirgo narratur infeliciter, ambitione materna: quæ prius alteri illam Burgundo in exercitu Latinorum præcipuo promiſerat, uel etiam deſponderat. Itaq; rege fortè abſente, iuuenis audax, & amore atq; ira ardens, impetu in ædes ubi uirgo manebat facto, matrē in mare præcipitat, filiæ naſum abſcindit. Cætera referuntur minus planè: ut incertum ſit, ex hac'ne an alia liberos, an nullos ſuſceperit Robertus. Balduinus ultimus Frācici generis Imperator Conſtantinopoli, habuit uxorē Marthā, regis Hieroſolymorum*

ſolymorũ filiam. Michael Palæologus affinitate iunctus fuiſſe perhibetur Theodoro Laſcari, neq; de coniugio eius quicquã præterea compertũ habeo. Huius filius Andronicus coniugem habuit Violantidẽ, Guilielmi Montiferratenſis filiã, multorum liberûm matrem. Coniungitur autem patri Imperatori filius Michaelus, natus matre Ungarica: ut plures quàm unam habuiſſe coniuges Andronicũ hunc oporteat. de quo tamen quid præterea cõmemorarem, certi nihil inueni: quẽadmodũ ne de reliquorũ quidẽ Imperatorũ Conſtantinopoli coniugijs. niſi quòd Ioannes Andronici filius, Michaeli nepos, Andronici pronepos, fertur habuiſſe coniugẽ filiã Cantacuzeni Iohannis, quæ tamẽ nõ nominatur, ſed mater fuiſſe exiſtimatur Manueli, qui patri mortuo ſucceſſit. Atq; de Græcis cõiugijs hactenus. Sequitur Germanicorum expoſitio, ab eo tempore quo Romanũ Imperium uel diremptum, uel diſtractum eſt.

CONIVGIA GERMANICORVM IMPERATORVM.

IMPERIVM, quemadmodũ ueteres Romani glorioſo nomine appellarunt, orbis terrarũ, cuius Oriẽtis & Occidẽtis ſolis ambitu ſpaciũ definitur, hoc igitur inter Græcos ſeu Conſtantinopolitanos & Francos diuiſum fuit. Et Carolus Pipini F. Rex Italiæ & Galliæ, primus in Occidente Imp. appellatus. De huius coniugijs uaria & diuerſa tradũtur. Non fuit hic, quãuis ſapientia uirtuteq; præſtantiſs. & doctrina etiã excultus, nõ fuit tamẽ ab amoribus alienus: ut cur Poetæ Venerẽ Marti coniũxerint, Caroli quoq; exẽplo declaretur. Sed tradita referamus. Primã coniugẽ Caroli fuiſſe perhibent Galienã, regis Toletani filiã. Secundã, Hermengarden, Longobardicã, quã inuita & ægrè ferente matre Berta dimiſit. Cumq; nihil liberûm ex priore ſuſcepiſſet, duxit tertiã Heldegarden Sueuicã, quæ utriuſq; ſexus liberos peperit. Quartam deinde habuit uxorẽ, Franconicã Faſtradã, ſuperbã & ſæuam, duarũ filiarũ matrem. Quinta coniunx Caroli Luitgarde nominatur Alemanica. Inter concubinas nominatur Saxonica Gereſuinda, & Garſula, itẽ Himeldrud: quas ſunt qui legitimas fuiſſe Caroli uxores perhibeãt, alijs quibuſdã, quas retulimus, omiſſis. Sed de Caroli coniugib. hactenus. De Berta uel Bertrada, matre Caroli M. à ſcriptorib. hiſtoriæ temporũ illorũ non multa tradita animaduertere potui: ne genere quidẽ & patria ipſius demonſtrata. Nam quod hanc filiã fuiſſe Heraclij Imperatoris legitur in Carolo Cuſpiniani, quo perhibeatur autore neſcio. certè neq; nomẽ Græcanicã mulierẽ indicat: neq; ea tum Franciæ & Græcæ gentis cõmercia fuiſſe exiſtimo, ut matrimonia inter ipſas contraherẽtur: & quãuis exiſtimetur, hanc eius qui Heraclius iunior dictus eſt, filiam fuiſſe, nimis tamẽ magnũ temporũ internallũ erit. De morib. ſanè Bertæ accepimus, feminã fuiſſe eam iracundã, & penè ſæuã. Hoc confirmant in Germania adhuc patrũ noſtrorũ memoria fabulæ iactatæ, de uagãte circũ domus noctu Bildaberta: quo nomine ſignificatur fera Berta, & improbos ac contumaces pueros corripiente atq; lacerãte: quib. minis & terrorib. matres importunos fletus, uociferationesq; & petulantiã puerorũ cohercere ſolitas eſſe ſcimus. Et credibile eſt, de metu ac formidine uulgi à Bertæ illius ſeueritate, uel etiam ſæuitia, talia nata, ad poſteros commento occaſionem dediſſe. Carmina Germanica, haud ſcio an fabuloſa, filiam faciunt

hanc Bertam Regis Carolingorum, potentis illa ætate. Quod regnum ſuſpicor eam regionem quæ nunc Carinthia dicitur, & ad Aquilonem occaſumq́ uergentes alias comprehendiſſe. Hæc Pipino cum deſponſa eſſet, fraude Magiſtri aulæ, qui ad eam àddducendam miſsus eſset, factum narratur, ut ſupponeretur filia ipſius Regi Pipino: cum ſponſam regiam tradidiſſet duobus miniſtris, quibus fidem præ cæteris haberet, necandam in ſolitudine. Sed hos motos miſericordia ferunt, regiam uirginem & ſponſam conſeruaſſe, quæ diu in carbonaria caſa delituerit. Pipinum autem, cum ille iam ex altera ſuſcepiſset liberos, in uenatione eò delato ad latebras ſponſæ fortuito errore, & tota re mirabiliter cognita, adhuc priore coniuge uiuente, concubuiſſe tunc cum Berta: & mox cōmodùm mortua ſuppoſiticia uxore, eam duxiſſe, ex illaq́ ſuſcepiſſe Carolum Magnum. Quibus omnibus fieri poteſt, ut occaſio data ſit ſermonibus uulgi, de obambulante Berta, & terrente pueros: prodita nimirum fama de illius acerbitate, quæ eſset periculis & aduerſis reddita amarior. Sed de his neq́ quid affirmem habeo: & quæ in mentem uenere, expoſita hactenus eſſe ſufficiat: nomine præſertim iſto non ut coniugis, ſed matris Imperatoriæ commemorato. Quapropter reliqua Imperatorum Romanorum Germanici ſanguinis coniugia percenſeamus. Ludouici Pij prior coniux fuit Hermengarde Saxonica. altera Gutta, quam Iudittam etiam uocant, Principis Rauenſpergenſis ſeu Altedorfenſis filia, quem Ethicobelſonem uocant, ſoror Henrici primi ducis Bauariæ. quam admodum ingenioſam & uafram mulierem fuiſſe perhibent: atq́ ſua aſtutia perfeciſſe, ſimul ut ditioni & poteſtati Imperatoris principatus ille ſubijceretur, ſimul ut frater Henricus opibus & potentia augeretur. Ea enim, hoc Imperatori ſeſe lege in clientelam tradente, & pollicente fidelitatis obſeruantiaq́ iuſiurandum, ſi tantum agri, quantum cum aureo curru meridie obire poſset, munificentia Imperatoris ſibi attribueretur: cum Imperator annuiſset, currum aureolum curauit Henricus fabricandum. & hunc præferens eſſedo, magnum ſpacium mutatis etiam equis confecit. Imperator non tam dolens ſe eſſe circumuentum, quàm illa fallacia delectatus, quod promiſerat præſtitit. Et Henricum Ducem Bauariæ, principemq́ Imperij eſſe iuſsit. Quod patrem tam iniquo animo tuliſſe ferunt, ut ſecedens in loca ſola, tota reliqua uita ſua hominum congreſſus uitaret. Lotarius Ludouici Pij F. uxorem habuiſse perhibetur Hermengarden, neſcio cuius gentis aut familiæ, matrem Ludouici II. & Lotarij II. Hanc ſunt qui Egiddam, ſeu Egillam, cum ſit fortaſſe Edilla, nominent, & Regis Angliæ fuiſse filiam perhibeant. Hoc loco expoſitiones diuerſæ & uariæ perſonas confundunt: nos, quod max. conſentaneum putauimus, id ſumus ſecuti. Lotarij II. fuit uxor Dietburg. cum qua, autoritate Epiſcoporum quorundam, fecit diuortium: quòd amaret Baldradam concubinam. Ludouici II. coniux nominatur Lemnia, ſeu Lemlia, quæ nobilitatis & pudicitiæ nomine celebratur. In Carolo etiam Caluo expoſitiones diſſentiunt. pleriq́ habuiſſe eum duas coniuges tradiderunt: Richeldam, Boſonis Burgundi ſororē. hanc ſunt qui concubinam ipſius fuiſſe uelint. Sunt qui ſolam eam habuiſſe aſſerant, & nominent Adeldrud. Sed altera coniux Caroli Calui, nominatur Hermētrud. quæ cum diſſentanea ſint, diſcrepant etiam narrationes de liberis ſuſceptis. Ludouici Balbi

coniux

coniux fuit prior Anſgard, ſeu Auſgard: quam, ſuſceptis filÿs duobus, pater Carolus Caluus coegit eum dimittere, quòd ſe inuito duxiſſet. Altera Adelheid nominatur, mater Caroli Simplicis, Regis Galliæ. Caroli Craſſi coniugem aliqui nominant Richgarden Scoticam, feminam ſanctam: quæ inſimulata probri, à uiro diſceſſerit, & Cœnobium uirginum Anderaue inſtituerit, quòd apud maritum multis annis intacta manſiſſet. Aliqui ſcripſere, habuiſſe eum coniugem filiam regis Granatæ, nomine Alburg. Arnulfi prior coniux fuiſſe perhibetur Hagne, ſeu Hagnetis, Græcanica mulier. Poſterior Dieta, ab alÿs Lutgarde dicta Bauarica. Ludouici Arnulfi F. uxor ab alÿs Madheld, ab alÿs Lutgarde nominatur: quæ Saxonica fuit, neq; peperit. Conradi uxor nominatur Placentia, filia Ludouici Regis Germ. quem ſeniorem uocare ſolent: ex qua liberos non ſuſcepit, & ſine ſobole ille deceſſit. Henricus Saxo & concubinam nomine Madheld, & ea relicta, coniugem eodem nomine Saxonicam habuiſſe ſcribitur. Hæc religioſiſſ. mulier fuiſſe perhibetur, & inſtituiſſe Cœnobium uirginum Quedelburgi, in quo maxima uirgo prima fuerit filia ipſius Madheld. Sunt qui Machthildem utranq; nominent. Fuit autem Imperatoris coniux, multorũ liberûm mater: inter quos Otho Magnus cognomento, patri ſucceſſit, qui habuit priorem coniugem Anglicam Edittam, ſeu Edillam: & poſteriorem, uiduam Bauaricam, gente Burgundicam, matrem Othonis II. cognomento Ruffi, ſeu Burri. Othonis ſecundi coniux fuit Theophania Conſtantinopolitana, Nicephori Phocæ uel ſoror uel priuigna, mater Othonis tertÿ cognomento Pueri. Fuiſſe & altera perhibetur, quæ non nominatur, gente Auſtriaca. Othonis III. infelix & miſerabile fuit cõiugium, propter ſceleratam libidinem uxoris ſterilis, Mariæ Arragonicæ, quam traditur ille uiuam iuſſiſſe comburi. Henricus Saxonicæ originis dux Bauariæ, habuit coniugem Chunegunden, Franconicæ ſtirpis Palatinam. nam pater huius Seyfrid. perhibetur fuiſſe pronepos Ludouici regis Franciæ, ex matre Chunegunde, & auia Hermendrude. Huius feminæ monumenta extãt adhuc præclara pietatis & religioſi ſtudÿ Pabepergæ, ubi unà cum Imperatore marito ſepulcrum ipſius conſecratum renouauit opere magis ſpectatæ artis & ſpecioſæ materiæ, Princeps optimus, & animi cùm magnitudine tum manſuetudine illuſtris, gentis Limpergicæ epiſcopus Georgius. De coniugio, deq; uita utriuſq; fabuloſa multa prodita ſunt. Pro certo habetur, Henricum illam non attigiſſe: ut uirginitas huius uiolata non fuerit. Quo conſilio, aut qua de cauſſa, non habeo dicere, neq; ſuſpicando aut conÿciendo colligere libet. Erat tum in moribus, ut inſimulati occulti delicti, cuius neq; palàm conuinci, neq; quod defendere ipſi planè poſſent, ſi inſontes ſe perhibere uellent, candens ferrum geſtarent manibus, aut pedibus calcarent: aut in aquam feruentem oleum'ue manũ demitterent. Certis autem ad Deum & ſolemnibus precationibus effici impetrariq; credebatur, ne innocentes læderentur. Quod imitatione praua in cœtus Chriſtianorum fuit nimirum introductum, ab illa potione iuſſo diuino ſuſpectæ pudicitiæ olim mulieribus data ſecundum Moſis conſtitutionem. Chunegunde, quæ eſſet adoleſcens & formoſa, neq; agreſtis aut inhumana, à maleuolis fictum impudicitiæ crimen uitare nõ potuit. Rumoresq; diſſipabantur, nobili quodam in aula iuuene eam conſueſcere. Quo loco ad-

ditur,

ditur, Diabolicam illius iuuenus ſpeciem è cubiculo Auguſtæ egredientem ſæpe eſſe conſpectam. Neq; ego omnia quæ mirabilia ſunt, commenta eſſe dicere audeam: & multis tamen ſignificationes quaſdam aliarum rerum implicari non dubito. Quis autem neſcit diabolicas eſſe architecturas, calumniarum & obtrectationum ignominias, quibus non modo ſingulis interdum exitium infertur, ſed bellis commotis multa milia hominum intereunt? Imperator fama iſta ſparſa ab uxore fieri primùm alienior, mox apertè crimen iſtud exprobrare. Magis autem ſolent, qui non cubant cum uxoribus, ea æmulatione quam Græci Zelotypian uocant, affici, & perturbari uehementius. Chunegunde ad id confugit, ut calcando ignitos uomeres ſe eſſe declaraturã innocentiã ſuam diceret. Per hos x I. cum illæſa ambulaſſet, fertur inſtitiſſe in duodecimo: & clara uoce teſtata eſſe pudicitiam ſuam, uirum neminem utrorũ omnium delibaſſe unquam. Hoc Imperator, quod ignominiam quandam ſibi afferre poſſet, quaſi incõmodo marito, dictũ oppreſſurus, manum admouit ori coniugis, atq; in feſtinatione impetus maior ſanguinem extudit. Poſtea confeſſus iniuriam, reconciliataq; gratia cum coniuge amantiſſimè & iucundiſſ. reliquum uitæ ſuæ tempus peregit. Monſtratur Pabeperga nunc etiam paruum fanum, cum columnis in orbem collocatis, propter templum magnum, quo in loco ea res geſta eſſe memoratur. Sed reliqua iam coniugia enarremus. Cunradi II. coniux Giſela fuit, Franconicæ ſtirpis à Carolo magno, filia Lotarij. Alij tamen hanc Giſelam perhibent fuiſſe Vandalicæ gentis. Nupſiſſe Chunrado hæc fertur uidua, poſt priorum duûm uirorum mortem, Brunonis Saxonis & Sueui Erneſti. Hæc Chunrado peperit Henrichum, qui patri ſucceſſit. Henrici huius cognomento Nigri prior coniux fuit Danica Chunhild. uel mortua, uel dimiſſa. Poſterior Hagne, ſeu Hagnetis, Aquitanica. Ex qua Henricum, qui ipſi ſucceſſit, & alios liberos ſuſcepit. Hanc Annales Spirenſes regis Angliæ filiã fuiſſe perhibent. Spiræ autem huius familiæ longa ſeria ſepulcrorum monumenta uiſuntur. Henrici, qui Henrici Nigri fuit F. duæ nominantur uxores: una Berta, Italica ac Mediolanenſis: altera Hagne ſeu Hagnetis Ruſſica, à Marchione uel Henrico uel Vdone quopiam relicta uidua, quam ualde caſtam & religioſam feminam fuiſſe perhibent. Sed ex utra ſuſceperit filium Henricum, inter ſcriptores hiſtoriæ temporum non conuenit. De hac quod accepimus, non fuerit alienum, ut opinor, referre hoc loco. Allegaſſe fertur aliquando Imperator unum ex familiaribus iuuenem formoſum qui appellaret Auguſtam, & peteret concubitum ipſius. facere enim cupiebat periculum fidei & conſtantiæ coniugis. Hæc cum illum repuliſſet dictis uehementibus, neq; iſte flagitandi finem tamen faceret: tandem nihil fieri poſſe reſpondit Auguſta, donec præſens adeſſet Imperator. Hoc ille renunciat Imperatori: qui ſimulat abitum, & ueſte appellatoris ad Auguſtæ conclaue accedit. Ibi illius iuſſo præſto erant cum fuſtibus ualentes aliquot homines, qui ignotum Imperatorẽ corripere & uerberare cœperunt. Tum Imperator cum pudore quis eſſet confeſſus, ita diſceſſit. Henricus filius huius duxit uxorem Madhildam, ſeu Machthilden Anglicanã, ex qua liberos non ſuſcepit: cum tamen poſtea hæc peperit, nupta Ganfredo Andegauenſi. Lotarij III uxor fuit Richſa, cũ qua acquiſiuit Brunſuicenſe territorium, filia Henrici

Northemen-

*Northemenſis cognomento Pinguis. Conradus III. habuit coniugẽ Bauaricam
Gerdrud. Sulcepachenſis principis F. Fridericus Barbaruſſa primùm ductam
Adilam, ſeu Edilam Bauaricam, filiam Marchionis Uoburgenſis, principis poten
tis & locupletis, coactus fuit dimittere: quòd cognatio, iudicio Conſtantienſis eccle-
ſiæ, nuptias illas non admitteret. Quæ tamen hæc cognatio fuerit, explicatum non re
peri. Poſtea duxit Burgundicam Beatricem, ex qua complures utriuſq; ſexus libe-
ros ſuſcepit. Henricus VI. duxit coniugem Sicilienſem Conſtantiam, e monaſte-
rio eductam, quæ ſeneſcens peperit Fridericum ſecundum. Philippi coniux Con-
ſtantinopolitana fuit Irene, è gente Comnenorum. Hæc prægnans, cognita morte ma
riti, quem audiret indigna & perfida crudelitate eſſe interfectum, ita fuit perturba
ta, ut mox poſt abortum extingueretur. Hanc quidam fuiſſe Dalmaticam tradide
runt, nomine Hermengarden. Cuius tantæ diſſenſionis cauſſam non uideo. Othonis
Henrici Saxonis F. prior coniux fuit Beatrix, filia Philippi: quæ poſt nuptias non
diu uixit. Poſterior fuit Maria Brabandica, quæ & ipſa deceſſit priuſquam páre-
ret. Alij tradunt Mariam fuiſſe priorem coniugem Othonis, quam coactus fuerit
dimittere propter coniunctionem ſanguinis: & ita Beatricem eum duxiſſe. De
Friderici ſecundi uxoribus, neq; numero neq; nominibus eadem ſunt ab omnibus
tradita. Nos, qui ſex nominarunt, ſecuti ſumus. Prima igitur fuit Conſtantia Ar
ragonica. Secunda Iole, regis Hieroſolymorũ filia. Tertia Hagne, ſeu Hagnetis. Quar
ta, Rhutina Bauarica. Quinta, Iſabella, & ipſa Bauarica. Sexta, cõſanguinea An
glicana Machthild. Chunradi Friderici F. coniux nominatur Eliſſabeth Baua
rica: quæ nupſiſſe perhibetur poſt mortem Chunradi, Comiti Goriciæ. Henrici Du-
ringi uxor fuit Eliſſabeta Brunoſuigica ſterilis. Uilhelmi Belgæ uxor fuit & i-
pſa Eliſſabeta Saxonica, Othonis Ducis F. Richardi Angli uxor, Sanctia Nar
bonenſis. Alfonſi regis Caſtellæ, Uiolanta Arragonica. Rodulfi, prior Anna
Hohenburgenſis principis F. uel ut alij, Badenſis: ex qua copioſam prolem ſuſcepit.
Poſteriorem duxit ſeneſcens Burgundicam Hagnen, quæ non peperit. Hæc formo-
ſiſs. fuiſſe traditur. cumq́; quodam tempore aduecta ea Spiram, Antiſtes urbis ſu-
bleuans de carpento deſcendentem, officij cauſſa ſuauium dediſſet inuitæ: indica-
uit illa Imperatori factum, cum graui querela. Imperator minus ille quidem in-
dignatus fuit, quòd & ipſe talem ludum ſoleret ludere: ſed ut Auguſtæ, quæ
non leuem iniuriam ſibi factam eſſe arbitraretur, iram placaret, iuſſit dici ſuis uer-
bis Antiſtiti, Imperatorem paraſſe ſibi quod oſcularetur, non alteri. quo nuncio
Antiſtes territus, uoluntario exilio delituit, quoad uixit Rodulfus. Adolfi Naſ-
ſauienſis uxor Imagina, haud ſcio an corrupto nomine, appellatur: ex nobiliſſima
gente Limpergica. Alberti uxorem aliqui Bichgundam, aliqui Eliſſabetam
nominant, Tirolenſem, feminam ingenio excellentem, & pietate præſtantem: cui tri
buunt inuentam rationem excoquendi fructuoſe ſalem. huius illa copiã traditur mu
nificè impertiuiſſe omnibus in illis regionibus religioſis congregationibus. Grauiter
etiam & ſeuerè uindicaſſe cædem Imperatoris mariti ſcribitur, conſcijs ignominio-
ſo ſupplicio affectis. Henricum Lucelburgenſem quidam tradunt habuiſſe uxo-
rem Margaritam Belgicam, feminã mirificè religioſam, & in pauperes benignam,*

& erga om

& erga omnes comem atq; humanam. Ab alijs huius Henrici uxor nominatur
Heſter, Opolienſis Polonica. Friderici uxor fuiſſe perhibetur Eliſsabeta Arra
gonica, incredibili mariti amóre flagrans: ante quam deſponſam Iſabellam Geldria
cam, non duxit. Ludouicus Bauarus habuit uxorem primùm beatricem Polo-
nicam, deinde Margaritam Belgicam. Gunteri coniux non nominatur. Ca-
roli Bohemi uxores nominantur quatuor, hac fermè ſerie. Blanca Valeſia: Anna,
quam aliqui Iohannam uocarunt, mater Venceſlai & Sigemundi: Agne Palati
na: Eliſſabeta Stetinenſis. Venceſlai coniux prior Iohanna fuiſſe perhibetur, à
quibuſdam Anglica, à quibuſdam Belgica. Hanc probam & pudicam mulierem
minus caram fuiſſe marito ferunt, qui ſe etiam infimæ ſortis feminarum conſuetu-
dine pollueret, inq; his unius quæ in balneis operam locaret. Poſterior fuit Sophia
Bauarica, quæ ſuperſtes uiro coniugij fidem præſtitit. Iodoci coniux non nomina-
tur, ſed fuiſſe Ungarica Regina perhibetur. Ruperti Palatini prioris coniugis no
men non reperitur. Altera fuit Eliſſabeta, è Burgrauiorum Norimbergenſium fa
milia: ex qua multos liberos ſuſcepit. Sigemundi Caroli F. prior coniux fuit Ma-
ria Ungarica, poſterior Barbara Cilienſis, inſatiabilis libidinus femina. Non erat
ſalacitas coniugis ignota Imperatori, ſed diſsimulabat dedecus domus ſuæ: quod mor
tuo demùm Imperatore erupit, ipſa etiã oſtentante flagitia ſua. Narratur iocus Im-
peratoris, notans cupiditatẽ obſcœnam coniugis, etſi nõ perurbanus, haud tamen in-
dignus relatu. Audiuerat quodã tempore, dum iter faciens inter ſuos equo uehere-
tur, à tergo quoſdam claros riſus edere. Conuerſus igitur Imperator, quem ab hilari-
tate non abhorruiſſe ferũt, percontatur quid rei ſit, & petit ut occaſio riſus ſecum
communicetur. Ibi ſilentibus atq; perculſis pleriſq;, unus tandem inſtante Impera-
tore, & reſponſionem urgente, fuiſſe ait ſermones de mulierum laſciuia: & retuliſ-
ſe quendam, expleri illarum libidinem nõ poſſe, intra quas pilus unus pantheræ ad-
hæſiſſet. & ex eo riſum excitatũ eſſe. Tum Imperator arridens & ipſe: Profectò in
meam, inquit, Auguſtam exiſtimo integram iſtiuſmodi pellem eſſe demerſam.
Alberti Auſtriaci coniux fuit Eliſſabeta, filia Sigemundi Imperatoris. Fride-
rici coniux fuit Leonora Luſitana, ex qua Maximilianum ſuſcepit: & Chunegun
dem, collocatam Duci Bauariæ Alberto. Maximilianus ſucceſsit patri. hic du
xit uxorem Mariam, Burgundici Caroli filiam, cum qua Belgicas regiones acqui-
ſiuit. Hæc in uenatione ex equo delapſa grauida, & calce equi uulnerata, paulo
pòſt immaturo fœtu edito moritur. Deinde deſponſam ipſi Annam Britannicam,
rex Galliæ eripuit. Poſtremò duxit Mariam alteram cognomento Blancam, Me-
diolanenſem. Burgundica Maria forma non excellens, marito ualde cara fuit, com
mendata non modò dote regionum opulentiſs. Belgicarum, quarum ipſa hæres poſ-
ſeſsionem Maximiliano conciliauerat, ſed bonitate ingenij & multis uirtutibus. I-
pſum Maxim. accepimus dicere ſolitum, quamuis natura eximiũ formæ decorem
negaſſet coniugi ſuæ, tamen habere ſe uenuſtiſſ. atq; pulcerr. uxorem: idq; ornatu
effici. Significabat autem regionum Belgicarum diuitias. Caroli Philippi F. con-
iux Iſabella fuit Luſitana, mater regis Philippi. Ferdinandi, Caroli fratris, con-
iux Anna Ungarica, multorum liberûm mater.

Nunc, poſt-

Nunc,poſtquam Nicephori nominibus adiecimus reliqua ad noſtram uſq; æta-
tem, unà cum quibuſdam narratiunculis eorum quæ indicanda notandaq́; puta-
uiſſemus, enumerabimus & ſuperiorum temporum illuſtres atq; claras feminas,
eorum coniuges qui Imperium Romanum tenuerunt, quosq́; ipſe Nicephorus recen
ſuit. C.Iulio Cæſari deſponſa Coſſutia quædam,non nupſit. Cornelia Cinnæ F.
nupſit,& genita filia deceſſit. Pompeiam poſtea ductam Cæſar dimiſit, motus ru-
moribus de amoribus Clodij. Ultimam habuit Calphurniam, Piſonis F. amantiſſ.
uiri,cui & ſomnio cædem ipſius indicatam fuiſſe accepimus. Quod idem nuper acci
diſſe fertur,oblata ſpecie per quietem Reginæ Galliæ,cruenti Regis,qui in ludo dein-
de equeſtri uulneratus eſt,& paulo pòſt mortuus. Cæſar Octauianus Auguſtus
ſponſæ Seruilij F.nuncio miſſo, uxorem primùm duxit Clodiam,P.Clodij F.quam
non attigit, atq; dimiſit integram. Poſt hanc duxit Scriboniam, tam moroſam, ut
ferre non poſſet importunitatem mulieris,& eam dimitteret. Tertia uxor Octauia-
ni fuit Liuia Druſilla,iam mater in Tiberij Neronis, qui ab Auguſto aliquando
defecerat,& poſtea M.Antonij partes fuerat ſecutus, coniugio. Hanc conſtanter
dilexit,caritate complexus incredibili : quam nimirū prudentia & humanitas Li-
uiæ conciliauit & fouit . ut nullo modo fides habenda uideatur ijs,qui conſilio &
fraude Liuiæ ſcripſere ſublatum ueneno fuiſſe Octauianū. Atq; hanc ſuſpicionem
maleuolentiæ fuiſſe,ueriſimile eſt:neq; cætera uita Liuiæ tam ſuperſtite Octauiano,
quā eo de medio ſublato,hoc crimen admittit. Nam & uiuenti & mortuæ honores
ſunt cùm alij eximij habiti,tum quidam ſententia ſua Matris Patriæ nomen illi
decreuerunt,honeſtiſſima ratione : Quòd plurimorum liberos aluiſſet,& filias cu-
raſſet elocandas. Hæc aliquando interrogata, quo pacto tantum amorem Augu-
ſti eſſet merita : reſpondit, Accurata pudicitiæ primùm cuſtodia : deinde omnib.
rebus illi gratificando,& ſuauiter inſeruiendo uoluntati ipſius . poſtremò, quòd in
actiones nullas aut conſilia ipſius curioſe inquireret,quodq́; ludos amorum ipſius pla
nè ne ſentire quidem ſe ſimularet, nedum impediret,aut exagitaret. Dion elegan-
tem diſputationem colloquij Liuiæ & Auguſti expoſuit, qua perfectum fuiſſe ſcri-
bit, ut multo deinceps clementior Auguſtus, & magis caritate ciuiū propter man-
ſuetudinē, quàm formitudine ob ſæuitiā tutus eſſet. Uixit LXXXVI. ann. Illati
ſunt cineres huius in monumentum Auguſti. Tiberij Imper.coniux fuit A-
grippina, Agrippæ F.neptis Pomp. Attici.quam matrem & grauidam, dimitte-
re coegit eum uitricus Auguſtus, deditq́; uxorem inuito Iuliam filiam. Caij Cæ-
ſaris nondum principis uxor fuit Liuia Claudilla,mortua in partu.Princeps hic fa-
ctus,luſit matrimonijs. Liuiam Oreſtillam, nuptam cum C. Piſone,rapuit è conui-
uio.Poſtea dimiſſam relegauit.Lolliam Paulinam à C.Memmio abduxit,pauloq́;
pòſt repudiauit.Cæſoniam iam matrem ex alio, mirificè amauit:à qua & poculum
amoris conciliandi gratia ei datum quidam ſcripſere, quo hauſto integra deinde
mente non fuerit. Hanc unà cū filiola Iulia,interfectores Caij & ipſam ſuſtulerunt.
Quoniam autem Agrippinæ nomen ſæpe his temporibus memoratur, de hoc paulo
plura, ut genus manifeſtum fiat,dicenda putauimus,deſcripta illa quidem ex An-
tonio Plutarchi. C. Cæſaris Octauiani ſoror conſanguinea ex altera matre fuit

*Octauia,femina formoſiß.& prudentiß.& Cæſari cariſſima. Hæc uirum habuit C.
Marcellum,ex quo ſuſcepit Marcellum F. & filias duas: quarum altera nupſit
M. Agrippæ. Marcello autē data uxor fuit C. Cæſaris Octauiani filia.poſtea mor-
tuo in recente matrimonio Marcello, perfecit Octauia, ut filia fratris Cæſaris dare-
tur Agrippæ,& ſuam filiam ad ſe recepit. Deinde Fuluia mortua,duxit M. An-
tonius Octauiam: ex qua ſuſcepit filias duas,Antoniam maiorem & Antoniam
minorem. Antonia minor forma & ingenio celebris,nupſit Druſo fratri Impera-
toris Tiberij,& peperit Germanicum ac Claudium. Germanici filia fuit Agrip-
pina,& Caius. Antonia autem maior uirum habuit Domitium Aenobar-
bum:qui ex hac ſuſcepit Domitium, cui Agrippina Germanici filia nupſit, pepe-
ritq; Neronē Imper. Suſcepit & Agrippa ex Cæſaris filia Iulia duas filias,Agrip-
pinam & Iuliam. Ita Agrippinæ tres his temporibus nominātur: M. Agrippæ fi-
liæ duæ,una ex filia Attici, & altera ex Iulia filia Octauiani, quæ nupſit Germa-
nico: & Germanici indicata filia Agrippina,mater Imperatoris Neronis. Clau
dius,Druſi priuigni Cæſaris & Antoniæ minoris ſeu iunioris F. Aemiliam Lepi-
dam,Pauli Aemilij & Iuliæ neptis Octauiani filiam,ſponſam repudiauit. Liuiam
Medullinam ducturus,nuptiarum die morbo extinctam amiſit. Plautiam Her-
culanillam,ſuſceptis liberis ut impudicam & malam dimiſit. Ualeriam deinde
Meſſalinam duxit,cuius impudicitiæ & libidinis probra infamiam habent,& de-
decus nefandum,exagitata à multis,& ad ignominiam ſexus muliebris decantata.
Hac occiſa,poſtremò duxit Agrippinam Germanici fratris F. blandimentis ipſius
captus: quæ iam uirum omnibus ſceleribus & flagitijs infamem habuerat Domi-
tium Neronē, Domitij Aenobarbi & Antoniæ maioris F. ex quo Neronem illa
ſuſceperat,qui poſtea eſt Imperator factus,neq; concubitu matris putatur abſtinuiſ-
ſe. Agrippina quidem boleto infecto Claudium ſuſtulit. Neronis Cæſaris coniunx
Octauia,Claudij Cæſaris F.fuit,ſuſcepta ex Meſſalina: improbæ matris honeſta fi
lia. Hanc repulſam & eiectam,tandem curauit interficiendam, & mox pellicem
illius Popeam Sabinam duxit. Hanc quamuis ualde amaret,grauidam tamen per
iracundiam impacto calce in uentrem interemit. Ultimam habuit uxorem Stati-
liam Meßalinam. Galbæ Imper. coniunx fuit Lepida,ita à uiro dilecta,ut mor-
tua illa adduci nullo pacto potuerit, ut alterā duceret. M. Othonis, à quo eſt Gal-
ba è medio ſublatus, coniunx nulla nominatur. Etſi Popeam hic pene ſimul cum
Nerone uxorem habuit, & Meſſalinam Neronis ultimam uxorem deſtinauerat.
Auli Uitellij,qui oppreßit Othonem,prior uxor Petronia,ſecunda Galeria Funda
na fuit. Ueſpaſianus Flauiam Domicillam coniugem,nondum potitus Imperio,
amiſit. Neq; duxit alteram: ſed dilectam prius Cenidem quandam, neſcio utrius
Antoniæ libertam, habuit concubinam. Titi coniugem priorem Arricidiam no-
minant: poſteriorem, cum qua, filia ex ea ſuſcepta Iulia, diuortiū fecit, Martiam
Fuluiam & Furuillam. Domitianus Titi ſceleratus frater,filiam ipſius Iuliam,
abſtractam ab altero uiro cui nupſerat,uiolauit, & abigere medicamentis partum
coactæ autor mortis fuit. Uxorem habuit Domitiam Longinā,abductam ab Ae-
lio Lamia: quem,cauſſatus iocos quoſdam illius,interfecit. Hæc Domitia hiſtrionis,*

cui nomen Paris, amore immenſo flagrauit: & ideo dimiſſa eſt à Domitiano, ſed reducta tamen paulo pòſt. femina impudica, & gloriari ſolita facinoribus libidinis ſuæ. Neruæ coniugium nuſquam inueni indicatum: qui neq; liberos habuit, & adoptauit ſibi Traianum. Traiani coniunx fuit Plotina, femina prudens & grauis: ſed cuius famam polluit ſuſpicio ſiue uera ſeu falſa, amoris Adriani. Adrianus autem habuit uxorē Sabinam, filiam ſororis Traiani, ut indicat Dion. Hanc perhibent animoſe uoluntariam mortem obijſſe, cum in odio mariti eſſet ſiue meritò, ſeu immerito. etſi ſunt, qui necatam ueneno fuiſſe tradiderint. Antonini Pij coniunx fuit Annia Fauſtina, non admodum caſta. M. autem Antonini cognomēto Philoſophi, filia Antonini Pij & Fauſtinæ, eodem nomine. Hæc matre fuit & laſciuior, & impudentior: ſed uel ſapiens, uel blandimētis ipſius delinitus Imperator, & diſsimulauit uiuens etiam cōperta probra, & mortuā acerbè luxit, & max. honoribus affecit. L. Verus, qui Imperij particeps fuit, habuit coniugem Marci F. Lucillam, ſororem Commodi, à fratre ſcelerato poſtea interfectam. Commodi uxor fuit Criſpina. Pertinacis, Flauia Titiana: cum qua alienis amoribus paria feciſſe uir traditur. Didij Iuliani, Manlia Scantilla: quem Nicephorus inter Imperatores non recenſuit. Seueri coniux Iulia Syra fuit, ſecundum Herodianum. & indicari hæc ab Oppiano uidetur, nomine ἀσσυρίης κυθερείης. Aliqui priorem illius, matrem Antonini fratricidæ Martiam nominarunt: poſteriorem, matrem Getæ, interfecti à fratre, Iuliam: quam & priuigno nupſiſſe tradiderunt, cum ille Plautiani F. collocatam ipſi à patre Seuero, inq; Siciliam relegatam, iuſsiſſet occidi. hanc Plautillā nominari inuenio. Macrini uxor fuit Nonia Gellia, uel, ut alij nominarunt, Numia Celſa. De Antonini Heliogabali coniuge nihil ſcribi poteſt, qui portentum hominis fuit. Alexander priore coniuge Martia propter crimen paternarū inſidiarū repudiata, duxit alteram Memmiā. Maximini uxor nominatur Calfurnia, lectiſs. femina. Gordiani, qui ſuſpendio uitam finijt in Africa, qui & ſenior appellatur, Fabia Oreſtilla. Iunioris Gordiani, interfecti à Philippo, Tranquillina. Philippi, Seuera, Chriſtiana (ut perhibetur) mulier. Vxoris Decij nomen non reperitur, neq; Galli, neq; Valeriani: filij autem huius Galieni duarum, Salonina, & alterius Helenes. In Claudio & Aureliano rurſus coniugum nomina deficiunt. itemq; in Tacito, Probo, Caro: huiusq; FF. Numeriano & Carino, nec non Diocletiano. Maximiani autem Herculei uxor fuiſſe ſcribitur Eutropia, Maxentij & Fauſtæ mater.

IN REGVM ISRAELITARVM, ET PONTIFICVM IVDAICI POPVLI, ET aliorum à Nicephoro expoſita nomina atque tempora,

PROOEMIVM IOACHIMI CAMERARII.

REGES Iſraelitas ſeorſim exponendos putauit Nicephorus. credo quòd lectorem putaret commonefaciendum, primùm horribilis diſtractionis, qua diſcerptus dilaceratusq; fuit ille populus, quem peculiarem & unicum haberet in terris æternus Deus: & in quo naſci uellet CHRISTVM, conſtitutum regem & Dominū & σωτῆρα generis humani, antequā huius mundi moles pangeretur. Deinde, niſi fallor, cōſiderari debere putauit Nicephorus, quàm breui tempore, quàm multi Reges Iſraelitæ nominentur: nimirum decem & nouem, CCXL annis. Vt ſi tempus æqualiter diſtribueretur, ſinguli regnaſſent nō multo diutius quàm ann. XII. Quorum euētuum atq; caſuū in cogitando cauſſas quærere, à ſtudio religioſę ſapientiæ non fuerit alienum. Neq; aliter eſt exiſtimandū, quàm cùm harum rerum, tum aliarum memoriam, literarum beneficio eſſe conſeruatam, ut lectio poſteritati prodeſſet uniuerſæ. Diuinitùs eligitur is, qui offenſum ſuperba & inſolente oratione Regis Roboami, Salomonis F. Dauidis N. populum diuellat, & parti illius præſit: qui ipſe ab itinere ueræ religionis & ueneratione æterni Dei hanc ſeducit. Itaq; pœnas dat ſtatim, & alij imitatores & approbatores impietatis poſtea, donec cumulatis cauſſis pœnarum Iſraelitæ uniuerſi abducūtur captiui in exilium ſempiternum. Sed omnia hæc rectius & utilius cogitari, quàm memorari, indicat deſcriptio quoq; Hebraica, minimè uerboſa de tantis rebus. Hoc igitur diligentiæ & ſtudio amantium religionem & cœleſtem ueritatem relinquatur. Sequuntur poſt enumeratos reges Iſraelitas, nomina Pontificum, primùm Iudæorum, deinde eorum qui in cœtu Chriſtiano docendo & curando operam dederunt.

Hos

Hos primùm uocarunt ætatis nomine, Presbyteros: & muneris, Epiſcopos: nō eos quidem dignitate & autoritate aliarum gentiū Pontificibus ullis inferiores, ſed neutiquam pares opibus atq; potentia. Deinde, ut fit, cum nomen Chriſtianum dilataretur, etiam id quod ab omnibus mortalibus magni fieri, & ubiq; in admiratione eſſe ſolet, quæſitum fuit, ut diuinus iſte principatus, & ſpecie pulchritudinis qua humani oculi capiuntur, & copia ſplendoris felicitatisq; in hac uita abundaret atq; excelleret. Tum de ijs curationibus atque muneribus quæ neceſſaria fuerunt auctis congregationibus eccleſiaſticis, Archiepiſcoporum, Patriarcharum, Chorepiſcoporum, Archipresbyterorum, Archidiaconorum, Scholaſticorum, Cantorum, Cuſtodum, & alijs compluribus, nomina fructuoſæ illa quidem & locupletis præſtantiæ retentà ſunt, res ipſa & officium neglectū penitus euanuit. Vnde Eccleſię Chriſtianę adminiſtrationē inuaſit primùm ſuperſtitio, amiſſa doctrina ueritatis: deinde etiā barbaria, ut principatus illius à dominatione nihil differret. Scelerata aūt affectio cupiditatum atq; ambitionis, ab initio maxima damna dedit, in primisq; perniciosa fuit ſanctiſs. congregationibus, in quib. æternus Deus cùm ſe ipſum ac uoluntatē ſuam cognoſci uoluit, tum ſecundum hanc uitam degi honeſtam & uacantem culpa, quam cæteri mortales prædicarent atq; ſuſpicerent. His igitur cœtibus mirificè nocuit ambitio: & eò tandem progreſſa eſt audaciæ, uel potius impudentię, ut imperia & iura ciuitatum regnorumq; in orbe terrarum corriperet, & his illuderet. Quæ etſi ſunt dictu triſtia & dura, tamen quoniam uera ſunt, & argumenti tractatus hanc mentionem expreſsit, reticenda non putauimus. Semper autem pungit ueritas: ut medicamenta etiam ſalutaria dolorem facere conſueuerunt. Sed hæc iam non tam qualia ſint, cum ſint manifeſta, quàm quorſum eruptura eſſe uideantur, prouidendum eſt: quandoquidem eò proceſſere, ut iamdudum inſiſtere appareat. Quæ autem iſtius quaſi orbis conuerſio futura ſit, præter Deum, in cuius & hæc & omnia manu ſunt, nouit nemo. Vehementem certè & tumultuoſam fore, nō modò proſpicere poteſt humana attentio,

ſed ſigna etiam plurima penè uoce edita loquuntur atq; clamant, de cœlo & terra. Quo aũt minus iſta iam longo tempore uel animaduertuntur, uel curantur, eo ſcilicet atrociores exitus metuendi ſunt. Nam iſta non iam negligentia oſci tantum aut dormitantum, ſed planè deliria dementiæ exiſtimanda ſunt. Siquidem uera Tragœdiæ ſententia eſt, cum inſignes miſeriæ ac calamitates impendeant, tum mentem intelligentiamq; peruerti hominum,

Peccata ne ipſi quanta ſint uideant ſua.

Quorum nos quidem poteſtatem permittentes Deo, orantesq; ueniam, & implorantes clementiã ipſius, qui affirmat ſe uitam hominis, non mortẽ expetere: ita deinceps, id quod inſtituimus, perſequamur.

REGES DECEM TRIBVVM ISRAEL IN SAMARIA, À TEMPORIBVS ROBOAM FIlij Salomonis, uſq; ad traductionem in Aſſyrios tribb. X. ſub Ezecia rege Iudææ.

PRIMVS, Hieroboam ſeruus Salomonis, ungitur ab Achia propheta: quòd dominus ipſius Salomon declinaſſet ad alienigenas uxores, & externas ceremonias illarũ. SECVNDVS, Nabath filius ipſius: ann. 2. TERTIVS, Baſa: hic deleuit domum Hieroboam. an. 24. QVARTVS, Hela filius illius, ſub quo IEV propheta: ann. 2. QVINTVS, Zamri ſeruus eius, qui illum interfecit: menſib. 7. SEXTVS, Amri: ann. 12. SEPTIMVS, Achab filius eius: ſub quo Elias propheta clauſit cœlum, & interfecit ſacerdotes Baal. ann. 22. OCTAVVS, Ochoſias filius huius: ann. 2. NONVS, Ioram frater eius, quem occidit Ieu ſecundum uerbum Domini: ſubq; hoc propheta fuit Heliſſæus. ann. 12. DECIMVS, Ieu: unctus à diſcipulo Heliſſæi ad exitium domus Achab, ſecundum prophetiam Eliæ. ann. 28. VNDECIMVS, Ioachaz: quem afflixit uaſtans regnum ipſius Azael, rex Syriæ. ann. 17. DVODECIMVS, Ioas: ſub quo Heliſſæus propheta uictoriam de Syris prędixit, & miracula edidit. ann. 16. DECIMVSTERTIVS, Hieroboã: ſub quo Ionas propheta. an. 41. DECIMVSQVARTVS, Zacharias: in quo cõpleta fuit prophetia Heliſſæi. promiſerat enim Deus per hunc Ieu, duraturos ab ipſo reges Iſraeliticos in quartam progeniem. huius ſunt menſ. 6. DECIMVSQVINTVS, Sellum, interfector Zachariæ: menſ. 1. DECIMVSSEXTVS,

SEXTVS, Manahem.ann.10. DECIMVSSEPTIMVS, Phaceas filius Manahemi: ann.2. DECIMVSOCTAVVS, Phacea filius Romeliæ: ann.20. Sub quo fuerunt Eſaias & Naum prophetæ. DECIMVSNONVS, Oſee filius Elæ, interfector Phaceæ: ann.9. Huius tempore Salamanaſſer Aſſyriorum rex cepit totam Samariam, & regem ipſius, & totum Iſraël, exceptis duabus tribubus Iuda & Beniamin: cum eſſet rex Hieroſolymis Ezecias. Introduxit autē in terram illam Chutæos, ut uocantur: collocauitq́ in Samaria, & urbibus à ſe uaſtatis atq; captis. Hi ſuis dijs ſeruiebant: & ideo Deus iratus, immiſit eis leones, à quibus illi deuorabantur. Hac re & cauſſa cognita Rex Aſſyriorum miſit Iſraëlitas ad eos, cum Sacerdotibus, qui ipſos docerent legem & uenerationem Dei æterni. Admiſerunt autem tantummodò ſcripta Moyſis: & colentes Deum æternum, non reliquerunt idola. Horum poſteri ſunt Samaritæ in hodiernum diem, ſolum Pentateuchos conſeruātes, & fugientes conſuetudinem Iudæorum.

APPENDIX.

NOn fuerunt multa addenda, cum & ſeries horū Regum & nomina dilucidè expoſita ſint in libris ſacris Hebræorū, & Ioſephi narrationes extent. Anni Hieroboami omiſſi à Nicephoro, ſunt XXII. Et Zamri, quem Ioſephus Zamaren nominat, apud eundem ſunt dies VII. non menſes. Conſummans autem tempus horum regum Ioſephus lib. IX, exponit ann. CCXL. M. VII. D. VII. tribuens nimirum ſeu ann. XXVII. Nam ubi legitur apud eundem, ἰβασίλευσε τῶν ἰσραηλιτῶν ἰωάσος υἱὸς ἱεροβόαμος ἐν σαμαρείᾳ ἔτη τεσαράκοντα: puto omiſſum eſſe ſcribæ uitio α, ut uera ſcriptura futura ſit, τεσαράκοντα ά.

PONTIFICES IN ISRAEL.

AARON ab Abraamo ſeptimus, reliquit filios duos, Eleazar & Ithamar. II. Eleazar, ſub quo deceſsit Moyſes, & eſt diuiſa terræ poſſeſsio per Ioſuā, & tabernaculū teſtimonij fixum in deſerto. III. Phinees, Eleazari F. cum omnibus ſenioribus populum iudicans Abiu. Bechi. Ozi. IIII. Heli, ex Ithamar. V. Achitoph, ſub quo Samuel. VI. Abiathar, cum Dauide. VII. Zadoc, ex domo Eleazari. VIII. Achimas, Azariæ F. filij Amariæ. IX. Azarias, ob ardentem affectionem amoris erga Deum, qui eſt ſcilicet ζῆλος θεοῦ, interfectus. X. Azaria, qui prohibuit Oziam ingreſſu in loca ſacra. XI. Vrias, fidelis Eſaiæ. XII. Sommas, prauus & libidinoſus, tempore Ezeciæ regis. XIII. Eliacim, Sellum F. XIIII. Chelcias, ſub Ioſia rege optimo. XV. Sareas tempore eo quo Iudæi captiui abducti ſunt Babylona à Nabuchodonoſore. XVI. Ioſſedech, quem Iezeciel Saduc nominat. Hic fuit Babylone inter captiuos. XVII. Ieſus, filius eius: qui redijt in patriam, & templum inſtaurauit cum Zorobabel. XVIII. Ioacim, Ieſu F. XIX. Eliaſib, filius Ioacim. XX. Iodae, Eliaſibi F. ſub quo

Neemias inſtaurauit Hieroſolyma, & muros refecit. XXI. Ionas. XXII. Iaddo, tempore Alexandri regis Macedonum. XXIII. Onias. XXIIII. Simon, Dei amans. XXV. Eleazar, frater Simonis: ſub quo translatæ fuerunt ſacræ ſcripturæ, tempore Ptolemæi regis. XXVI. Manaſſe. XXVII. Onias, Simonis F. XXVIII. Simon, Oniæ F. cuius meminit Ieſus Sirach F. in Sapiētia ſua. XXIX. Simonis filij tres, Onias, Iaſon, Menelaus. Hi aduerſati ſibi mutuò, ſeſe euerterunt. Horumq́ temporibus illa facinora deſignauit Antiochus, ſublato Menelao. XXX. Alcimus alienigena, conſtitutus Menelai loco ab Antiocho. XXXI. Iudas Maccabæus, & Ionathas, & Simon cum fratribus. XXXII. Iohannes, qui & Hyrcanus, Simonis F. XXXIII. Ariſtobulus, Hyrcani F. qui poſt Alexandram matrem necatam, diadema ſibi impoſuit. XXXIIII. Iohannes, qui & Iannæus, & Alexander. XXXV. Hyrcanus, quem Ariſtobulus frater eius expulit: Pompeius uerò Imperator confugientem ad ſe Hyrcanum reſtituit. Quo tempore ſubiecti fuerunt Romanorum ditioni Iudæi. Ac Ariſtobulus quidē uinctus Romā mittitur à Pōpeio: Hyrcanus autem capitur à Parthis: Antigonus uerò filius Ariſtobuli & ipſe interficitur. XXXVI. Ananelus alienigena, quē conſtituit Herodes. XXXVII. Ariſtobulus, Hyrcani F. gener Ananeli, ſublatus ab Herode. XXXVIII. Ananelus, iterū ab Herode cōſtitutus. XXXIX. Simon, Boethi F. ſocer Herodis. XL. Matthias, Theophili F. XLI. Ioazar, filius ſocrus Herodis: ſub quo natus eſt Chriſtus. XLII. Eleazar. XLIII. Ieſus, Oſiæ F. XLIIII. Ioazar. XLV. Ananus: ſub quo Chriſti manifeſta doctrina & miracula ſunt inchoata. Hunc Ananum Gratus præſes Rom. dignitate & munere priuauit, conſtituto illius loco Iſmaelo. XLVI. Eleazar, Anani F. XLVII. Simō. XLVIII. Cayphas, q et Ioſeph, gener Anani. Annuus aūt magiſtratus erat Pontificum ſub præſidibus Romanis, à quibus & muneris illius principatus conferebatur. Cayphas igitur Pontifex fuit anno eo, in quem incidit paſsio CHRISTI. Hunc remouit Vitellius, prætor Romanus. XLIX. Ionathas, Anani F. L. Theophilus, frater huius. LI. Simon. LII. Ionathas, Anani F. iterum. LIII. Matthias. LIIII. Aelionæus, qui & Ioſephus. LV. Ananias, quem uinctum Quadratus miſit Romam. LVI. Iſmaelus. LVII. Ioſephus, conſtitutus à Nerone. LVIII. Ananias, qui ſuſtulit Iacobum fratrem Domini, cui Paulus dixit: Percutiet te Deus, paries albate. Hunc Agrippa ſecundus remouit. In Hieroſolymorū autem obſidione à ciuibus occiditur. LIX. Ieſus, Damnæi F. LX. Ieſus, Gamalieli F. LXI. Matthias, ſub quo inchoatur bellum aduerſus Romanos. LXII. Phinees: qui productus fuit à Romanis. in quorum manus deuenerat, populantibus Hieroſolyma. Cuius tempore Titus urbem cepit, & incendit templum.

APPEN-

APPENDIX.

Pontifices uocauimus eos, quos Græci ἀρχιερεῖς. Huius honoris dignitas, propter exiſtimationem ſingularem Religionis in Iudaico populo fuit maxima. Non eſſe autem eum numerum qui à Nicephoro exponitur, uerum, primo loco notandum eſt. Deinde alia etiam quædam ſunt indicanda. Dicit autem Ioſephus ultimo libro de Antiquitate Iudæorum, fuiſſe uniuerſos Pontifices ab Aarone primo ad ultimum Phinees (ipſe Phanaſſum appellat) numero octuaginta tres. Atq; tredecim quidem, uſq; ad extructionem templi Salomoneam, cum primùm in demortui locum demum alter ſuccederet: poſtea abdicantibus ſe illo munere & uiuis, noui alij crearentur. Fuit autem illa poſteritas duorum filiorũ Aaronis, Eleaſſari & Ithamari. Atq; huic tempori tribuuntur à Ioſepho anni DCXII. Ab hoc tempore ad abductos Iudæos captiuos Babylona, annis CCCCLXVI. menſ. VI. dieb. X. fuiſſe ait XVIII Pontifices. Poſt annos Babylone confectos LXX. & ab eo tempore quo templum cœptum eſt inſtaurari, fuiſſe ait Pontifices XV. uſq; ad regnum Antiochi Eupatoris, ann. CCCCXIIII. Quo Pontificem ait fuiſſe Ioacimum triennio, & deinde ciuitatem non habuiſſe Pontificem ſeptennio. Ab hoc tempore Aſamonæos Pontifices numerat IX. uſq; ad Ariſtobulũ, quem natantem ſubmergendum necandumq; curauit Herodes Antipatri F. Rex: ante quem tamen Ananelus quidam Pontifex ab Herode factus fuit. ut ad hunc illi IX numerentur, & in Ariſtobulo Aſamonæi defecerint. Ab his autem IX, reliquos ait fuiſſe XXVIII: ad urbis captæ tempus à Tito, ann. CVII. Hæc igitur in Ioſephi libro leguntur, quẽ indicauimus. Non eſſe autem erratũ librarij in illis DCXII annis, alter locus oſtendere uidetur libro VIII. ubi ſcribitur templum extrui cœptum eſſe à Salomone, poſt egreſſionem Iſraelitarum ex Aegypto annis D.XCII. Ac de numeris quidem annorũ Ioſephi & alij quæſiuerunt, & à nobis aliquid dictum eſt. Sed hoc nunc conficitur, non eſſe uniuerſos Pontifices à Nicephoro nominatos. Atq; haud ſcio, an exponi illorum ſeries nominatim omnino nequeat. Adhuc quidem comperi feciſſe neminem: & qui præſtiterit, is inter ſcriptores huius generis, in iſto curriculo, mea quidem ſententia

λοῖσθος ἀνὴρ ὥριστος ἐλάσει μώνυχας ἵππους.

Mihi ſanè cùm alia rem cõfundere uiſa ſunt, tum hoc attentioni meæ obſtitit, quòd & perfunctos munere iſto appellari Pontifices animaduerterim: & quaſi eodem tempore multi ſimul fuerint, Pontificũ appellationẽ poni: ut in mentẽ uenire alicui poſſit, eos ex quibus ſolerent legi, aut quos omnino liceret creari Pontifices, iſto nomine ornatos fuiſſe. Sed hæc relinquamus: quæ nos quidem perſequentes, id faceremus quod Prouerbiũ tanquam inſaniã reprehendit, ut aues prænolantes inſequeremur curſu. Quod igitur reſtat, in expoſitione Nicephori quæ notanda putauimus, ea deinceps referemus. Ubi nominantur in Nicephoreis, Abiu, Bechi, Oſi, quid ille indicare uoluerit neſcio. nam ſcriptura eſt hoc loco mendoſa. Neq; poſt Phinees, Eleaſſari F. Aaronis N. Pontificum ſeries nominatim extat. Generis autem ſucceſſio exponitur παραλειπομένων primo libro ita, ut perhibeatur Aaronis filium fuiſſe Eleaſſarum, Eleaſſari Abiud, Abiud Boche, Boche Ozi: de quo aliquid

diſſerere

diſſerere uoluiſſe Nicephorum ſuſpicor. Quòd Achitoph tempore Samuelis fuiſſe ait, de põtificatu huius quærendum. Libro quidem Regum primo cap. x I I I I. hæc leguntur: καὶ ἦσαν μετ' αὐτοῦ, nimirum cum Saule, ἀχιὰ υἱὸς ἀχιτώβ, ἀδελφοῦ ἰωαβὴδ, υἱοῦ φινεὲς, υἱοῦ ἠλεὶ, ἱερεὺς τοῦ θεοῦ ἐν σιλὼμ, αἴρων ἐφούδ. An autem tum iſte Achia ſacerdos fuerit Pontifice patre, mihi non liquet. Mox etiam ubi dicitur, Achimas Azariæ F. filij Amariæ: inuoluitur narratio. παραλειπομένων quidem libro primo, in ſerie generis Eleaſſari legitur: Amaria genuit Azariam, & Azaria Achitob. Achinam autem conſtat fuiſſe filium Zadoc: ut deprauatam eſſe ſcripturam hoc etiam loco appareat. Verùm Abiathar poſteritatis fuit Heli, ambo quidem ἱερεῖς: ſed de Pontificatu aqua hæret, ut dicitur. Azarias autem, qui interfectus narratur, erit ſcilicet Zacharias, filius Ioiadæ, lapidibus obrutus regnante in Iudæa Ioas. Ioiada autem Pontifex fuit, & uixiſſe ſcribitur ann. c x x x. Sed ne in his quaſi allucinãtes uagemur diutius, ſubijciam eam ſeriem Pontificũ, quæ extat in libro x. Ioſephi, cuius narrationẽ ita ſumus interpretati. Primus Pontifex fuit Sadocus, in eo tẽplo quẽ extruxit Salomon. Cui in hoc honore ſucceſſit filius Achimas. Et huic Azarias. Itemq́ huic Ioramus. Poſtea Axioramus. Huius filius deinde Phideas. Et mox Phideæ Sudeas, & Sudeæ Iulus, & Iuli Iothamus, Iothami Urias, Uriæ Nerias, Neriæ Odeas. Huius deinceps F. Sallumus, Sallumi Helcias, Helciæ Sareas, Sareæ Ioſadocus, qui captiuus Babylona ductus eſt. Hos fuiſſe ait perpetua ſerie Pontifices, cum filij patribus ſuccederent. Sed cum libro ultimo dicat, Regum tempore fuiſſe x v I I I Pontifices, fortaſſe ante Sadocum hac enumeratione unus omiſſus fuit. Quid fiet autem de Somna & Eliacimo Sellumi filio, quorum ſunt in expoſitione Nicephori nomina? Ego quid dicã non habeo, & quæro. Qui habuerit & inuenerit, is proferat. Decet autem doctos & ſtudioſos literarũ & artium bonarũ (hi enim ſunt μουσῶν θεράποντες) οὐ φθονερὸν τελέθειν, ἀλλὰ τὰ μὲν μῶσθαι, τὰ δὲ δεικνύναι: ſecundum Theognidem.

Quod ad cætera nomina attinet, res plana eſt. Qui Ionas apud Nicephorum eſt, hunc Ioſephus libro x I uocat Iohannem. Idem & Ionatha, & Iohanna eſt, in Nehemiæ libro. Ioadae autem, pater huius, Ioſepho eſt Iudas, alijs Ioiada. Cuius filius Iohanna, fratrem Ieſum in templo occidit: ut Ioſephus tradidit. Alter filius Manaſſes duxit externam coniugem Nicaſo, Sanabelletæ filiam. Quæ cauſſæ fuerunt magnorum malorum, & pernicioſæ diſtractionis, & prophanitatis impietatisq́ in Iudaico populo. Simon Dei amans, Ioſepho Simon Iuſtus eſt: cui non filius, ſed frater Eleazar ſucceſſit, ambo Oniæ filij. De translatis autem ſacris ſcripturis in ſermonem Græcum, uerboſæ narrationes extant Ioſephi lib. x I I. Manaſſen autem ſucceſſorem Eleazari, fuiſſe ipſius patruum, idem Ioſephus ſcripſit: ut frater hic Oniæ fuiſſe uideatur. Manaſſis ſucceſſor Onias, filius fuit Simonis, Oniæ nepos, Ioiadæ pronepos, auunculus Ioſippi: de quo elegans eſt narratio lib. x I I. Ioſephi, quo pacto Ptolemæum Euergetem iratum Onia placauerit. Unde feſtiuum dictum Hyrcani, Ioſippi iſtius filij, deſcriptum hoc loco referre uiſum. Miſerat eum pater ad Regem, gratulatum nato filio Regi, cum mandatis, ut dona à ſe illi offerret: ratus in hoc eum modum eſſe ſeruaturum. Ipſe uerò tum cæteros omnes magnitudine impen-

ſarum

ſarum & donorũ elegantia ſuperauit. Acceptus autẽ conuiuio regio, ut iuuenis, infimo loco accubuit. Ibi alij cùm oſſa nuda carnibus comeſſis ante eum curarunt congerenda, ut his menſa appoſita ipſi compleretur: tum Tryphonem ridiculum in aula Ptolemæi ſubornarũt, qui per iocum aceruũ oſſium oſtendens Regi, iuberet eam copiam illum contemplari, & cogitare, ſimiliter nudam reliquiſſe patrẽ adoleſcentis illius totam Syriam, quemadmodum filius oſſa. Rex dicto exhilaratus, interrogauit Hyrcanum, quî fieret ut tam multa ante ipſum oſſa iacerent repoſita? At ille nihil moratus: Recte, inquit, Domine. Canes enim etiã oſſa unà cum carnibus, inſtar iſtorũ (demonſtrans æmulos) deuorãt: at homines ueſcũtur carnib. & oſſa abijciũt. Id & à me more hominũ nunc factũ eſt. Tum rex mirificè delectatus faceta reſponſione, omnes applaudere iuſſit Hyrcano. Sed redeamus ad Pontifices. Simoni ſucceſſit Onias: & Oniæ, frater ipſius Ieſus, qui ſe Iaſonem nominauit. Nam filius huius Onias, propter ætatem puerilem munus illud gerere non potuit. Sed tertius frater Onias natu minimus, qui appellatus eſt Menelaus (nam hos filios tres Simon Pontifex reliquerat) Pontificatu fratrem Iaſonem deiecit, & ope Antiochi Epiphanis ipſe eo potitus fuit: ambitione ſua autor defectionis populo Iudaico, ab inſtitutis & legib. diuinis. Unde accidit, ut & Hieroſolyma, totaq; Iudæa indignũ in modum uaſtaretur, & bellum diuturnum atq; graue exiſteret: quod à Iuda Matthiæ filio cognomento Maccabæo, Maccabaicum nominatur. Hunc Menelaum abductum in Syriam, Epiphanis filius Antiochus cognomento Eupator, interfici iuſſit, ſuadente Lyſia, pontificatus eius anno x. ſuffecitq; illi Alcimum, quẽ Nicephorus alienigenam uocat: cui alterum nomen fuit Iacimi. Ioſephus uerò alterius tantum familiæ fuiſſe ſcripſit, ex poſteritate tamen Aaronis. Sed Oniæ filij Simonis filius (hic enim fratrum max. natu, filium eodem nomine reliquerat decedens, paruulum) rebus in Iudæa afflictu, Antiochi tyrannidem fugiens, contulit ſe in Aegyptum: ubi ſe in amicitiam Ptolemæi Philometoris & reginæ Cleopatræ cum inſinuaſſet, impetrauit ut liceret templum in Aegypto extruere, ſimile Hieroſolymitano. Quod in regione Heliopolitarum magis uerbo quàm re ſimile perfectum fuit, odio & inuidia reliquorum in Iudæa popularium: cum ipſe, priuatus ſucceſſione paterna pontificatus, exularet. Hoc factum eſſe ſecundum uaticinationem Eſaiæ putat Ioſephus, haud ſcio an perperam illum locum interpretans. Fuit autem aliqua ſpecies religioſæ uenerationis in Aegypto, & frequentatum illud templum, annis circiter CCCXLIII. Tum deinde templo iſto clauſo, ſacra & ceremoniæ funditus interierunt, cum Imperator eſſet populi Rom. Ueſpaſianus, & Aegypti præſes poſt Lupum Paulinus. Ad huius Oniæ patrem Oniam, miſſam eſſe epiſtolam de fœdere ab Areo rege Spartiatarũ ſcripſit Ioſephus, & exẽplum expoſuit libro XII. ſiue uerum, ſeu fictũ. In ijs quæ ſequuntur, Ioſephi narrationes diſſentiunt. Nam libro XII, mortuo per cruciatus acerrimos Alcimo, qui demoliri ueterẽ quandam extructionem ſanctorum Prophetarum uoluiſſet (ipſe τεῖχος τοῦ ἁγίου appellat) hoc igitur mortuo, Pontificatum Iudæ populum cõtuliſſe tradit, & poſt triennium ſucceſſiſſe ei fratrem Ionathã. Libro autem XX, qui ultimus eſt τῆς ἀρχαιλογίας, mortuo Alcimo ſucceſſiſſe neminem: ſed fuiſſe ſine pontifice Iudæos ſeptennio, &

deinde

deinde ab Aſamonæis factum pontificem Ionatham: ut cùm alijs partibus, tum hac, res mirificè illis temporibus confuſas atq; perturbatas fuiſſe intelligi facile poſsit. Itaq; & de Alcimo indiſerta eſt Ioſephi narratio. & lib. x I I. ſcribit, Ionathæ Pontificatum contuliſſe Alexandrũ Antiochi F. poſt annũ I I I, quàm eſſet interfectus Iudas: cum interea Pontifex nullus fuiſſet. Quòd autem memorat Nicephorus Pontificatum Iudæ & Ionathæ & Simonis cum fratribus: fortaſſe in Pontificatu ſocij fratres fuere alij duo. nam uniuerſi numerantur & nominantur V. Sed pontifices tres tantum iſti fuiſſe perhibentur. Ex quinq; autẽ unus Eleaſſarus narratur à Ioſepho occubuiſſe, oppreſſus elephanto, ſubter quem ſubijſſet, & illum confodiſſet. Ariſtobuli Hyrcani filij matrem, ab illo fame necatam, non nominat Ioſephus. Sed idem Ariſtobuli coniugem à Græcis ſcribit uocatam eſſe Alexandram, quã Iudæi appellarent Salomen. Nominat & Iannæi, qui & Alexãder, coniugem Alexandram, mortuam grandiorem annis L X X I I I. quæ una uidetur & eadem regina, nupta duobus fratribus. Iſte Hyrcanus manifeſte coniunxit, uel confudit potius Pontificatus dignitatem, & poteſtatem Regiam. Quod quoties ubicunq; gentium & locorum factum legimus, magnopere uitam hominum publicè priuatimq; perturbatam ſimul, & plurimorum malorum cauſſas datas eſſe cognoſcimus. Neq; tum Regij nominis principatu diu lætati fuere Iudæi: & quæ ærumnæ populum illum afflixerint, de hiſtorijs quæ in medio ſunt, intelligi poteſt. Cum autem Regem ſe haberi & appellari uoluit Ariſtobulus, anni abierant, ut Ioſephus retulit, C C C C L X X X I. menſ. I I I. ex quo Iudæi Babylone in patriam redierant. Ipſe uno anno regno potitus, mortem obijt inter corporis & animi grauiſsimos dolores. Hoc loco ſane compluribus annis Chronologi tempora non pariter diuidunt. ſed Ioſephi ſuperant numerum cæterorum: etiamſi detrahantur illi, qui conficiuntur collectis diebus ijs quibus anni defici putantur. quòd traditũ ſit, Iudæos definijſſe annos ſuos menſibus quidem illos X I I, ſed ſingulis attributis diebus X X X. ſecundum Lunæ lumina. Qua ratione ſingulis annis dies V, & quaternis unus addendus eſt, ut Solis conuerſioni ueritas anni congruat. In Pontifice X X X I I I I, ut Nicephorus numerat, per negligentiam ſcribæ mendoſa erat expoſitio. Itaq; ante Hyrcani nomen appoſuimus nos numerum, ut nomina diſtinguerentur. A Ioſepho autem res ſic narratur: Hyrcani filij fuere complures. ex his Ariſtobulus deſignatus à patre ſucceſſor fuit: qui fratres cæteros, præter Antigonum, captos curauit cuſtodiẽdos. Antigonus autem cum ualde diligeretur à fratre, poſtea tamen maleuoli ſuſpicionibus animum Ariſtobuli alienarunt, & fictis ſermonibus ignorãtem omnia Antigonum induxerunt, ut ipſe cauſſam præberet mortis ſuæ. Nam accerſito inermi, nunciarunt ij qui oderant Antigonum, iuberi illum accedere fratrem cum armis, quæ inſpicere cuperet. atq; ita eſt interfectus à ſatellitibus Regis, qui mandatum acceperant, ut uenientem ad Regem armatũ obtruncarent. Sed Ariſtobulus non diu ſuperſtes, morbo corporis & dolore animi confectus moritur. cuius uxor Alexandra paulo antè memorata, perfecit ut frater illius Iannæus, ſeu Ianneas, qui & Alexander, regnum adipiſceretur. Hic reliquit filios duos, cum coniuge Alexandra: penes quam eſſe ſummam rerum Alexandro morienti placuerat. Hæc Pontificem

fecit

ſecit ex filÿs maiorem natu Hyrcanum. Id alter, Ariſtobulus nomine, moleſtè ferens: adhuc uiuente, ſed ægrotante matre, regnum occupare aggreſſus, locis munitis potitus eſt: & fratrem repugnantem uicit, ad easq; conditiones compulit, ut ſibi regno conceſſo, ipſe uiueret priuatus. Sed Hyrcanus poſtea ab Antipa, qui & Antipater, Idumæo impulſus, cõfugit ad Areiã regem Arabiæ. Qui cũ reſtituere in regnũ eum conaretur, prohibitus à Scauro, fauente Ariſtobuli partib. poſtea ab Ariſtobulo multis cæſis prælio eſt ſuperatus. Sed mox à Pompeio pontificatus Hyrcano redditus eſt. Atq; ea quæ perſtringuntur à Nicephoro, à Ioſepho autem copioſe enarrantur libro XIII. & XIIII, acciderunt horũ fratrũ diſsidio: qui filÿ fuerunt Iannæi ſeu Alexandri, nepotes Hyrcani, pronepotes Simonis. Ananelũ uocat alienigenã Nicephorus, pro externo. non enim ἀλλόφυλος hic fuit, ſed ἐπιχώριος: nimirum accerſitus Babylone, ſacerdotalis quidem generis, ignobiliorũ tamen. Atq; Antigono necato, defecit Aſamonæorũ imperiũ & principatus. Et Ariſtobulũ quaſi oſtentans pontificis habitu, mox è medio ſuſtulit Herodes. Iſte autem Ariſtobulus penè puer fraude Herodis natando ſuffocatus, nõ fuit filius Hyrcani, ſed nepos ex filia: habuitq; patrem Alexandrum, Ariſtobuli fratris Hyrcani filiũ. cuius maternũ etiam auũ idem Herodes, maiorem annis LXXX, tanquam inſidiantem regno, & proditorem, ſceleratè iuſsit occidi. Ante Simonem Boethi filium, cui honorem pontificatus contulit Herodes, ducturus filiam ipſius alteram Mariannen, mentio fit à Ioſepho pontificis Ieſu, quem filium Phabetis ait fuiſſe: & ei tum pontificatum ademptum, datumq; Simoni. Idem Ioſephus ſcribit, priuatum eſſe Matthiam Pontificatus honore ab Herode: & ſuffectum in locum ipſius Ioazarum, fratrem uxoris Herodis. Huiusq; Matthiæ tempore narrat accidiſſe, ut uiuente Pontifice, eſſet uno die Pontifex alius. Cum enim Matthias, nocte diem ſolennis ſacrificÿ antecedente uiſus eſſet uidere in ſomnis, ſe muliere conſueſcere: fungi munere Pontificis poſtridie ei non licuit. & hoc eius loco obÿt cognatus ipſius Ioſephus. Sed Matthiam illum Herodes remouit, quòd partibus ſibi aduerſis fauere eum comperiſſet. In ÿs quos Ioſephus Ioazaros uocat, aqua (ut dicitur) hæret. nam eundem iterum factum ſignificat. Et uocat hunc Ioazarum, Boethi filium. qui ſi idem eſt, & ille affinis Herodis, ſiquidem frater fuit hic filiæ Pontificis, manifeſtum eſt non conſentire expoſitionem. Hæc ſanè de ÿs, quæ extant, narrationibus ſunt inexplicabilia: de quibus ſtatuat quiſq; quod uoluerit. Ieſus autem Pontifex, filius eſt uel Oſiæ, uel Siæ. Ananum pontificem factum ab Archelao, cum Ioazarum ille remouiſſet, ut ſcribitur XVIII libro Ioſephi, alÿ Annam uocant. quem Ioſephus libro ultimo habuiſſe ſcribit filios quinq;, qui omnes Pontificatus munere functi ſint. Ionatham filium Anani iterum oblatum pontificatum ſibi ab Agrippa recuſaſſe, & ſuadente eo datum hunc eſſe fratri ipſius Matthiæ, retulit Ioſephus libro XIX. ubi & Aelionæum, Alionæũ nominari legimus, filium Cithæi. Sed quæ ab eodem memorantur libro ultimo, alium facere uidentur Ioſephum. Ioſephum conſtitutum à Nerone, falſum puto: ſed cum legatur in hiſtoria Ioſephi, ὁ δὲ βασιλεὺς δίδωσι τὴν ἱερωσύνην ἰωσήπῳ, τῷ σίμωνος παιδὶ ἀρχιερέως, ἐπικαλυμένῳ βαφεῖ, de rege Agrippa hoc narrari apparet. Qui rurſum Ioſepho remoto, dedit

Pontificatum Anano, Anani filio, qui & Ananias. Huicq; ereptum Pontificatum poſt menſes tres, dedit Ieſu. Etſi deinde quoq; appellatur pontifex Ananus. In his colligendis ſudauimus nonnihil: profeciſſe autem nos parum animaduerto, ut quod operæ precium ſit, factum non eſſe uideatur. Extant expoſitæ res horum temporum maxima è parte, ſtudio & induſtria PAVLI EBERI *Theologi, uiri ingenio & doctrina præſtantis: quæ cupidi cognitionis plenioris pellegere poſſunt.*

NICEPHORI NOMINA PATRIARCHARVM HIEROSOLYMIS, POST CHRISTI IESV in cœlos aſcenſionem.

PRIMVS Iacobus, frater Domini: annis 26. II. Simeon, Cleopæ fratris ipſius F. & martyr, ann. 23. III. Iuſtus, ann. 6. IIII. Zacharias, ann. 4. V. Tobias, ann. 4. VI. Beniamin, ann. 2. VII. Iohannes, ann. 2. VIII. Matthæus, ann. 2. IX. Philippus, ann. 1. X. Seneca, ann. 4. XI. Iuſtus, ann. 4. XII. Leui, ann. 4. XIII. Ephraim, ann. 2. XIIII. Ioſeph, ann. 2. XV. Iudas, ann. 2. XVI. Marcus, ann. 8. XVII. Caſsianus, ann. 8. XVIII. Publius, ann. 5. XIX. Maximus, ann. 4. XX. Iulianus, ann. 2. XXI. Gaianus, ann. 3. XXII. Symmachus, ann. 2. XXIII. Caius, ann. 3. XXIIII. Iulianus, ann. 4. XXV. Elias, ann. 2. XXVI. Capito, ann. 4. XXVII. Maximus, ann. 4. XXVIII. Antoninus, ann. 5. XXIX. Valens, ann. 3. XXX. Dolichianus, ann. 2. XXXI. Narciſſus, ann. 4. XXXII. Dius, ann. 8. XXXIII. Germanion, ann. 4. XXXIIII. Gordias, an. 5. XXXV. Narciſſus, iterum martyr, an. 10. XXXVI. Alexander, martyr, ann. 15. XXXVII. Mazabenes, ann. 24. XXXVIII. Hymenæus, ann. 23. XXXIX. Zabdas, ann. 10. XL. Hermon, ann. 9. Hactenus Imperatores alieni à Chriſtiana religione, & Chriſtiani afflicti fuerunt.

APPENDIX.

PLACVIT *aſcribere nomina reperta in libro ſecundo Epiphanij de Sectis. I. Iacobus, percuſſus fuſte Hieroſolymis, teſtis ueritatis: attigit tempora Neronis. II. Simeon, cruci affixus tempore Traiani. III. Iudas. IIII. Zacharias. V. Tobias. VI. Beniamin. VII. Iohannes, uſq; ad XIX annum Traiani. VIII. Matthias. IX. Philippus. X. Seneca. XI. Iuſtus, uſq; ad Adrianũ. XII. Leuis. XIII. Vaphris. XIIII. Ioſes. XV. Iudas, uſq; ad annũ XI Antonini. Hi uniuerſi epiſcopi Hieroſolymis fuerunt circumciſi. Deinde ex Gentibus hi: XVI. Marcus. XVII. Caßianus. XVIII. Publius. XIX. Maximus. XX. Iulianus. Hi omnes uſq; ad X annũ Antonini Pij. XXI. Gaianus. XXII. Symmachus.*

Symmachus. XXIII. Caius, uſq; ad tempora Ueri, anno ipſius octauo. XXIIII. Iulianus. XXV. Capito. XXVI. Maximus, uſq; ad XVI annum Ueri. XXVII. Antoninus. XXVIII. Ualens. XXIX. Dolichianus, uſq; ad Commodum. XXX. Narciſſus. XXXI. Dius, uſq; ad Seuerum. XXXII. Germanion. XXXIII. Gordius, uſq; ad Antoninum. XXXIIII. Narciſſus, uſq; ad Alexandrum Mammaeae F. XXXV. Alexander, uſq; ad hunc ipſum Alexandrum. XXXVI. Mazabanus, uſq; ad Gallum & Voluſianum. XXXVII. Hymenaeus, uſq; ad Aurelianum. Poſtea adiungit Bazan & Hermonem, qui & Hermonas. In his eſt omiſſus Elias, numeratus XXV à Nicephoro. Ab Euſebio quoq; hic omittitur, qui Iudam ultimū ex Iudaeis facit XV: & Narciſſum primū, XXX. cum quidē de annorū indicio ſe nihil certi reperiſſe perhibeat libro IIII. ubi, ſicut apud Nicephorū, III eſt Iuſtus: ſed IIII Zachaeus, nō Zacharias. De his igitur plura dicere non eſt neceſſe. niſi fortè hoc addendum: Simeonem ſecundum epiſcopum Hieroſolymis, perhiberi fuiſſe filium Cleopae, quem tradunt fratrem habuiſſe Ioſephum, τ̄ νομιζόμενον patrem IESV CHRISTI: ut fratres hi patrueles, id eſt ἀνεψιοὶ habiti ſint. Hoc eſt indicatum à Nicephoro obſcurè & ambiguè: ſi ſcriptura tamen mendo caret. Sed Simeonem iſtum ferunt cruci affixum eſſe tempore Traiani, admodum ſenem, annos nimirum CXX natum. De Narciſſo autem, & cur ſeceſſerit ac deſeruerit functionem muneris ſui, & quòd reuerſo propter ſenectae aetatis imbecillitatem adiunctus ſit Alexander aduena ex Cappadocia, narratio extat libro VI Euſebij.

NICEPHORI, POSTQVAM CHRISTIANI FVERVNT IMPERATORES, epiſcoporum Hieroſolymis nomina.

XLI. Macarius, qui in Synodo fuit, ann. 20. XLII. Maximus, an. 6. XLIII. Cyrillus, expulſus ab Arianis. huius loco conſtituuntur tres, Arſenius, Heraclius, & Hilarius. Et rurſum reuocatus tempore Gratiani, in ſecunda Synodo: inuentus fuit Conſtantinopoli, an. 62. XLIIII. Iohannes, ann. 16. XLV. Paulinus, ann. 20. XLVI. Iuuenalis, qui fuit in duabus Synodis, Epheſi & Chalcedone, ann. 38. XLVII. Theodoſius, expulſus à Marciano: & rurſum Iuuenalis, an. * XLVIII. Anaſtaſius, ann. 18. XLIX. Martyrius, ann. 8. L. Salluſtius, cuius tempore ſeparauit ſe epiſcopus Romae, propter coniunctionis edictum Zenonis, ann. 8. LI. Elias, expulſus ab Anaſtaſio Imperatore, ann. *. LII. Iohannes, ann. 11. LIII. Petrus, tempore Iuſtiniani Imperatoris, ann. 20. LIIII. Macarius expulſus, ann. 2. LV. Euſtochius, ann. 1. LVI. Macarius iterum, ann. 4. LVII. Iohannes, ann. * LVIII. Amos, ann. 8. LIX. Iſaacius, an. 8. LX. Zacharias, ante urbem captam ann. 24. LXI. Modeſtus, an. 1. LXII. Sophronius, ann. *.

APPENDIX.

HActenus nomina retulit Nicephorus eorum, qui præfuere eccleſiæ Chriſti Hieroſolymis. Non deſinit autem enumeratio iſta, ut cæteræ, in tempore Theodoræ cum filio: cuius initium eſt ſecundum Græcos, annus à condito mundo ſexies milleſimus trecenteſimus quinquageſimus, Indictionis (quam Græci κύκλω ἐπινέμησιν uocant) quinto numero. Utuntur autem & Græci uulgo indictionis latino uocabulo, indicantes tempus numero annorum à mundo condito, & menſis nomine & Indictione. Sed, ut dixi, hoc loco enumeratio Nicephori finitur tempore Heraclij, uel non multo certè longiore. Nam tertio anno Heraclij, à Perſarum rege Choſroe captis Hieroſolymis, patriarcha Zacharias unà cum lignis ſanctæ Crucis abductus fuit in Perſiam: filius autem Choſrois Siroas, patre interfecto unà cum fratribus uniuerſis, & pace facta, Heraclio patriarchã & ligna ſanctæ Crucis, quæ Græci τίμια ξύλα nominant, reſtituit. Iuſſerat Heraclius Modeſtum Hieroſolymis patriarcham, Zachariæ ſucceſſorem, ruinas templorũ inſtaurare Hieroſolymis: & curauerat ut ſumptus illi neceſſarij ſuppeterẽt. Sed paulo pòſt mortuo Modeſto, & ſuffecto in locum illius Sophronio, Heraclius tatam eſſe uim belli Barbarici intelligẽs, ut ipſe illam undiq; ſuſtinere non poſſet, deſperata defenſione Hieroſolymorum, crucis S. lignum inde Cõſtãtinopolim tranſtulit. Et annis non multis poſtea, Sarraceni (qui & Agareni, Iſmaelitæq; & Arabes) cum ab Heraclio Mahometes, quem ductorem & principem & magiſtrum & ſcriptorem legum ſibi illi conſtituerãt, impetraſſet in finibus Perſidos & Arabiæ loca quæ colere & tenere poſſent: tum igitur Sarraceni aucti uiribus repentè, iam Imperij Romani potentia fracta atq; debilitata, duce Hoamaro Palæſtinam inuaſerunt, & Hieroſolymorum urbem uaſtatam & euerſam occuparunt. Sed neq; reliquias incolarũ abduxerunt, & Sophronio patriarchæ ſucceſſori Modeſti perficiendi opus inchoatum templi poteſtatem fecerunt. Quam extructionẽ ſuarum etiã opũ impenſis Hoamarus adiuuiſſe, atq; etiam alterum eo loco quo Salomoneũ fuiſſe animaduerteretur, extruendum curaſſe traditur. Enumeratio igitur Patriarcharum in Sophronio ceſſat. Et Zonaras in Conſtantino Pogonato ſcribit, tum Hieroſolymis & Alexandriæ patriarchas non fuiße, urbibus his à Sarracenis occupatis. Reperiuntur tamen poſtea patriarcharum Hieroſolymis in hiſtorijs interdum relata nomina. Et hodierno etiam die, eccleſia Chriſti Hieroſolymis patriarcham habere dicitur. Ab hoc autem tempore, quo primùm Perſæ Hieroſolymorum urbem euerterunt, & hæc poſtea in poteſtate Sarracenorum Turcorumq; fuit, ad regnum Godefridi Bulionij, anni numerantur CCCC.XC. Aliqui pauciores tamen expoſuerunt tribus. Sed redeamus ad Nicephorum. Macarium primum, mirabiliter ſanata periculoſo morbo laborante muliere primaria, cum crux illi impoſita eſſet, ex tribus repertis ſub terra, ita pronunciaſſe tradunt: Crucẽ eam eße, in qua pependiſſet CHRISTVS IESVS. Extat ad hunc Epiſcopum exemplum epiſtolæ perquàm familiariter ſcriptæ ab Imperatore Conſtantino, de extruendo opere magnifico & egregio templi Hieroſolymis: apud Theodoritum libro. 1. Maximus autem, qui Dioſpolitarum eccleſiæ eſſet epiſcopus conſecratus, tam Macarij iudicio, quàm uoluntate populi

retentus,

retentus, ſocius fuit ſacerdotalis muneris, & ſucceſſor Macarij: à quo templum dicatum Reſurrectioni IESV Chriſti, abſolutum. Eiuſdem Maximi, ſæuitia ſuperiorum Imperatorum, oculum effoſſum unum, & inciſum alterum poplitem fuiſſe, unà cum Paphnutio & alijs cõpluribus, traditur. Quem & Paphnutius in quodam concilio aduerſus Athanaſiũ coacto ſedentẽ conſpicatus, cum increpatione inde abduxit. Cyrillum remouerunt æmuli, opera Acacij epiſcopi Cæſarienſis, orta contentione inter hos de principatu: quòd Hieroſolymorum ſolium præferri uellet Cyrillus, ut Apoſtolicum. Fuit autem Cyrillo munus epiſcopi ademptum decreto Synodi, coacta Conſtantinopoli à factione Acacij, propitium habente Imperatorem Conſtantium. Huius Cyrilli temporibus crux lucidiſſ. apparuit in cœlo, longa ad bis mille paſſus, cum latitudine conſentanea: quæ res uarie hominum animos affecit. Sed qui tres Epiſcopi fuere, remoto Cyrillo, ex ijs primũ nõ Arſenium, ut Nicephorus, ſed Erennium Sozomenus nominat. Fuere tempora illá admodum turbulenta, nimis quaſi laſciuientibus in pace & ocio Eccleſiaſticis, & principatum ambiendo impingentib. plagas graues religioſis cõgregationibus, & harum coniunctionẽ peruicacia diſſidiorũ diſtrahentibus. Itaq; ſententijs diuerſis doctrina confundebatur, & omnia plena erant contentionibus atq; rixis, & eccleſiaſticam diſciplinam partium ſtudia labefactabant. Verbi unius aut locutionis diſſimilitudo exagitabatur, & ad uexandos aliquos hæc captabatur occaſio: & à max. ſalutariumq; rerum tractatu, ad nugas quæſtionum de uocabulis, cogitationes & impetus animorũ deferebãtur. Quorum cauſſa erat acerbitas odij, nata ex cupiditate dignitatis, commodorumq; præcipuorum. Prætendebatur autem diuinum religionis nomen, & cœleſtis ueritatis defenſio: Pietatiſq; erat oſtentatio, alterum Impietatis inſimulari. Atq; plurimi in controuerſijs ſerendis, & fouenda diſcordia, uoluntati inſeruiebãt aliorum: progreſſiq; aduerſando, pudore prohibebantur redire in uiam, ne inferiores eſſe & uicti uiderentur. Erant qui facultate quadam præditi ſingulari, quicquid proponeretur, id dicendo probare ſe poſſe conſiderent: adeò ut ſibi quoq; ipſis errorum autores eſſent, quos deinde pertinaciter ſolebãt defendere. Sed maxima erat pars eorum, qui intelligentes neq; utiles & indecoras eſſe tales pugnas, & animaduertentes, non tam ueritatem à ſe aſſeri, quàm indulgeri contentionum certaminibus: quia tamen ab his aut illis aliquid ſperabãt, aut aliquorũ beneficijs obligati, eis faucbãt, aut alijs de cauſſis, quibus hominũ animi uolũtateſq; peruerti conſueuerunt, quod quibuſq; perſuaſum eſſe aut arridere perſpexiſſent, in eo illis non modò aſſentiri, ſed etiam aſſentari, & gratificari, & omnem operam dare & ſe totos dedere, non dubitarent. quod ſi quos fortè ſpes ab una parte eſſet fruſtrata: at ipſi tranſire ad aliam, & prius cognita ac probata exagitare atq; inſectari. Erant qui improbitate quadam turbis illis rixarum delectabantur, & quietem ut contrariam oderant: itaq; clamoribus incertis, & quibus alijs conatibus poterant, conſenſionem impediebant. Inter hæc prudentiores, quantum concedebatur, ſilere, & in dolore ingente implorare filium Dei cuſtodem Eccleſiæ, & expectare tempus quo tanquam tempeſtatis commotæ ſæuitia abiret. Religionis autem Chriſtianæ hoſtes lætari, & diſſipationẽ Eccleſiæ augere & adiuuare. fiebant autẽ eo omnia deteriora, quòd, ut ferè ſemper,

Reipublicæ motus & bellorum calamitas ad Eccleſiæ ruinas accedebat. Quæ quidem notaſſe non alienum puto. Nam ſimilibus temporibus etiam accidere ſimilia ſcimus: & cauſſas eaſdem eorundem euentorum eſſe. De Cyrillo autem alij aliter. Sanè interdum eiectum, denuò occupaſſe ſolium epiſcopi, ex hiſtorijs facile colligi poteſt. Nam fuiſſe hunc Iuliani temporibus epiſcopū Hieroſolymis, traditur. Et Hieronymus ſcripſit, ſæpe pulſum & receptum, eum tandem ſeptennio munus epiſcopi tenuiſſe, temporibus Theodoſij. Eundem accepimus primùm in Eccleſiam morem introduxiſſe appellationis forenſis, ut prouocaretur ad cognitionem potiorem. Synodus autem, cuius à Nicephoro mentio fit, erit nimirum Oecumenica ſecunda. Et numerus annorum expoſitus à Nicephoro, cum indicatis temporibus Imperatorum congruit. Iuuenalis quot annos poſtremò Eccleſiæ præfuerit, in Nicephori libro non indicabatur, omiſſo numero: idq́ ſigno appoſito notauimus. Quòd autem Saluſtij temporibus ſeparaſſe ſe Epiſcopum Romanum refert, propter Zenonis edictum de coniunctione: de eo traditur, cum pleriq; omnes Patriarchæ & Epiſcopi amplecterentur & approbarent Zenonis edictum, quod ἑνωτικὸν appellabatur, ſolum Felicem Romanum epiſcopum id facere recuſaſſe, & facientum communitatem abdicaſſe. Extat autem exemplum edicti apud Euagrium libro III. ſententijs & uerbis perſpicuè & præclarè compoſitum: ut cauſſa nulla appareat, cur aliquis non admittere illud uoluerit. Sed fuere omnia plena tum ſuſpicionibus & maleuolentia, & inſidiarum metu: & uociferationes uariæ, & incerti clamores diſtrahebant uoluntates, & animos perturbabant: denique peruicacia & odiorum acerbitas prætendebat ardorem & ſtudium defendendi pietatem. Erat autem certaminum & diſſenſionum quaſi flabellū, diſputatio de Synodo Chalcedonia, quam ſimpliciter damnari & abijci aliqui uolebant, aliqui ſimpliciter approbari & recipi. Præterea quaſi explicatis & deciſis omnibus, cum nullæ cognitiones legitimæ ſuſceptæ, neq; iudicia ſincera facta eſſent, poſtulabantur execrationes, id eſt ἀναθεματισμοὶ, non modo dogmatum, ſed perſonarum, tam mortuorum quàm uiuorum hominum. Faceret aliquis mentionem Chalcedoniæ Synodi cautè, & cum quadā exceptione rerum aut perſonarum: is ſtatim accuſabatur uel ab hac, uel illa parte. Itaq; in edicto Zenonis hoc arreptum πάντα τὸν ἕτερόν τι φρονήσαντα ἢ φρονοῦντα, ἢ νῦν ἢ πώποτε, ἢ ἐν χαλκηδόνι, ἢ οἵᾳ δήποτε συνόδῳ ἀναθεματίζομεν. Hoc igitur ab ab ijs qui improbarunt edictum, arreptum eſſe credibile eſt: Quòd ſimpliciter & planè Chalcedoniæ Synodo omnes aſſentiri, & certos epiſcopos nominatim condemnari uellent. Sed de Chalcedonia Synodo, deq́ his negotijs, alibi fortaſſe dicentur à nobis plura. In LI Elia, & LVII Iohanne, & LXII Sophronio ſimiliter deſiderabatur numerus annorum: idq́ notauimus appoſito ſigno. Iohannis apud Euagriū, qui cæteros epiſcopos Hieroſolymorum nominat, nomen non inuenitur. Fuit autem Macarius hic ſecundus, ideo priuatus munere Epiſcopi, quòd fautor atq; defenſor eſſe perhiberetur Origenis, & Didymi & Euagrij doctrinæ falſæ, & alienæ à ueritate Apoſtolica. Quos execrans atq; damnans, ita Euſtochio depoſito ipſi ſolium reſtitutum fuit. Sed de his cur plus uerborum hoc loco faceremus, cauſſa

uiſa non

uiſa non eſt. Niſi hoc fortè addendum fuit: Hieroſolymorum eccleſiæ præſides inter epiſcopos habitos, non præcipuos, uſq; ad Synodum Oecumenicam v. in qua Patriarchæ dignitas fuit epiſcopo Hieroſolymorum decreta, Imperatore Iuſtiniano, & Pontifice Romano Vigilio.

NICEPHORI EXPOSITIO NOMINVM EPISCOPORVM ROMAnorum, poſt Chriſtum & Apoſtolos.

PRIMVS, Petrus apoſtolus, ann. 2. II. Linus, ann. 12. III. Anencletus, ann. 2. IIII. Clemens, ann. 9. V. Euareſtus, ann. 9. VI. Alexander, ann. 12. VII. Xyſtus, ann. 9. VIII. Teleſphorus martyr, ann. 10. IX. Hyginus, ann. 4. X. Pius, ann. 15. XI. Anicetus, ann. 2. XII. Soterichus, ann. 9. XIII. Eleutherius, ann. 15. XIIII. Victor, qui in Synodo fuit celebrata in Palæſtina, die Paſchatos, ann. 12. XV. Zephyrinus, ann. 19. XVI. Calliſtus, ann. 8. XVII. Vrbanus, ann. 7. XVIII. Pontianus, ann. 3. XIX. Anteros, menſe uno. XX. Flauianus, martyr ſub Decio, ann. 15. XXI. Cornelius, qui remouit Nouatum, euerſorem pœnitentiæ, ann. 3. XXII. Lucianus, ann. 2. XXIII. Stephanus, ann. 9. XXIIII. Xyſtus, ann. 2. XXV. Dionyſius, ann. 8. XXVI. Felix, confeſſor ſub Valeriano, ann. 5. XXVII. Eutychianus, menſ. 8. XXVIII. Caius, ann. 15. XXIX. Marcellinus, ann. 2. Hactenus Imperatores alieni fuere à religione Chriſtiana, & infeſti hanc colentibus. Sub Chriſtianis autem Imperatoribus Romani epiſcopi fuere: XXX. Euſebius, ann. 1. XXXI. Miltiades, ann. 4. XXXII. Silueſter, cuius tempore Nicena Synodus celebratur, ann. 28. XXXIII. Marcus, ann. 12. XXXIIII. Iulius, ann. 15. XXXV. Liberius, exterminatus à Conſtantio Ariano, ann. 6. XXXVI. Felix, ann. 1. XXXVII. Siricius, ann. 15. XXXVIII. Anaſtaſius, ann. 3. XXXIX. Innocentius, ann. 15. XL. Zoſimus, ann. 8. XLI. Bonifacius, ann. 4. XLII. Celeſtinus, ſub quo Epheſina Synodus, ann. 21. XLIII. Xyſtus, ann. 8. XLIIII. Leon, ſub quo Chalcedonia Synodus, ann. 21. XLV. Hilarion, ann. 6. XLVI. Simplicius, cuius ſunt epiſtolæ ſcriptæ ad Antiochenos, contra Martium Neſtorianum, ann. 14. XLVII. Felix, qui ſeparauit ſe ob edictum Zenonis de coniunctione. XLVIII. Gelaſius, ann. 5. XLIX. Anaſtaſius, ann. 2. L. Symmachus, & cum hoc Laurentius, ann. 14. LI. Hormiſdas, qui Iuſtiniani temporibus

Chalcedoniam Synodum in ſacros codices retulit, ann. 10. LII. Iohannes, ann. 3. LVI. Agapetus, ann. 1. LVII. Siluerius, ann. 2. LVIII. Vigilius, ann. 5. LIX. Pelagius, ann. 8. LX. Iohannes, an. 5. LXI. Benedictus, ann. 4. LXII. Pelagius alter, ann. 10. LXIII. Gregorius, ann. 13. LXIIII. Sabinianus, an. 1. LXV. Bonifacius, menſſ. 8. LXVI. Bonifacius alter, ann. 7.

APPENDIX.

EPiſcoporum Romæ antiquæ nomina hactenus relata à Nicephoro, (niſi fortè ſcriptura hac parte mutila eſt) inuenimus. Quod tempus incidit in annum Chriſti DCXIII. uel non multis certè annis recentius eſt. Sanè poſteriores longè degeneraſſe reperiuntur à prioribus ſanctitate & religionis obſeruatione, & ſtudio pietatis, etiam doctrina præſtantiſſ. uiris: quorũ fides, ſapientia, uirtus, epiſcopi Romani ſolio eam autoritatem conciliauit, ut aliquando ortis controuerſijs in decidendo, Romani epiſcopi ſententia præcipua, & eccleſiæ Romanæ iudicium inſtar Catholici haberetur. Utrum uerò Epiſcopi an Archiepiſcopi, an Papæ, an Põtifices Maximi hi appellandi ſint, ridicula quæſtio eſt: ſimilis illi, cur neminem Petrum, poſt primum Petrũ apoſtolum, nominare liceat. De numero autem, deq; temporibus horum, in quibus alicubi ab alijs Nicephorus diſcrepat, & ſingulorum moribus, uita, inſtitutis, mortis genere, extãt cùm aliorum narrationes, tum Platinæ. Nos quæ in Nicephori expoſitione notãda putauimus, ea perſequemur: remittentes lectorem de alijs ad alios, quorum ſcripta in medio ſunt. Numerus autem & nomina Romanorum epiſcoporum ad Eleutherum uſq;, quæ recenſentur à Nicephoro, ea ſunt quæ recitat Euſebius libro V, expoſita ab Irenæo. Cletum autem, ſeu Clytum, quidam inculcarunt: autore, ut aiunt, Damaſo, patria Romanum. Iam is qui eſt Irenæo Anencletus, ab alijs Anacletus uocatur: priore nomine ſignificante eum qui ab omni crimine abeſt, eſtq; hoc uerbo uſus apoſtolus Paulus in epiſtola ad Coloſſenſes: poſteriore, Reuocatum. Xyſti ſunt, ut opinor, Sexti: unde Sixti nomen factum. nam in multis nominibus, harum literarum permutatio animaduertitur. Teleſphoro addidit Martyris nomẽ, ideo fortaſſe quòd Irenæus ſcripſiſſet, glorioſum fuiſſe huius de Chriſto teſtimonium: cum perhibeantur omnes Pontifices Romani ad Euſebium uſq;, propter confeſſionem nominis & fidei Chriſtianæ eſſe interfecti. Etſi de Græcorum narrationibus hoc non poteſt cognoſci, ac diuerſum potius indicatur. Cœperunt autem poſteriores eos Martyres appellare, qui perſeuerantes in confeſſione, eſſe IESVM CHRISTVM filium Dei, & in unius Dei ueneratione ſecundum doctrinam Chriſti uitam amittere, & cruciatus perpeti, & profundere ſanguinem non dubitaſſent. quos & ὁμολογητάς uocarunt ueteres. Sed confeſſores à poſterioribus dicti ſunt, qui placide, & nõ afflicti, neq; aduerſariorum uim & iniuriam perpeſſi, fidem ſeruaſſent integram, & coluiſſent religionem. Soterichus, alijs eſt Soter: & Eleutherius, Eleutherus. In quibus prior forma denominationis eſt. Eleutheri annos facit Euſebius 13. Victoris 10. Zephyrini 18. Calliſti 5. Urbani 8. Pontiani 6. ut pro nota ſenarij numeri, nota ternarij à ſcriba perperam in Nicephoreis poſita eſſe uideatur: id quod alibi quoq; accidiſſe reperitur.

Utrum

Utrum ſit autem uerum nomen, Zephyrini græca origine, an Seuerini latina, relinquo in medio. Flauianus etiam alijs eſt Fabianus: & Lucianus, Lucius. cuius tempus eſt Euſebio, menſes non prorſus 8. Xyſto autem qui ſequitur, tribuit Euſebius ann. x I. Sed quæ diſcrepant, qui uolet, obſeruare, & conferre, & maximè conſentanea ſequi poterit. Mihi in quibuſdam apud Nicephorum, ſcriba ex indicatis menſibus alicubi annos uidetur feciſſe. Sed hæc aliorum conſiderationi relinquantur. Nos enim inuenta edere uoluimus. Quòd autem Victorem in Palæſtina Synodo fuiſſe, in Nicephoreis legitur: id me non latet, ab alijs quoq; tradi. Sed Euſebius libro v. planè ſcripſit, In Palæſtina coacta Synodo præfuiſſe Theophilum Cæſareæ, & Narciſſum Hieroſolymorum epiſcopum. Romæ autem Synodo eadem de cauſſa conflatæ præſediſſe Victorem. De illa autem controuerſia, & uehementia Victoris, expoſuit rem copioſè Euſebius. Fuit certamen illud acre, & non leuia uulnera inflixit corpori Eccleſiaſtico: pleriſq; tamen eo tempore doctrina & pietate ſtudioq; ueritatis præſtantibus uiris, libertatem Chriſtianam defendentibus, & reprehendentibus grauiter neq; neceſſarias & pernicioſas ſeparationes. Idem Euſebius & condemnationem Nouati luculentè enarrauit libro v I. A quo ſecta Nouatianorũ, qui ſe καθαροὺς, ideſt mundos ſeu puros nominari uoluerunt, orta: quaſi uomica, moleſta diu fuit Eccleſiæ Catholicæ: uerè non modo impia, ſed etiam inhumana, &, ut Græci appellarunt, μισάνθρωπος καὶ μισάδελφος. Etſi ſpecioſa illa ſententia fuit: Iudicium eſſe Deo permittendum: ſed ad aliorum terrorem, à communitate Eccleſiaſtica repellendos eos, qui fidem ſemel Chriſto datã uiolaſſent, & ſe flagitio aut ſcelere contaminaſſent, & acquiſitam baptiſmo innocentiam amiſiſſent. Verùm, ut nimis dura aſperaq; iſta ſeueritas, meritò improbata exploſaq; fuit: ſic profectò poſteriorum temporum primùm in recipiendis lapſis peruerſitas, cum ad quæſtũ res recidiſſet, deinde facilitas planeq; diſſolutio, neutiquã eſt laudanda, & hac quoq; in parte diſciplina Eccleſiaſtica magnopere indiget emendatione. Diligentia autem & animaduerſio antiquitatis, de ordine præſcripto pœnitẽtibus, ex his quæ ſubijcere placuit, perſpici poterit. quæ referuntur, ut conſtituta à Gregorio Neoceſariæ epiſcopo, cuius pietas & fides mirabilia quædam effeciſſe perhibetur, unde Græci eum θαυματουργὸν appellarunt: ea ſunt ut ſequitur. πρόσκλαυσις, extra portas oratorij eſt. ibi peccatorem ſtantem, à fidelibus qui ingrediuntur flagitare oportet, ut pro ſe orent. ἀκρόασις, intra portam, in loco quem νάρθηκα uocant. ibi ſtat peccator poſt Catechumenos, & inde egreditur, neq; dignus habetur qui precibus interſit. ὑπόπτωσις, intra portam templi, ut ſtans cum Catechumenis egrediatur. σύστασις, ut ſimul ſtet cum fidelibus, neq; exeat cum Catechumenis. μέθεξις, ad ſanctificationes pertinet. Quæ ſi alicui ipſa quoq; nimis quaſi rigida uideantur, non poſſit tamen ijs quibus religionis integritas cordi eſt, non admodum diſplicere uel ſuperſtitionum malitia, uel profanitatis confidentia, in re maxima, & præcipuam exquiſita adminiſtrationis ſolicitudinem poſtulante. Sed de his ſatis.

Caium fuiſſe perhibent natione Dalmatam, propinquum Diocletiani Imperatoris: quo imperio potiente, è latebris extractum eum & ſupplicio affectũ eſſe ſcribitur. In Euſebij libro I I. perperam hunc, Romanorum Pontificem poſt Zephyrinum, uertendo

uertendo fecerunt. Vera enim apud Euſebium ſcriptura eſt, καὶ ἐκκλησιαστικὸς ἀνὴρ γάϊος ὄνομα κτ̃ ζεφυρῖνον ῥωμαίων γεγονὼς ἐπίσκοπον. Vt non epiſcopum Romanum, Caium illum poſt Zephyrinũ, ſed in eccleſia celebrẽ fuiſſe tẽporibus Zephyrini epiſcopi, ſignificetur. Poſt Marcellinũ alij Marcellum ſubiecerunt: qui à Græcis omittitur. A' Zonara nominantur Romani epiſcopi, & referuntur tempora horum, alicubi eadem, alicubi diuerſa atq; Nicephori, Tomo ſecundo, in Maximino. Referuntur autem uſque ad Gregorium primum, cognomento Magnum: poſt quem continuam ſeriem Romanorum epiſcoporum inueniri negat: nimirum Romanis tum Pontificibus eximiam potentiam non affectantibus, ſed planè uſurpantibus, adeptis iam de principatu ſingulare etiam edictum Imperatoris. Quibus omnibus & magnopere offenſos Græcos, & penitus tandem alienatos fuiſſe, credibile eſt. Sed de his Latina ſcripta copioſa & uaria in medio ſunt. Silueſtri tempore celebratam eſſe Synodum Nicenam, minus conſideratè perhibuit Nicephorus noſter: aſſentiens, ut uidetur, rumuſculis uulgaribus, uel fabulis etiam, de iſto Pontifice. Scripſit autem Sozomenus, in Synodo Nicena, loco & uice Iulij Romani Pontificis ſenis, duos presbyteros affuiſſe, Vitum & Vincentium. Hunc etiam præſediſſe annis 25, idem Sozomenus tradit. In Marci (quem Græci ferè omittunt) annus manifeſtè mendum eſt: quem pleriq; ann. 2. menſ. 3. præſediſſe perhibent. Damaſi nomen puto librarij oſcitantia eſſe omiſſum. nam hic à ſcriptoribus eccleſiaſticis magnopere celebratur: interq; hos ab Hieronymo. Sozomenus mentionem fecit certaminis quoq; inter hunc & Vrſicium quendam, de pontificatu: de quo libuit referre tradita ab Ammiano Marcellino, quemadmodum illa leguntur libro Hiſtoriarũ ipſius x x v i i. ubi enim in gubernatione urbis Romæ ſucceſſiſſe ſcripſit Lampadio Vincentium, addit iſta: Hunc quoq; diſcordantis populi ſeditiones terruerunt cruentæ, quæ tale negotium excitauere. Damaſus & Vrſicinus ſupra humanum modum ad rapiendam epiſcopalem ſedem ardentes, ſciſſis ſtudijs aſperrimè conflictabantur, ad uſq; mortis uulnerumq; diſcrimina adiumentis utriuſque progreſſis: quæ nec corrigere ſufficiens Vincentius, nec mollire, ui magna coactus ſeceſſit in ſuburbanum. & in concertatione ſuperauerat Damaſus, parte quæ ei fauebat inſtante. Conſtatq;, in baſilica Sicinini, ubi ritus Chriſtiani eſt conuenticulum, uno die c x x x v i i reperta cadauera peremptorum: efferatamq; poſtea plebem, ægrè eſſe delinitam. Neq; ego abnuo, oſtentationem rerum conſiderans urbanarum, huius rei cupidos, ob impetrandum quod appetunt, omni contentione laterum iurgari debere: cum id adepti, futuri ſint ita ſecuri, ut ditentur oblationibus matronarum, procedantq; uehiculis inſidentes circumſpectè ueſtiti, epulas curantes profuſas, adeò ut eorum conuiuia regales ſuperent menſas. His addit quædam Ammianus, quæ aſcribere non fuit neceſſe. Sed cùm illis adeò temporibus tantæ contentiones de iſto Pontificatu fuerint, quis certamina miretur, principatu orbis terrarũ in huius autoritate conſtituto? Sed hæc ab inſtituto alieniora ſunt. Sanè primum Damaſum de Pontificatu armis decertaſſe, accepimus. Quibus fermè temporibus (etſi hoc dilucidè explicatum non inueni) damnata eſſe traditur ſecta Prædeſtinatorum: quorum doctrina eſſet, Nihil pertinere ad ſpem uitæ æternæ ſtudium innocentiæ,

innocentiæ, & uirtutis actiones, quæ bona opera appellari ſolent. Diuina enim ſententia ab initio definitum eſſe, quos conſeruari, & quos interire oporteret. De Liberio narratio luculenta extat Theodoriti libro ſecundo: ubi reuocato illi Felicem ſuffectum ceßiſſe, inq́ aliam urbem ſe contuliſſe ſcribit: neq́ mentionem facit ullam uel mutati Liberij, uel interfecti Felicis, quæ commemorantur ab alijs. Celeſtinus in Epheſi coacta Synodo Theodoſij poſterioris temporibus non affuit, ipſe morbo impeditus: ſed uicem huius geßit, & locum tenuit Cyrillus, epiſcopus Alexandriæ, qui & præſedit. Sed cum ab hoc res adminiſtrari uideretur maiore ſupercilio, & ſuperbius quàm deceret Eccleſiæ Chriſti antiſtitem, autore Iohanne epiſcopo Antiochiæ, & Cyri Theodorito, & Edeſſa Iba, quorum aduẽtu non expectato propoſitas quæſtiones decidendas curauerat Cyrillus: ita grauis dißenſio orta, & ſententia decretumq́ Cyrilli altero conuentu fuit reſciſſum & improbatum. Scriptis etiam diſcordia uentilata: donec iuſſo Imperatoris epiſcopis Conſtantinopolim accerſitis, Cyrilli actiones & prioris conuentus conſulta rata ſunt habita, & confirmata. Tum & Theodoritus ambitione & ſtudio aduerſandi impulſum ſe confeſſus, & dolore atq́ indignatione longius eſſe progreßum, ita Cyrillo & cæteris, gratia reconciliata, ſe coniunxit: quod idem & Antiochiæ fecit epiſcopus. Sunt tamen ſcripta Theodoriti contra Cyrillum, unà cum Ibæ doctrina, damnata. quæ condemnatio repetita eſt in Chalcedonia Synodo, unà cũ execratione iam mortui Theodori epiſcopi Mopſueſtiæ (tum etiam Theodorito & Iba ut Catholicis receptis) quem Theodorum exquiſitis laudibus extollit Theodoritus in fine hiſtoriæ ſuæ. Tanta tum etiam fuit inter doctos & pios de rebus & hominibus diſſenſio. In Chalcedonia ſynodo affuit Leo. quibus temporibus & Cometa apparuit, & in Gallia integro die ſanguis longiſſima fluxione manauit è terra. Simplicij conſtitutio memoratur his temporibus minimè neceſſaria. quod enim illa uetat, id cauetur ultro: Ne ſcilicet ad dignitatem Epiſcopi aliquem rapi, neu inuitum creari epiſcopum liceat. Etſi, ut uerum fatear, hoc edicto cohercere Pontifices ciuilis poteſtatis imperia, & huic ius ordinandi Eccleſiam uoluiſſe adimere uidentur. Quid Simplicius ad Antiochenos epiſtolarum, de quibus narrat Nicephorus, ſcripſerit, demonſtrare non poſſum. Martyrius ſanè, contra quem illæ epiſtolæ ſcriptæ indicantur, ut Neſtorianum, Antiochenus perhibetur fuiſſe epiſcopus: quem fraudulentè eiecit alter quidam nomine Petrus, cognomine Fullo, id eſt κναφεὺς. Alius autem fuit iiſdem temporibus turbulentus Petrus, cognomento Mongus, Alexandrini ſolij occupator, cuius nomen poſtea Euphemius patriarcha Conſtantinopoli, Anaſtaſij Dicori temporibus ſuſtulit è codicibus ſacris, & Felicis epiſcopi Romani inde ſublatum repoſuit: ut Zonaras in Anaſtaſio retulit. ubi tamẽ θρόνον τ̃ μεγάλης ἀντιοχείας perperam, pro ἀλεξανδρείας, in libris diuulgatis legitur. Martyrius autem ille quid ſenſerit de dogmate, non poſſum commemorare. fuiße certè uirum ſapientia & uirtute præſtantem, iis indicatur quæ narrantur in Epitoma Theodori cuiuſpiam. Cum enim Petrus ille Fullo presbyter Chalcedonius, Antiocheam uenißet, aßecla Zenonis, qui gener eßet Imperatoris Leontis, cupido eum cepit occupandi ſolij in eccleſia illa. Itaq́ ope Zenonis facilè perfecit, ut Martyrius eijceretur: conductis quibuſdam pecunia, qui inſimula-

inſimularent Martyrium impietatis de dogmate. Martyrius à patriarcha Conſtantinopoli Gennadio conciliatus Imperatori Leonti, & eſt benignè acceptus, & honorificè dimiſſus: iuſſusq́ retinere ſolium Eccleſiæ ſuæ. Reuerſus igitur ille Antiocheam, cum populum reperiſſet turbulentum, & factionibus diſtractum, & aduerſarium uideret ſe habere tam potentem. generū Imperatoris, ſua ſponte epiſcopi munere ſe abdicauit, & locum illum Petro affectanti reliquit. Tunc eum decedentem pro concione ferunt dixiſſe, ſe ualedicere contumacibus clericis, populo ſeditioſo, & Eccleſiæ pollutæ, ſibiq́ reſeruare ſacerdotiŭ dignitatē. Sed Petrus iſte non diu fruitus de occupato principatu Eccleſiæ lætatus eſt. nam & propter hunc dolum, & alia indigna facinora, exilij in eum ab Imperatore ſententiam latam fuga uoluntaria declinauit. Nominatur autem iiſdem temporibus & Hieroſolymorum epiſcopus Martyrius, qui cum Acacio fecerit, neq́ Petrum Alexandrinum abiecerit. Fuit tum quæſitum de his uerbis, ὁ θεὸς ἐσταυρώθη. Id impiè dici quidam aſſerere, quidā rectè dici defendere. Cumq́ antiqua conſuetudine in cōuentibus eccleſiſticis celebraretur nomen & potentia Dei, repetita ter uoce SANCTUS, *quem τρισάγιον ὕμνον Græci uocarunt: Petro illo autore additum fuiſſe traditur, ὁ σταυρωθεὶς ὑπὲρ ἡμῶν. quæ appendix ſæuiſſ. rixas & capitalia certamina cōmouit. Fuit autem poſtea quaſi explicando correcta hæc, appoſitā mentione Chriſti, autore Calandione epiſcopo Antiochiæ, hoc modo: ὁ σταυρωθεὶς ὑπὲρ ἡμῶν Χριστὸς, ἐλέησον ἡμᾶς. Sed iſtam totam appendicem Trullæa ſynodus damnauit, σὺν τῷ ταύτην τὴν φωνὴν καινουργήσαντι παρανόμῳ αἱρετικῷ. Utile eſt autem intueri actiones & negocia illorū temporū, & animaduertere quantum miſeriæ excitari ſoleat non neceſſarijs contentionibus, & litigioſis clamoribus, & pertinacia opinionū. Non enim tum explicationi, neq́ cognitioni locus relinquitur: uociferandoq́ & inſectando deciduntur controuerſiæ. Ac uoluntatibus concitatis, ſcinduntur ſtudia, & fiunt ſeceſſiones: & odia cùm exiſtunt, tum aluntur aduerſando. nullaq́ inter hæc defenſio excuſatioq́ admittitur. Pleriq́ autem, ut uerbis utar Ciceronis, errare malūt, eamq́ ſententiam quam adamauerunt pugnaciſſ. defendere: quàm ſine pertinacia, quid non modò conſtantiſſ. ut ait Cicero, ſed rectiſſimè & ueriſſimè dicatur, exquirere. non enim pro ueritate iam, ſed ſua quiſq́ opinione propugnat. Eſt autem ferè ſuperior ea pars, cui multitudo & potentia fauet & adhæret. Sed quoniam ea quæ tum geſta fuerunt, diligentem & accuratam explanationem requirunt, confuſa aliorum expoſitionibus, modò nihil addam: atq́ ſeparatim, ſi ocij tantum fuerit conceſſum,* CHRISTO *adiuuante, illa exponi ſtudebo. Felix Simplicij ſucceſſor, infeſtus fuit Zenoni Imperatori: & Acacium, qui tum patriarcha eſſet, Petro Mongo fauentem, ea dignitate priuauit: ſcriptamq́ ad illum miſit ſententiam ſuam, ſeu remotionis, id eſt καθαιρέσεως libellum. Ideo Acacius Felicis nomen è ſacris codicibus ſuſtulit. Quod autem hic Felix etiam edictum de coniunctione Zenonis repudiarit, ſuprà eſt indicatum. Huius Pontificis temporibus & in Gallia Synodus eſt coacta, Chlodoueo rege iubente: incidunt q́ illa in regnum Britannici regis quem Artum nominant, & celebre ſodalitium heroicum illius Tabulæ rotundæ. Anaſtaſius, quòd minus uehementer, uel etiam ſuperbè refragaretur Zenonis*

Impera-

Imperatoris decretis, & Acacio patriarchæ, quaſi erroribus quos illi fouere perhibebantur, patrocinaretur, à quibuſdã grauiter accuſatus fuit: cũ tamen Anaſtaſium Imperatorẽ auſus fuiſſe perhibeatur excludere ſententia ſua cõmunitate eccleſiaſtica. Atq; hic ignominia ea notatur, ut alter ex omnibus pontificibus Romanis ad illud uſq; tempus fuiſſe infamis tradatur. Nam ante eum eodem nomine Liberius quoq; reprehenditur, ut qui nimis lenem, uel minus potius aſperũ aduerſus Conſtantium Imperatorem ſeſe præbuiſſet. Symmachum & Laurentium coniungit Nicephori expoſitio. Sed iſti de principatu contẽdentes, parte populi huic, parte illi ſuffragante, magnorũ motuũ autores fuerunt, durante contentione de pontificatu triennio, quo tẽpore & cædibus & rapinis crudeli ſæuitia turbatũ fuit. Rem autẽ compoſuit primum Dieterich. Gothorũ Rex in Italia, quẽ aliqui Afrum neſcio qua de cauſſa appellant: indictaq; Synodo, pontificatus Symmacho fuit decretus, conceſſo epiſcopi ſolio Nuceriæ Laurentio. Sed Laurentij factione non quieſcente, Rex Dieterich. litem dirimere uoluit facto altero epiſcopo Petro Altino. Sed Symmachus tamen retinuit pontificatũ. Inter hæc, diſſentientes partes neq; ſacris neq; profanis rebus & hominibus pepercerunt. Hormiſdam, Chalcedoniam ſynodum ait, Nicephorus in ſacros codices retuliſſe. Nam longò tempore de illius ſynodi actis & decretis controuerſiæ fuerunt. Itaq; & Iuſtini mox edicto, & poſterioribus Synodis, autoritas etiã illius ſancita legitur. Quos ſacros codices appello, Græcis ſunt ἱερὰ δίπτυχα, à duplici implicatione: ſimili, ut uidetur, eius quæ his temporibus uſurpatur. Ii fuere ſcilicet epiſcoporum libri, in quibus nomina eorum perſcribebantur, quorum memoriam celebrem eſſe uellent in Eccleſia Catholica, uel confeſſionis nomine, uel curationis & muneris reſpectu. Horum librorum appellatio quoq; eſt ἱεραὶ δέλτοι. Hiſtorias pertexere, ut aliquoties iam diximus, non eſt propoſitum: ſed narratiunculas inſerere interdum non alienas, & quædam notare, duximus huic conuenire argumento. Felicem iſtum IIII hoc nomine habuit epiſcopum eccleſia Romana: cuius inſtitutum eſſe traditur, depoſitos & moribundos ungi. Id quæſtionem commouit, Quo pacto inter ſacramenta Eccleſiæ hic ritus ponatur: cum autor Sacramentorum Dominus noſter IESVS CHRISTVS & ſit, & eſſe omnium confeſſione affirmetur. Agapetum à Diethato Gotho, ſcripſit Zonaras, eſſe ad Iuſtinianum miſſum. Et cum aduerſaretur Imperatori, quem Theodora coniux in ſuam ſententiam pertraxerat de IESV Chriſti corpore cæleſti, & humanæ ac mortalis naturæ affectionum experte: Imperator offenſus epiſcopi libertate, meminiſſe eum iubet, quòd Imperatori ſe opponat, penes quem ſit ſumma poteſtas faciendi quicquid libeat. His cum & minæ adderentur, riſiſſe epiſcopum, ſcripſit Zonaras, & iugulum nudaſſe: paratum ſe oſtendentem, omnia pro ueritatis defenſione pati. Atq; hoc etiam addidiſſe: in uotis ſibi eſſe, dignari tali exitu ex hac uita. Tum Imperatorem reueritum, ceſſiſſe epiſcopo: & Anthimum patriarcham, qui certaminis cauſſa fuerat, remouiſſe. Epiſcopus autem Agapetus, cum ſucceſſore Anthimi Mena, cõuentu habito illis in locis finitimorum epiſcoporum, (Græci has μερικὰς συνόδους uocant) damnauit Anthimum, & ſectæ ipſius addictos alios. tam uiuos quàm mortuos: & paulo pòſt ægrotans Conſtantinopoli moritur. De Silverio

hoc modo Euagrius ſcripſit: aduenientem ad urbem Belliſarium, miſſum à Iuſtiniano ad Gothicum bellum, ſtudio Siluerij cupidiſſ. eſſe receptum. Sed eundem Siluerium ſuſpectum Belliſſario, in Græciam eſſe miſſum, & loco illius conſtitutum Pontificem Vigilium. βελλισάριος, *inquit,* ὑποψίαν προδοσίας εἰς σιλβέριον τῆς πόλεως ἀρχιερέα ἰσχηκώς, τοῦτον μὲν εἰς ἑλλάδα μετοικίζει, ἀρχιερέα δὲ βιγίλιον κατιστήσατο. *Vigilium Zonaras ſcribit præſediſſe in v Synodo, unà cum Eutychio patriarcha Conſtantinopolita, & Apollinari Alexãdrino. In hac Synodo damnatus fuit mortuus Theodorus epiſcopus Mopſueſtiæ, & ſcripta ipſius: Theodoriti autem capita tantum contra* XII *capita Cyrilli, & epiſtola Ibæ ad Marin Perſam. Anathematiſmi huius formula refertur ab Euagrio. Damnarunt & abſurda dogmata Origenis, & hæc aſſerentes Didymũ atq; Euagrium: quibus placeret, ante corporis originem fuiſſe animæ naturam. quomodo enim aliter interpretarer* τὴν τῶν ψυχῶν προϋπαρξιν, *non inueniebam. Iidem docuerant, finem eſſe pœnarum futurum, & priſtinum ſtatum Diabolos recuperaturos. In hac Synodo Imperator ipſe adeſſe uoluit, ibiq; & in cœtu epiſcoporum aſſedit, & edicto ſuo confirmauit Synodi decreta. Euagrius Vigilium non affuiſſe ſcripſit, ſed declaraſſe literis, quòd aſſentiretur iis quæ acta eſſent in Synodo. Quam etiam uidetur ſignificare inchoatam fuiſſe uiuente adhuc patriarcha Mena. Atq; narrat hoc tum accidiſſe. Dubitatione orta, an condemnare & execrari mortuos liceret: Eutychium, nulla præcipua dignitate adhuc præditum, docuiſſe eos qui conuenerant, ne quæſtione quidem rem eam indigere: quòd legatur Ioſias rex non modo ſacerdotes impios obtruncaſſe uiuentes, ſed mortuorum etiam oſſa effodiſſe. Itaq; tum mortuos etiam quoſdam execrati damnauerunt. & Imperator Eutychij oratione delectatus, ipſum in Menæ patriarchæ tunc mortui locum ſuffecit. Sed de exemplo iſto, deq; re ipſa, quærat qui uolet. Certè grauiſſ. & ab omnibus ſanctiſſimæ habita ſynodus Nicæna, Arium nominatim non damnauit, neq; ullius perſonam inſectata eſt: ſed doctrina ſummam expoſuit, & confitendo ſanciuit, & ei contrariam doctrinam refutando damnauit, execrans omnes autores & approbatores illius. Non enim contentiones ſeri, ſed ueritatem explicari ſtuduit. Euagrius poſt Vigilium nominat Iohannem cognomento Catilinam, & Pelagium primum omittit. Poſt Benedictum quoq;, qui illi eſt Bonoſus, Iohannem alterum, hac ſerie: Siluerius, Vigilius, Iohannes cognomento Catilina, Bonoſus, Iohannes alter, Pelagius, Gregorius. Gregorij doctrina & pietas in primis celebratur, cuius ſcripta ſunt in medio. Sed hunc tamen ſucceſſor Sabinianus, mortuum omnibus contumelijs uexauit, uſq; adeò, ut libros ab ipſo editos iuberet comburi. Atq; hinc iam pontificatus iſtius ſanctitas, & uera autoritas ruit, potẽtia & elatione atq; ſuperbia creſcente. De quibus aliorum ſunt diſputationes, quorundam etiam admodum horrida, in medio: nonnullis quidem, tanquam uomicis deſperatis non ἐμπλαστὰ medicamenta apponentibus, ſed expedientibus ferrum & ignem. Sanè eò eſt audacia, uel temeritas potius & impudentia principatus iſtius progreſſa, ut ne ſpecies quidem dignitatis reliqua modò ſit: cum res ipſa iam olim interciderit, & exiſtimatio multis annis amitti cœperit. De his igitur ſatis. Non enim libet, neq; neceſſe eſt, ſtudio noſtro aliorum Pon-*

rum Pontificum deinceps nomina adiungi,& ſeriem continuari expoſitione: cum, qui uoluerit, ii tam breues quàm prolixas narrationes pro arbitriō habere poßit. Sunt enim hæ, multiplices & uariæ diuerſorum, in omnium manibus.

NICEPHORI CATALOGVS EPISCOPORVM BYZANTII, POST CHRIſtum & Apoſtolos.

PRIMVS Andreas apoſtolus præco Byzantij fuit Euangelij. Extruxit ædem, in qua precibus pijs imploraretur Deus, ultra regionē Argyropoli: & ordinauit epiſcopū urbis illius Stachyn, cuius meminit Apoſtolus in epiſtola ſcripta ad Romanos. II. Stachys, ann. 16. III. Oneſimus, ann. 14. IIII. Polycarpus, ann. 18. V. Plutarchus, ann. 16. VI. Sedecion, ann. 9. VII. Diogenes, ann. 15. VIII. Eleutherius, ann. 7. IX. Felix, ann. 5. X. Polycarpus, ann. 17. XI. Athenodorus, ann. 4. Hic extruxit alteram ædem in topotheſia, cui nomen Olea, ibiq; conuentus habebat eccleſiaſticos. XII. Euzoius, ann. 16. XIII. Laurentius, ann. 11. menſ. 6. XIIII. Alypius, ann. 13. menſ. 6. XV. Pertinax, uir conſularis Senatus Romani, ann. 19. menſ. 10. dieb. 5. Hic aliam ædem extruxit in loco maritimo, cui nomen Ficus: eam appellauit Irenen. XVI. Olympianus, ann. 11. XVII. Marcus, ann. 13. XVIII. Cyriacus, ann. 16. XIX. Caſtinus, ann. 7. Hic Byzantij, in loco cui nomen Petrium, ædem ad preces extruxit, ſanctæ Euphemiæ titulo, quæ tunc martyr facta fuit. XX. Titus, ann. 35. menſ. 6. XXI. Domitius, frater Probi Imper. ann. 24. M. 6. XXII. Probus, filius huius Domitij, ann. 12. Hi omnes fuerunt Epiſcopi Byzantij, antequam declararetur Imperator Conſtantinus Magnus Byzantij, propter bellum contra Licinium, ob Metrophanem epiſcopum. XXIII. Metrophanes, filius Domitij paulo antè nominati, & frater Probi epiſcopi, et filius fratris Probi Imperatoris, ann. 10. XXIIII. Alexander, uixit ann. 98. & epiſcopus fuit ann. 63. XXV. Paulus confeſſor, ann. 3. eiectus à Conſtantio. XXVI. Euſebius, Arianus declaratus: qui prius fuerat Berythi, deinde Nicomediæ, ann. 12. XXVII. Macedonius, presbyter eccleſiæ Conſtantinonopoli, oppugnator ſancti Spiritus, ann. 12. XXVIII. Eudoxius Arianus, qui prius fuerat Germaniciæ, deinde Antiochię, ann. 10. XXIX. Demophilus Arianus, qui prius fuerat Berrhœæ in Thracia, ann. 11. M. 5. XXX. Euagrius, manibus impoſitis factus ab Euſtathio Antiochiæ, & ſtatim exterminatus à Valente. XXXI. Gregorius Nazianſi præfuit eccleſiæ, an. 12. & redijt ad uitam priuatam. XXXII. Nectarius axiomaticus, à patribus centum quinquaginta ſimul baptiſſatur, & ordinatur Epiſcopus,

ann.16.M.3. XXXIII. Iohannes, presbyter Antiochiæ, cognomen to Chryſoſtomus, ann.5.M.6. XXXIIII. Iohanne exterminato, Arſacius presbyter frater Nectarij, ann.2. XXXV. Atticus, preſbyter Conſtantinopolita, ann.20. XXXVI. Siſinnius, presbyter eiuſdem eccleſiæ, ann.2. XXXVII. Neſtorius, uenerator hominis Chriſti, cum Deum negaret eſſe: presbyter Antiochiæ, an.3.M.2. Hoc Oaſin in exilium acto, XXXVIII. Maximianus, presbyter Conſtantinopolita, ann.2.M.5. XXXIX. Proclus, à Siſinnio factus epiſcopus Cyzici: ubi non receptus, cum alterum legiſſent Cyziceni, priuatus ſtudijs operam dedit. Mortuo autem Maximiano, ſolium eſt ſortitus Principis urbis. Hic ab Imperatore Theodoſio minore impetrauit, ut liceret Pityunte Conſtantinopolim transferre reliquias Iohannis Chryſoſtomi, ann.12.M.3. XL. Flauianus, presbyter Conſtantinopolita, ann.1.M.10. Hoc deiecto à Dioſcoro, in illa inſidioſa ſynodo Epheſi, XLI ſufficitur Anatolius presbyter, & à reſponſis Dioſcori, ann.8.M.8. XLII. Gennadius presbyter Conſtantinopolita, an.13.M.2. XLIII. Acacius presbyter, curator alendis orbis, hæreticus, an.17.M.9. XLIIII. Phrabitas, presbyter S. Theclæ Sycis, M.3.D.17. XLV. Euphemius, presbyter Conſtantinopolita & curator pauperibus alendis in noua urbe, ann.6.M.6. Hoc expulſo ab Imperatore Anaſtaſio, XLVI. Macedonius, preſbyter Conſtantinopolita, & uaſorum cuſtos, ann.6. XLVII. Timotheus, presbyter Conſtantinopolita, & cuſtos uaſorum, ann.6. XLVIII. Iohannes, Cappadox presbyter, & ſyncellus illius, ann.1. M.10. XLIX. Epiphanius, presbyter Conſtantinopolita, ſub Iuſtiniano, ann.16.M.3. L. Anthimus Trapezunti epiſcopus, menſ.10. Hoc remoto, congregata Synodo aduerſus Seuerum, LI. Menas presbyter, & præfectus hoſpitio Sampſorum, ann. 16.M.6. LII. Eutychius presbyter, & monachus in monaſterio Amaſiæ, ann.12. M.2. Hoc eiecto à Iuſtiniano, Imperij ipſius anno 38. eo quòd non reciperet edictum ipſius, de corpore Chriſti experte omnis labefactationis, LIII. Iohannes presbyter Antiochiæ, ex numero Scholaſticorum, ann.12.M.7. LIIII. Eutychius, iterum ſub Iuſtiniano reſtitutus, confecit ann.4.M.6. LV. Iohannes diaconus Conſtantinopoli, Ieiunator, temporibus Tiberij, ann.13.M.5. LVI. Cyriacus presbyter eccleſiæ eiuſdem, & œconomus, ann.11. LVII. Thomas, diaconus eccleſiæ eiuſdem, & Sacellarius, ann.3.M.5. LVIII. Sergius, diaconus eccleſiæ eiuſdem, ann.8.M.7.D.21. LIX. Pyrrus, presbyter eiuſdem eccleſiæ, monachus, & Monaſteriorum magiſter, & præcipuus Chryſopoli. Orta autem ſeditione contra ipſum, receſsit, ann.2.M.9.D.9. LX. Paulus, presbyter eiuſdem eccleſiæ, & œconomus, ann.2.D.26. Pyrrus reſtitutus M.4.D. 23. LXI. Petrus, curator accipiendis hoſpitibus in eadem eccleſia, ann.

ann.12.M.7. LXII. Thomas,diaconus eiuſdem eccleſiæ, & cartarum cuſtos,ann.2.M.7. LXIII. Iohannes presbyter,& cuſtos uaſorum Magnæ eccleſiæ, ann.5.M.9. LXIIII. Conſtantinus,diaconus eccleſiæ eiuſdem, cuſtos uaſorum & œconomus, ann.1.M.11.D.7. LXV. Theodorus presbyter, eiuſdem eccleſiæ, ſyncellus, & cuſtos uaſorum,ann.2.M.3. LXVI. Georgius presbyter Syncellus & uaſorum cuſtos, ann.3.M.3. Theodorus reſtitutus ann.1.M.10. LXVII. Paulus, ex laicis à ſecretis *. LXVIII. Callinicus,presbyter & cuſtos uaſorum Blachernis,ann.12.exterminatus à Iuſtiniano Rhinotmeto. LXIX. Cyrus presbyter & monachus, ex Trogeſſo Amaſtridos,ann.6. expulſus à Philippico. LXX. Iohannes diaconus & cartarum cuſtos in Oeconomio,ann.3. LXXI. Germanus epiſcopus Cyzici,& confeſſor,ann.15. eijcitur ab impio Leonte Iſauro. LXXII. Anaſtaſius,presbyter & Syncellus,ann.24. LXXIII. Conſtantinus,monachus & epiſcopus Syllæi, an.12. Huic caput amputatur. LXXIIII. Nicetas,presbyter ſanctorum Apoſtolorum,& monaſteriorum magiſter,eunuchus,ann.13.M.4. LXXV. Paulus Cyprius diaconus,orthodoxus & confeſſor,ann.5.M.6. LXXVI. Taraſius,à ſecretis,an. 21.D.2. LXXVII. Nicephorus, à ſecretis,monachus factus, expulſus ab impio Leonte Armenio,an.9. LXXVIII. Theodotus Caſsiteras,ann.15. LXXIX. Antonius,ex Syllæo,an.12. LXXX. Iohannes presbyter & ſyncellus,inſidiatus ſibi ipſi, ann.9. LXXXI. Methodius confeſſor,ann.4.M.3. LXXXII. Ignatius eunuchus,ann.11.M.5.

APPENDIX.

Diligenter expoſita ſunt nomina eorum qui eccleſiæ Byzantij, quæ eſt Conſtantinopolis, præfuerunt, præſertim poſt Conſtantini tempora: accuratè ſcilicet perſcriptis tum omnibus. Byzantij autem conditor fuiſſe perhibetur Byzas Megarenſis, cum ante illud tempus annis XVII Chalcedon in Aſia,ab eiſdem Megarenſibus,ut quidam ſcripſere, fuiſſet condita. Retulitq; Herodotus Melpomene dictum memorabile Megabazi,uirtute & ſapientia præſtantiſſ. uiri inter Perſas: fuiſſe eo tempore Chalcedonis conditores cæcos. Niſi enim fuiſſent cæci, nõ elegiſſent, inquit,præ meliore deteriorem locum: cum licuiſſet occupare illum quo mox Byzãtium fuit conditũ. In Stephani epitoma legitur Oraculum, datum Megarenſibus, de colonia deducenda percontantibus,

ὄλβιοι οἳ κείνην πόλιν ἀνέρες οἰκήσουσιν
ἀκτῆς θρηϊκίης ὑγρὸν παρ' ἀκρὸν στόμα πόντου.
ἔνθ' ἰχθὺς ἔλαφός τε νομὸν βόσκουσι τὸν αὐτόν,
σίλλειν δ' ὡς ὤκισα τάδ' ἐς φρένα πάντα λαβόντας.

Pronunciatum fuit,felices eos fore,qui in littore Thracico,in faucibus Ponti urbem condidiſſent,ubi commune eſſet pabulum ceruo & piſcibus. Quòd autem illo loco littus quaſi findi, & ſimilitudinem habere cornuum cerui uideretur, ſtatuente duce Byzante,filio Neptuni & Caroeſſæ,cuius mater fuiſſet Io,eum locum demonſtratũ

oraculo, ibi urbem condidit, & à ſe ByZantium appellauit. Quidam, quòd ueluti raptim & ſubitò tam claſsis illa coloniæ deducendæ comparata, quàm urbs extructa eſſet, nomen illi factum ſunt ſuſpicati: id eſt, ἐκ τοῦ πεποιῆσθαι τὸν στόλον ὡς ἐκτίθεσθαι τὴν πόλιν, βύζην. *Fuere qui ByZantes, gentem Libycam, primùm illa in loca ueniſſe ſcripſerint, & nomen urbi feciſſe, quo placet quibuſdam ſignificari domicilium libidinis & luxuriæ. Sanè incolas fuiſſe uoluptatib. deditos, & ebrioſos, multi ueteres, eos irridètes, oſtendiſſe perhibentur: & memoràtur Menandrea hæc,*

τοὺς ἐμπόρους μεθύσους ποιεῖ βυζάντιον,
ὅλην ἐπίνομεν νύκτα. —

Traditur autem recentior eſſe huius urbis origo, urbe Roma, annis cirtiter LXX. Hanc opibus, & uiris florentem, extructionibusq; ſingularem in modum tam ornatam quàm munitam, cepit Imperator Seuerus, obſidendo annis trib. cum uictus defeciſſet propugnatores. Atq; ſcripſit Herodianus, de ruinis potuiſſe intelligi, & quàm præclarum opus fuiſſet urbis, & quanta potentia eius qui deſtruxiſſet. Redactum tum eſt ByZantium in formam uici, & ſubiectum inimicæ urbi Perintho, quam poſtea Heracleam appellarunt. Eadem laborans ſimili penuria ciuitas, priſcis temporib. tradita fuit Alcibiadi, admiſsis Athenienſibus, cum teneretur à Lacedæmonijs. Qui hoc tum effecere, ex ijs unus Anaxilaus poſtea Spartam deductus, & capitali iudicio accuſatus proditionis, abſolutus eſt iuſtiſsima ſententia: cum factum defenderet ita, ut ſe non eſſe Lacedæmonium, ſed ByZantium diceret, neq; potuiſſe uidere atq; pati ut ciuium ſuorum coniuges ac liberi fame interirent. frumentum enim omne fuiſſe in poteſtate præſidij externi. Itaq; ſe non proditorem, ſed conſeruatorem fuiſſe ciuitatis ſuæ. Oraculum Sibyllinum hanc ſedem ByZantis uocat, quod Cecus retulit tale,

δὴ τότε Βιθυνῶν γαῖαν λύκοι οἰκήσουσι
Ζηνὸς ἐπιφροσύνῃσι· κακὸν δ' ἐπιβήσεται ἄνδρας
ἄνδρας οἳ βύζαντος ἕδος κατανάσσουσι.

Quo ſine ambagibus planè prædicta eſt uis armorum Turcicorum, qui Bithynia occupata primùm, ſedem regni Pruſſam eſſe uoluerunt. Poſtea patrum noſtrorum memoria occuparunt et ByZantium, & euerterunt reliquias Imperij Rom. ad Orientem. Verùm tum non fuit ByZantium urbis nomen, ſed Conſtantinopolis, & Noua Roma: à Conſtantino Magno inſtaurata, & magnificè aucta atq; ornata. Quã & Virgini Dei matri, ideſt παρθένῳ θεομήτορι *dicatam, ſcripſit Zonaras. Qui idem aſtronomũ Valentem thema Genethliacũ ciuitatis edidiſſe narrat, celebratis quaſi natalibus urbis undecimo die Maij, anni quinquies milleſimi octogeſimi trigeſimi octaui. Definijſſe autem ille perhibetur ueluti uitã modo natæ ciuitatis, annis ſeſcentis nonaginta ſex. Atq; uidimus nos quoq; thema urbis huius Genethliacum, neq; prædictionem illam poſſumus deridere, cum in tempora finitorum annorum, quibus ciuitatu nouæ diuturnitatẽ aſtronomus indicauit, horribilis & urbis labefactatio, & ciuitatis ruina, & Imperij interitus inciderit, Alexio Comneno ſumma rerum potiente. Quando & terra mota, & Conſtantini ſtatua inſignis operis, ex Apollinis ſimulacro Ilienſis ad Conſtantini effigiem reformata, procellis*

uentorum

uentorum deturbata, eliſaq; cum plurimorum pernicie fuit. Quod & Oraculum futurum cecinit hoc uerſu, à Sipontino, ut accepimus, latinum factum : nam græcum uidere non contigit:

Conſtantine cades, & equi de marmore facti.

Et hiſtorias tẽporis quod ſecutũ eſt legentibus, apparet magis nomine fuiſſe deinceps Imperium Conſtantinopoli, quàm re: & tecta quidem urbis atq; ædificia non funditus deleta, ciuitatis autem decus priſtinum prorſus amiſſum. Iuſtinianus Imperator hanc urbem magnificis extructionibus publicis ſacrarũ & aliarum ædium ambitioſe exornauit: de cuius operibus extat ſcriptum Procopij Græcum. Contra hanc urbem oppidum eſt, ueteribus σῦκαι ἀντίπεραν τῆς κωνσταντινουπόλεως: poſtea Peran uocarunt, & neſcio qua de cauſſa Galatam. Urbs Conſtantinopolis ſedes modò eſt Regni Turcici, cuius dominatio quamuis crudeliter premat nomen Chriſtianum, tamẽ adhuc ibidem CHRISTI *eccleſia, benignitate diuina, reliqua eſt: & illam gubernans Patriarcha in grauiſſima ſeruitute, & autoritatis & poteſtatis faculτatumq; etiam nonnihil retinet: ad quem rebus dubijs ac difficilibus, tanquam primarium, non modò uicinæ, ſed regionum etiam longius diſtantium Chriſtianam religionem profitentes, confugere ſolent, quos conſilio opeq; ille ſua adiuuare non intermittit. Cumq; hæc ſcriberemus, nominabatur patriarcha Ioaſaph: cuius prædicabatur non modò religioſa pietas, & morum grauitas, uitæq; honeſtas, ſed doctrina etiam & eruditio maior quàm in ordine eo eſſe iam multis annis conſueuiſſet. Sed iam nomina Patriarcharum, de Nicephori enumeratione uideamus: & quæ res monere poſtulareq; uidebitur notando, cõmemorandoq;, quẽadmodum ante fecimus, adijciamus. Andreã, ſcripſit Euſebius, ſortitum eſſe Scythiam, ubi Euangelium doceret. Credamus tamen, Byzantij etiam eum docuiſſe. Hiſtoria quidem de hoc, in Achaia eum docuiſſe tradit, & Patris eſſe interfectum. Oneſimus, an fuerit ſeruus Philemonis, ad quem extat epiſtola Pauli apoſtoli, licet quæratur: Quam ædem ad preces extructam fuiſſe interpretando diximus, ea eſt Græcis οἶκος εὐκτήριος. Conuentus autem uocauimus eos, quos Græci συνάξεις: qui erant cœtus Chriſtianorum, ad doctrinam, preceſq;, & ſacrorum operationes indicti. Quod autem Nicephorus bellum ſuſcepiſſe indicat Conſtantinum aduerſus Licinium, ſororis ſuæ maritum, propter Metrophanem: de eo nihil habeo commemorare aliud, quàm prætendiſſe inter alia Conſtantinum bello illi, alienam uoluntatem Licinij à Chriſtianis, uel potius inimicum contra eos animum. Fuit autem Metrophanes, quemadmodum Nicephorus inquit, filius Domitij, qui habuit fratrem Probum Imperatorem: & filios, Probum atq; Metrophanem. Reliquerat autem Romam Domitius, factus Chriſtianus: & contulerat ſe Byzantium, ubi Epiſcopi ipſi curatio lata eſt. Erat tum Byzantium Perinthiorum, ut diximus, ditioni ſubiectum: ſed Conſtantinus & nomen urbis nouæ mutauit, & hanc principem eſſe cæterarum poſt Romam uoluit. Et Metrophanem Patriarchæ dignitate auxit: ita tamen, ut honore & autoritate præſtaret epiſcopus Romanus, quæ Græci πρεσβεῖα uocant, propter Imperij originem & Romæ antiquitatem. Ex eo Oecumenicos Patriarchas perhiberi ſe uoluere epiſcopi Conſtantino-*

politæ, eumq́ titulum adhuc rebus miſeris & afflictis conſeruant. Celeriter autem de principatu contentionibus ortis, Synodorum quoq; decretis ſecundum Romanum ſolium, primæ fuerunt tributæ patriarchæ Conſtantinopolitæ. Sed Phoca, neſcio quid eximiæ autoritatis atq; potentiæ conceſſit Romano epiſcopo. De quibus plura dicere neceſſe non eſt, hoc quidem loco. Alexander, qui ſecundus Patriarcha fuit, & quo præſidente Arius eccleſiam horribiliter perturbauit, fuiſſe epiſcopus à Nicephoro traditur ann. 63. Sed Zonaras ſcripſit, præſediſſe eum Conſtantinopoli ann. 23. Ergo, ſi ueri ſunt numeri Nicephori, fuit alibi ille antè epiſcopus, quàm patriarcha fieret. Paulum, ut nimis acriter aduerſantem Arianæ factioni, & cauſſas dantem turbarum in Eccleſia, remouit Conſtantius Imper. ſuffecitq́; Euſebium Nicomediæ epiſcopum. Tum Paulus ad Romanum Pontificem confugit: cuius autoritate reſtitutus in ſolium, cum iterum ab Imperatore deiectus in exilium mitteretur, ab Arianis eſt interemptus. Macedonius πνευματομάχος fuit appellatus: quòd, ut Arius filium Dei, ſic ille ſanctum Spiritum Deum negaret eſſe. Quæ quæſtio in Nicena ſynodo non fuerat commota, neq; res explicata. Studio autem & induſtria pia Gregorij atq; Baſilij, hac etiam in parte doctrinæ integritas eſt conſtituta, & Symbolum Nicenum appendice de ſancto Spiritu auctum, confirmata in ſecunda Oecumenica ſynodo, coacta Conſtantinopoli, cum eſſet Imperator Theodoſius ſuperior. Hic Macedonius crudelis fuit, & ſæuus: qui armis conatus eſt diſſentientes opprimere. Idem corpus Conſtantini Imper. ſepultum in templo Apoſtolorum, tranſtulit in fanum S. Acacij, abſente Conſtantio Imperatore. Eam ob rem reuerſus Imperator, remouit Macedoniū, & patriarcham illius loco eſſe iuſſit Eudoxium. Sed horum temporum diſertæ & copioſæ narrationes extant autorum hiſtoriæ Eccleſiaſticæ trium, Socratis, Theodoriti, & Sozomeni. Euagrius χειροτονηθεὶς, inquit Nicephorus. Quod ſumus interpretati, factus nimirū Patriarcha, impoſitis manibus ab Euſtathio: qui tum Antiochea pulſus, clam orthodoxos docebat Conſtantinopoli. De quo ritu in Eccleſia ueteri illo uerbo uſi ſunt. Sublatis enim manibus in Græcia quondam ſuffragari audientes, mos fuit. Gregorius, cum maleuoli perhiberent non rectè neq; ordine, id eſt οὐ κανονικῶς, ſolium eum obtinuiſſe, ultro ceſſit Pontificatu, reuerſusq́; eſt in patriam Nazianſum, recitata prius oratione De officio Pontificis, & dignitate præſtantiaq́; muneris illius, & ualedicto Eccleſiæ: συντακτηρίους λόγους hos appellans. Huic ſucceſſit uir ſenatorius (& ideo ἀξιωματικὸς dictus à Nicephoro, id eſt dignitate excellens) qui uarios honores geſſerat, Nectarius. Centum autem & L. patres ij fuere, qui conuenerant ad ſynodum Conſtantinopoli, cuius paulo antè meminimus. Iohannes ſacerdos Antiochenus, ab Arcadio Imp. accerſitus, & Patriarchæ dignitate auctus fuit. Quem iterū deiectū, iuſſit deportari Imperator in ultimas Ponti oras, & uiciniā barbarorum Cucuſum atq; Pityunta. Comanis autem in Armenia eo mortuo, corpus ipſius illis in locis ſepultum fuit. Cuius reliquias inde curauit referendas Proclùs patriarcha, & in penetralibus templi SS. Apoſtolorum deponendas. Qui dies ingenti populi lætitia celebratus eſt. Miſerias & ærumnas difficilimi itineris, ipſum epiſtolis ſuis enarraſſe traditur: quas editas eſſe nondum comperi. cognomētum hic, idem quod

Pruſaenſis

Pruſaenſis Dion iuuenis, ut appellaretur χρυσόστομος, propter eximiam facundiam, & ornatæ orationis copiam. In primis facultas huius eminuit in concionibus ad populum, quas ὁμιλίας Græci uocant. Cumq́ ea quæ ad mores & uitam pertinent, grauiter & ſplendide ab illo differerentur: nihilo tamen minus in explicandis ſcriptis ſacrarum literarum operam nauaſſe exiſtimatur. Cumq́ edidiſſet commentationum ſuarum multiplices libros, tum diuinarum ſcripturarum breues enarrationes compoſuit: id eſt, ut Zonaras nominat, σχεδιάσματα τῶν ἐξηγήσεων τῆς θείας γραφῆς, quæ Irenes & Conſtantini temporibus incendio exorto, unà cum Thomaico triclinio domus Regiæ, ubi aſſeruabantur, conflagrarunt. De hoc & uiuente & mortuo diuerſæ diuerſorum opiniones ſermonesq́ fuere. Neq́ eſt ſtatim nomen ipſius in ſacros codices relatum, quod Atticus patriarcha & Alexander Antiochenus tandem in illis perſcripſit. Multi eum, ut defenſorem Origenis errorum, accuſarunt. Quidam reprehenderunt iracundiam, inhumanitatemq́ & ambitionem, quibus indulgens non dubitaret cauſſas dare magnarum turbarum, & motuum pernicioſorum. Alij tantum non in cœlum laudibus illum extulerunt, & quædam πανηγυρικῶς commemorauerunt, quibus omnia facta & dicta non modò ut præclara & plena uirtute, ſapientia, pietate commendarentur, ſed quæ effectiones etiam ſingulares & mirifica opera ſanctitatis illius complecterentur. Quæ in medio relinquentes, illius diligentiam ſtudiumq́ & induſtriam in explicandis ſcripturis ſacris magnopere profuiſſe Eccleſiæ, nemini dubium eſſe arbitramur: ut laboribus ipſius, ab omnibus ſtudioſis illarum ex animo gratiæ agendæ eſſe uideantur. Opinio tamen de eo, ut homine, nõ fuerit impia, neq́ abſurda, οὐδεὶς δὲ ἄνθρωπος ὢν πάμπαν ἀναμάρτητος. Atticum ſcribit Socrates, anno muneris ſui 21. eſſe mortuum: cum quidem præſagiſſet animus ipſius mortis diem. hunc cùm in alijs, tum imponendo rebus nomina, ingenioſum atq́ ſolertem fuiſſe, idem Socrates ſcripſit. Neſtorium Græci appellarunt ἀνθρωπολάτρην: quo id ſignificatur, quod ſumus, quemadmodum potuimus, interpretati. Non placebat huic, nomen matri uirgini Mariæ tribui θεοτόκου: unde crimen ſubijt nefarij dogmatis, quòd Chriſtum ψιλὸν ἄνθρωπον, id eſt tantum hominem natura fuiſſe aſſereret: neq́ filium Dei eſſe natum in terris, neq́ uirginem matrẽ Deum peperiſſe: ſed in homine Chriſto fuiſſe diuinam quandam excellentiam, quemadmodum in Prophetis. Atq́ illi placebat, χριστοτόκον appellari uirginem Mariam. quod putabatur fraudulentè introduci, ad diſtrahendum Chriſtum: cum negari uideretur, filium Dei eſſe natum hominem, ſignificariq́ hominem Ieſum gratia fauoreq́ Dei adoptatum, ita nominis diuini participem factum. Et ferebatur Neſtorij temerariæ impietatis uox, ὅτι τὸν γενόμενον διμηνιαῖον καὶ τριμηνιαῖον οὐκ ἂν ὀνομάσαιμι θεόν. Cum autem horribilia certamina & pernicioſæ contẽtiones de dogmate paſſim ingraueſcerent, à Celeſtino Pontifice Romano, & Cyrillo Alexandrino, & Iohanne Antiocheno, & Iuuenali Hieroſolymorum epiſcopo quanta eſſet confuſio doctrinæ eccleſiaſticæ Imperatori Theodoſio minori & Pulceriæ ſorori ipſius (quæ ſua prudentia adoleſcentiam illius gubernabat) demonſtratur, & impetratur Synodus quæ indiceretur Epheſi. ubi conuenerunt ducenti patres, & damnarũt Neſtorij doctrinam, ipſumq́

dignitate

dignitate locoq́; Patriarchæ priuarunt. Qui mox edicto Imperatoris iuſſus abeſſe urbe Conſtantinopoli propius, quod non deſineret ueneno dogmatis multos inficere, in Arabicam Oaſin eſt relegatus. quamuis permittere ſe diceret, ut Deipera, id eſt θεοτόκος *uirgo Maria appellaretur: ut non tam ſenſiſſe impiè, quam temerè & audacter locutus eſſe, uideri alicui ille poſsit. Proclo, qui magiſtrum habuiſſet Iohannem Chryſoſtomũ, maleuoli aliquantiſper obſtiterunt: & perfecerunt, ut Maximianus ei præferretur, uir ille quidem ſanctitatis ſpectatæ, ſed indoctus. Prætenderunt autem Canonem, prohibentem mutari ſolium epiſcopi. Quem recitans Socrates, longè aliud iubere docet, & exempla epiſcoporum ab unius eccleſiæ in alterius ſolium tranſlatorum commemorat. Proclus autem, quamuis ei aſsignatum eſſet eccleſiæ Cyzicenæ ſolium, non fuerat tamen receptus. Quod autem dicitur hic impetraſſe, ut Pityunte corpus Iohannis transferretur Conſtantinopolim: ex eo poſsit intelligi, cum mortuus ille fuiſſet Comanis, ut diximus, Pityunte eſſe ſepultum. de quo tamen nihil certi traditum ſcio. Theodoritus, corpus eius propter monumen tum Baſiliſci martyris humatum eſſe ſcripſit. Flauiano præſidente, atrocia certamina alia Eccleſiæ doctrinam diſtraxerunt. Erat Eutyches quidam, minimè congruente nomine, Monachicarũ ſeceſsionum atq; latebrarum antiſtes: Græci* ἀρχιμανδρίτας *uocarũt, &* ἀββοῦς, *Latini abbates, ſignificante paternũ reſpectũ nomine. Is docere incipiebat, in Chriſto* IESV *non coniunctas, ſed confuſas eſſe naturas: neq; diſcrimina proprietatũ ſuarum illas iam retinere, ſed miſcendo confluxiſſe. Dicebatq́; non inficiari, fuiſſe duas naturas* πρὸ τῆς ἑνώσεως: μετὰ δὲ τὴν ἕνωσιν, *inquiebat,* μίαν φύσιν ὁμολογῶ. *Etiam ſimilem naturam corpori Chriſti noſtrorum corporum non tribuebat: id eſt, illud* ὁμοούσιον *nobis manſiſſe negabat. Hæc cum dicerẽtur mirabiliter, & pernicioſi errores ſeri uiderentur: Flauianus monuit Eutychen, ut falſitatem nouæ doctrinæ emendaret. Quod facere eum nolentem, communitate eccleſiaſtica, re cum alijs quibuſdam Epiſcopis communicata, eiecit. Tum ille in aulam cucurrit, & ad Chryſaphium eunuchum, qui plurimùm pollebat autoritate apud Imperatorem Theodoſium, confugit: & ope huius adiutus perfecit, ut Synodus iterum cogeretur Epheſi, quæ propter fraudes & uiolentiam uſurpatam* λῃστρικὴ *à Græcis uocatur. Iuſsit tum literis ad Elpidium miſsis Imperator, quod æquitatis laudem mereri ſingularem uidetur, adeſſe partium aduerſarum ambos unà cum ſuis, tanquam diſceptatores, non cognitores & iudices. Sed reſtitutus in priſtinum locum tunc Eutyches fuit, & prioris Synodi acta refutata. Zonaras narrat capitalem petulantiam Dioſcori Alexandrini epiſcopi, cui mandata fuiſſet ab Imp. Synodi illius curatio. Cum hic enim dogma Eutychis defenderet, reclamante Flauiano, non modo ait uerbis contumelioſis Flauiano eum inſultaſſe, ſed tanquam ferocem aſinum calcem impegiſſe pectori Flauiani, & pugnis malas percuſsiſſe, tanta cum ſæuitia, ut paulo pòſt Flauianus moreretur. Circumſteterunt conciliũ illud armati, quos Chryſaphius adduxerat, & metus undiq; congregatis epiſcopis iniectus eſt. Itaq; dogma Eutychis approbatum, & ex ſententia Dioſcori ſubſcriptiones perfectæ fuerunt, puris cartis conſultò oblatis, in quib. poſtea ſuo arbitrio Dioſcorus decreta perſcribenda curauit. Sed poſtea plurimi ui ſibi aſſenſionẽ extortam queri,*

& decre-

& decretis magnopere refragari. quibus rebus commotus Imperator, ſuccenſere Chryſaphio nonnihil cœpit. Hic tamen perſuaſit ei, ut mortuo Flauiano ſufficeretur Anatolius, miniſter reſponſionum Dioſcori: id eſt, τοῖς ἀποκρισίοισι διακονούμενος. Hic igitur fuit à reſponſis Dioſcori, quē minus elegante nomine ἀποκρισιάριον uocarunt. Erat autem Anatolius is, qui dogma Eutychis approbare crederetur. Itaq; uis & iniuria uſurpata in ſynodo ſecunda Epheſina, & actionum ſcelera ſilentio oppreſſa tum fuerunt. Etſi non reperitur, Anatolium defenſorem impij dogmatis fuiſſe, cuius præſentia etiam Chalcedoniam ſynodum auxit: ubi & ſententia ipſius poſt legatos Rom. Pontificis memoratur, de ijs qui ab excellentia epiſcopi ad presbyteri dignitatem eſſent detracti. Quinetiam hic patriarcha, unà cum Leonte Pontifice Romano, impetraſſe ab Imperatore Martiano perhibetur, ut Chalcedone Synodus de controuerſijs quibus Eccleſia turbabatur, indiceretur. Eæ erant doctrinæ contrariæ, Neſtorij & Eutychis. Itaq; Eutychis factio ſibi aduerſantes criminabatur, ut Neſtorianos. Atq; eſt credibile, neq; impias cogitationes, neq; ſententias peruerſas, neq; etiam orationes abſurdas initio fuiſſe utriuſq; partis: ac contentionum ſtudio καὶ ταῖς ὑπερβολαῖς, ut fit, errores cumulatos, & hyperbolis corruptam doctrinam ſimplicem.   Hoc loco exponere placuit ſummam decreti Chalcedonij de dogmate, quam diſertè retulit Zonaras in Martiano, hoc modo, ſecundum noſtrā interpretationem.   Qui conuenerant, rata eſſe iuſſerunt trium priorum ſynodorum decreta, & confirmarunt ſymbolum Nicenum: execrati eos, qui filios duos introducerent, quiq; docerent naturā diuinam pati aliquid poſſe: id eſt, τὴν θεότητα παθητὴν δογματίζοντας: quiq; auderent de duabus in Chriſto naturis permiſtionem & confuſionem nominare: qui ue fingerent, duas quidem naturas in Chriſto πρὸ τῆς ἑνώσεως, id eſt priuſquā illæ in una perſona Chriſti copularentur, unam uerò poſt hanc copulationem. Item eos qui fabularentur, formam hominis à Chriſto aſſumptam eſſe cœleſtem, aut alterius cuiuſpiam οὐσίας, id eſt naturæ conditionuq; diuerſæ. Decreuerunt autem, & ſtatuerunt (hoc eſt enim ἐδογμάτισαν) Dominum noſtrum IESUM Chriſtum eſſe integrū atq; perfectum Deitate (quæ eſt natura diuina) & integrum atq; perfectum humanitate, ſeu natura humana. Et Deum uerè, & uerè hominem, anima rationis compote & corpore conſtantē. ὁμοούσιον, id eſt eiuſdem naturæ ſeu eſſentiæ cuius pater, ſecundum Deitatem: & eiuſdem naturæ cuius nos ſumus, & ſimilem nobis, excepto peccato, per omnia. Unum & eundem in naturis duabus, ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως: quibus uerbis myſterium fidei hac in parte indicatur, ſuperans omnem intelligentiam humanam. Remouetur autem ab illa admirabili copulatione hoc modo, confuſio permutatioq; & diſtractio atq; ſeparatio. Et pronunciatur deinde in decreto, conſeruari oportere proprietates (quæ ſunt ἰδιώματα) utriuſq; naturæ, quæ concurrant in una perſona, quam Græci ὑπόστασιν uocant: ſubiectum fortaſſe rectè dixerimus, uel potius retinuerimus notum & tritum uſu Græcum uocabulum.   Hæc eo magis etiam exponenda duxi, quòd exemplum eſſet iſtud præclarum talium decretorum. Nam impia & falſa dogmata damnari ſic conuenit, ut pia & uera econtrario diſertè & explicentur, & aſſerantur.   Anatolius quidem patri-

dem patriarcha non tam doctrinam Dioſcori, quàm contumaciam & uiolentiam condemnauit. Sed fuit forma orationis, qua uteretur Dioſcorus, repudiata, τὸν χριστὸν εἶναι ἐκ δύο φύσεων: Leontis autem Pontificis ſeu papæ, admiſſa & ſancita, ἐν χριστῷ δύο εἶναι φύσεις. Variæ & multiplices altercationes in illa ſynodo agitatæ legũtur, & multa dicta, factaq́ οὐ πάνυ τοι εὐσχημόνως καὶ μετρίως. Sed nos iam reliqua perſequamur. Gennadius, cum eſſet presbyter, factus eſt Patriarcha. Huius tempore pictor quidam Iouis ſimulacro tribuit eam formam, qua effingi ſoleret imago Christi, quæ præter alia uerior putatur, cum capillo raro, & aliquantulum criſpo. Sed pictoris manus ſtatim opere perfecto exaruiſſe fertur, & precibus Epiſcopi impetrata ſanitatis reſtitutio. Iiſdem temporibus potens quidam & opulentus, Studius nomine, fanum extruxit ſacrum ſancto Iohanni: cui & monaſterium eſt additum, collatis illic monachis familiæ τῶν ἀκοιμήτων, quo nomine peruigilatores ſignificantur. Hoc appellatum fuit, Studij & Studitarum monaſterium: cuius ſæpe fit mentio in hiſtorijs. Idem Studius Nacoliæ in Phrygia fanum extruxit, dicatum archangelo Michaelo, quem ἀρχιστράτηγον Græci ſolent appellare: in quo perſcriptos fuiſſe hos uerſus accepimus:

Στούδιος ἀγλαὸν οἶκον ἐδείματο. καρπαλίμως δὲ
ὧν κάμεν εὕρατο μισθὸν ἑλὼν ὑπατηΐδα ῥάβδον.

Geſſit autem conſulatum cum Aëtio, anno CHRISTI circiter quadringenteſimo quinquageſimo v. Eidem Gennadio quadam nocte ad altare & precationem templum ingreſſo, tradunt oblatum eſſe uiſum quoddam horribili ſpecie. quod cum ille increpaſſet, audijt uocem clamantem: Ipſo quidem uiuente ſe ceſſare, ſed poſt mortem eius graues plagas impacturum eſſe Eccleſiæ. Quo audito, ardentiſſ. precib. orauit Deum Patriarcha pro ſalute Eccleſiæ, & paulo pòſt migrauit è uita. De Acacio, quem hæreticum uocat Nicephorus, & Romana eccleſia inhumaniſſimè abiecit, Euagrij narrationes ſunt mitiores. Omnino tum diſtractionum occaſiones uel quæſitas, uel cupidè arreptas eſſe apparet. Quòd non dicerentur & fierent ea ſimpliciter & prorſus ab omnibus, quæ Pontifici Romano eſſent uiſa, crimen afferebat factionis & ſectæ, cuius nomen atrociſſimæ ſignificationis eſt αἵρεσις. Fuit autem tum quaſi unguis in ulcere Iohannes quidam, qui Alexandrinum ſolium fraude occupauerat, contra iuſiurandum datum Zenoni Imperatori. Hic enim ad Felicem pontificem ſe contulit, & ſe ui iniuriaq́ affectum eſſe queſtus, tantum effecit, ut nullam neq; Zenonis Imperatoris, neq; patriarchæ Acacij defenſionem excuſationemq́ Pontifex admittere uellet. Et propterea quòd Acacius non fugeret communionem Petri καθαιρεθέντος, id eſt remoti, ſeu (ut loqui illi conſueuerunt) depoſiti, ipſum quoq; damnauit, & ab eccleſiæ ſocietate alienum eſſe pronunciauit. Idem fecit Gelaſius, ſucceſſor Felicis: cuius ſæuitia in Imperatorem grauius etiam inuecta eſt. Hunc ſecutus proximè Anaſtaſius Pontifex, cum ſua moderatione quaſi turgenti uulneri medicamenta dolorem lenientia adhibere conaretur, hoc conſecutus eſt, ut ipſi quoq; crimen deſertæ doctrinæ ſanæ inferretur. Itaq; ab hoc plurimi diſceſſerunt, obijcientes inter alia, quòd Photinum diaconum eccleſiæ Theſſalonicenſis recepiſſet propria autoritate: cum Acacij hic communionem non fugeret.

ſugeret. Ita ardoris & uehementiæ illius longè procedebat incitatio: cum prætendentes Eccleſiæ & fidei nomen, de ſuis pleriq; cupiditatibus dimicarent. Erat materia præliorum Chalcedonia Synodus: de qua alij aliter. Leon autem Pontifex, ſuam definitionem non ab omnibus cum ſumma ueneratione accipi, indignè tulerat. Et Zeno Imperator ratum eſſe de coniunctione edictum ſuum uolebat. Quapropter ubiq; in partes ſcindi res Eccleſiaſtica, & mutuam communionem fugere Epiſcopi. Itaque in Aſia ad ortum, & Europa ad occaſum, itemq; in Africa horribiles exiſtebant diſſipationes: quòd & Aſia Europaq; & Africa diſſiderent, & in ſingulis partibus inter Epiſcopos indigenas certamina & inimicitiæ uigerent.   Hac indignitate rerum motus Imperator Anaſtaſius, audaciam & inſolentiam epiſcoporum exilijs cohercere ſtatuit. Etſi non abhorret à uero, fuiſſe eum propenſiorem in eam partem, quæ Chalcedoniæ ſynodi autoritatem, & quaſi religionem omnino inuiolatam eſſe nollet. Neq; negauerim, irritatum eum refragationibus, in aliquibus ſuas etiam offenſiones eſſe ultum uideri. Remouit igitur Euphemium, & illi ſuffectum Macedonium: & iuſſit eſſe patriarcham Conſtantinopoli Timotheum, quem ualde infeſtum fuiſſe perhibent defendentibus autoritatem eximiam quandam ſynodi Chalcedoniæ. Sed de his hactenus. Euphemium πτωχοτρόφον *fuiſſe, dixit Nicephorus. Atq; nominantur in codice Iuſtiniani tam Ptochotrophia quàm Ptochia, item Orphanotrophium, Xenodochium, Noſocomium, Gerontotrophium, Curotrophium, Brephotrophium: ubi ſcilicet ægroti curarentur, nutrirenturq; ſenes, iuuenes, infantes. Scripſit autem Epiphanius, in diſputatione de ſecta Aerij, appellari in Ponto* πτωχοτροφεῖον, *id eſt ædes in quibus pauperes alerentur: quod alibi* ξενοδοχεῖον, *id eſt ædes in quibus externi ſeu hoſpites accipi ſolerent. Tales autem illic extrui & parari ait à præſidibus Eccleſiarum, ſtudio externorum. Atq; in his concedi habitationem uitiatis atq; læſis, & ita debilitatis, ut ſibi ipſi uictum quærere nequeant (Græcus autor* λελωβημένους καὶ ἀδυνάτους *uocat) eisq; ſuppeditari pro facultatibus Eccleſiarũ neceſſaria.   Inter Euphemiũ patriarcham & Anaſtaſium Imperatorẽ graues ſimultates fuere, quæ tandem in acerbiſſimum odium eruperunt. Erat Anaſtaſius ſuſpectus de dogmate. Cum autem ſoleret apud ſuos Imperator de eo uerba facere, increpat ipſum patriarcha minace obiurgatione, & eccleſiam ſi frequentare uelit, idem quod in illa doceatur ſentire & loqui iubet, aut ne apparere quidem in ea, & exemplo ſuo nocere ſimplicioribus. Contra hæc ſi feceris, inquit, tuum capillum detondebo, & te exponam ludibrio populi: ſic enim ſumus interpretati,* θριαμβεύσω τοῖς δήμοις. *Hac oratione & offenſus & perterritus fuit Imperator, & deinceps in diſputationibus de religione fuit cautior.   Iſauris autem petulanter & inhumaniter ſe gerentibus, urbeq; expulſis, bellum magnum fuit excitatum. Quo cum annis v. grauiter Reſpubl. affligeretur, tædio affectus Imperator, rationes inire cœpit, quibus facta pace cladibus diuturnis imponi finis poſſet. Hoc conſilium communicauit cum patriarcha. Et petijt ab eo conuocari epiſcopos, tanquam ad deliberationem de Iſauris, ut quorum ſalutis reſpectu tangeretur. Ea patriarchæ indicio patricius quidam Iohannes, ſocer unius ex ductoribus Iſaurorum, cognouit & prodidit. Quod cauſſam dedit magnarum*

inimicitiarum inter Imperatorem & patriarchã. Poſtea deuictis Iſauris, Patriarchæ maleuoli immiſerunt illi quendam cum gladio, qui ſtrictum hunc Patriachæ impacturus, ſubeuntem Paulum, cuius in Eccleſia curatio erat Ecdici, ſtatura proceriorem, percuſsit, non ſine periculo. Qui autem gladium ſtrinxerat, eum ex Eccleſiaſticis quiſpiam interfecit uecte arrepto ſeræ. Sed Imperator cauſſam motus Iſaurici aſcribens Patriarchæ, & crimen ei inferens literarum miſſarum ad ſeditioſos, coacto cœtu Epiſcoporum qui tum fortè in urbe aderant, perfecit ut hi dignitatem muneris Euphemio abrogarent, & communione eum excluderent: quem exulare Euchaitis iuſsit. Zonaras ait, ſcriptam iuriſiurandi obligationem Imperatoris, datam patriarchæ, qui aliter ſolenni ritu coronam ei imponere recuſaſſet: & hanc uel fraude uel ui recepiſſe Imperatorem, atq; ita expuliſſe Euphemium. Sed cum huic ſuffectus eſſet Macedonius, educatus à Gennadio, cuius & cognatus eſſe ferebatur: petijt Euphemius fide uerbiſq; Macedonij promitti, ne quid inſidiarum ſibi ſtrueretur. Tum Macedonius, cum Euphemius eo loco eſſet quo baptiſmus peragi ſolebat, demi de ſuis humeris palliolum Epiſcopi iubet à diacono, & ita accedit ad Euphemium, quaſi cedens illi Patriarchæ dignitate. Quinetiam pecuniam mutuò ſumptam dedit Euphemio, inſtruens eum cum comitibus uiatico. Idem non dubitauit ſubſcribendo approbare Zenonis ἑνωτικὸν. Cum autem inimici Eucholium quendam ſubornaſſent, qui gladio feriret Macedonium, re cognita, donis ille affecit hominem, placans, tantum abfuit ut ſupplicij ipſius autor eſſet. Sed cum Imperator uellet ac iuberet Macedonium, exemplo Hieroſolymorum epiſcopi, condemnationes quaſdam decernere: ipſe uerò hoc ſine cognitione legitima, quæ fieret in Synodo œcumenica, facturum ſe eſſe negaret, indignationem Imperatoris erga ſe commouit: qui eum poſtea in exilium miſit Euchaita. Macedonius dicitur à Nicephoro σκευοφύλαξ. Hic ſcilicet is fuit, cui commiſſa eſſet ſacrorum uaſorum ſeu inſtrumenti Eccleſiæ cuſtodia. Timotheum autem, ſimilem cuſtodem huic ſuffectum, appellarunt λιζοβόλβην & κόλωνα, ob neſcio quas actiones futiliores. hic quodcunq; templum ingrederetur, ſacrorum munera non obibat, niſi prius detractis Macedonij, cui ſucceſſerat, imaginibus. & ad obtrectandum ei inſtituit, ut in omnibus Eccleſiaſticis conuentibus recitaretur ſymbolum Nicenum: quod Macedonius more maiorum ſemel tantum in anno curaſſet recitandum, nimirum Paraſceues die ſacro memoriæ crucifixi Chriſti, quò Epiſcopi Catecheſes ſolennes ſolerent peragere. Idem modò damnabat, modò approbabat Chalcedoniam ſynodum, inſeruiens uoluntati & iudicio diuerſorum. Iohannes, inquit Nicephorus, πρεσβύτερος κατὰ παδονίας καὶ σύγκελλος αὐτοῦ. Nomen συγκέλλου putaui aliquando id ſignificare, quod Latinis contubernalem. Scribit autem Zonaras in Monomacho, apud Turcos ſeu Agarenos eſſe Seriphen, eum qui apud Græcos aliquando appellatus fuerit Syncellus. Nam quemadmodũ Syncellus ſoleret in demortui Patriarchæ locum ſuccedere: ita Seriphen ſuffectum fuiſſe è medio ſublato Chalipha. Autor autem Sacræ hiſtoriæ, Syncellos ait eſſe apud Græcos, eos qui à Latinis ſuffraganei nominentur. Sed in editis libris deprauatum eſt nomen: Cancellos enim fecerunt, ex Syncellis. Epiphanius autem & Inſtini & Iuſtiniani temporibus Patriarcha fuit.

fuit. Cui Anthimus ſucceſſit, loco Patriarchicæ dignitatis motus, id eſt depoſitus (ut loqui conſueuerunt interpretantes Græcum καθαιρέσεως uerbũ, quemadmodum dictum eſt) & execrationis ignominia notatus unà cum Seuero, & Eutyche, & Petro Apamienſi: de quibus & conſtitutio perſcripta ad patriarcham Menam extat Iuſtiniani. Zonaras inter damnatos tunc & Iulianum Halicarnaſſenſem nominat. Fuit autem Anthimus accuſatus & canonum tranſgreſſionis, & impij dogmatis, quòd Seuero aſſentiretur. Euagrij editæ narrationes nominant poſt Anthimum, Epiphaniũ: & poſt hunc, Menam: perperam, ut hiſtoriæ ſeries demonſtrat. Quod de Nicephoro ſumus interpretati, Eutychium eſſe reſtitutum ſub Iuſtiniano: id cum Zonaræ & aliorum narrationibus non congruit, qui reuocatum hunc tradunt mortuo Iohanne, qui è numero Scholaſticorum & reſponſionum miniſtro factus eſſet patriarcha. Et à Iuſtiniano ſuffectus Eutychio, propterea deiecto quòd non approbaret dogma aſſerentium, Chriſtum corpus habuiſſe eiuſmodi ut lædi aut perire non poſſet: ἄφθαρτον Græci uocant, & huius dogmatis defenſores ἀφθαρτοδοκῆτας. autores aũt nominat Damaſcenus, Iulianum & Caianum. fieriq́ poteſt, ut ex Iuſtino, Iuſtinianum ſcriba fecerit. nam à Iuſtino minore reſtitutum fuiſſe Eutychium, pleriq́ ſcripſerunt. Iohannes ieiunator eſt Nicephoro νηστευτής: nimirum is qui frequenter & multum ieiunaret. Hic, diaconus cum eſſet magnæ Eccleſiæ, & ſanctitate uitæ in primis commẽdaretur, Patriarcha eſt factus: & ſolio illi fuit ornamento. Huic Cyriacus ſacerdos ſucceſſit, cui eſſet commiſſa cura rei familiaris, ſeu mandata res Eccleſiaſticæ in magna eccleſia Conſtantinopoli: hic eſt enim οἰκονόμος. Talemq́ legi, niſi ex ordine ſacerdotum, legibus ſacris quondam fuiſſe ſancitum ſcimus. Quod non eſſe tamen aliquando ſeruatum, intelligi poteſt ex Zonara in Romano Argyropolo, & Iſaacio Comneno. Thomas, quem Græcè perſcripto nomine latino Sacellarium uocat Nicephorus, præſedit temporibus Phocæ: qui Imperator à Zonara ἀλάστορος appellatione infamatur, quaſi latinè furiam dicas, & execrandũ atq́ deteſtabilem. Sequitur Sergius, nouarũ turbarum in Eccleſia excitator, & ſectæ uel autor uel ſocius Eutychianæ: ut uocarũt Eutychis impietatẽ, cum ſit uera forma Eutychea. Sed Sergiana dogmata hanc quaſi elimauerunt. Non enim damnatam confuſionem duarum naturarum iam audentes aſſerere, confitenteſq́ illarum in Chriſto cõiunctionem retinentem proprietatem utriuſq́, de uoluntate & efficacitate quærere cœperunt. Placuitq́, unam uoluntatem efficacitatẽq́ Chriſti perhiberi. Græcis eſt θέλησις καὶ ἐνέργεια. Hi nominati ſunt μονοθελῆται. Et deſijt in hac fermè, de diuinis, & Ieſu Chriſti natura perſoniſq́ impia curioſitatis inquiſitio, confluẽte amentia uniuerſa tanquam in unam Mahometani delirij foſſam ac cloacam. Ita autem tum res fuit geſta. Heraclius Imperator magnopere tuebatur decreta Chalcedoniæ ſynodi, & ſtudebat ijs aſſentiri uniuerſos. Eum reuertentem à bello Perſico, Hieroſolymis conuenit patriarcha Iacobitarum. Cuius ſermonibus delectatus Imperator, hortatur eum ut amplectatur decreta ſynodi Chalcedoniæ: & conſentienti de dogmate, promittit ſolium Antiochenæ eccleſiæ. Hac ſpe ille ſimulare aſſenſionem, & dicere, nunquã ſe refragatum eſſe ſententiæ, affirmanti in Chriſto duas naturas ſine confuſione eſſe coniunctas: ſed

*de uoluntate, efficacitateq́ putare eſſe quærendum, duas'ne an unam hanc dici uerum ſit. Quæſtionem eam Imperator proponit Sergio patriarchæ Conſtantinopoli, & Cyro Phaſidos epiſcopo, qui iamdudum dogmatis iſtius approbationem meditabantur. His igitur unam uoluntatem Chriſti perhibentibus, uerum eſſe dogma Imperatori perſuadetur. Sed contradicentibus Romano epiſcopo Iohanne, & Hieroſolymorum Sophronio, & de ſententia conuocatorum epiſcoporum definientibus, Qui unam uoluntatem & efficacitatem Chriſto tribuerent, eos prorſus defendere dogma de una natura: tum Imperatori uiſum, edictum proponere, quo prohiberetur tam unius uoluntatis & energiæ, quàm duarum in Chriſto doctrina. Hoc utrique parti ridiculum uiſum, & contemptum fuit. Mortuo autem Sergio, ſucceſsit illi Pyrrhus, eiuſdem factionis. Qui, mortuo Heraclio, & Martina cum Heraclona filio ab Imperij gubernatione remota, ipſe quoque & dignitate Eccleſiaſtica priuatus, & in exilium actus eſt: ſuffectusq́ ei Paulus, earundem partium: quem & Cyrum nominatim curauit Martinus Pontifex declarandum alienum à communitate Chriſtianorum. Tales Chriſtiani ἀποξοπαίους ἡγεῖσθαι ſolebant, καὶ μὴ πυρὸς μὴ ὕδατος μὴ σκέπης αὐτοῖς κοινωνῆσαι: ſic enim Baſilius in quadam ad Athanaſium epiſtola. Quo facto indignatus Imperator, Martinum Papam relegauit: qui in exilio eſt mortuus. Mortuo & Paulo, reducitur Pyrrhus, & reſtituitur in ſolium paſtorale Conſtantinopoli: cum eiectus olim, Romam profectus, & ſimulata mutatione ſententiæ in communitatem tum receptus, & mox fraude detecta denuò illa excluſus eſſet. Iterum igitur hic factus Patriarcha, poſt menſes penè quinq; deceſsit. Huic ſucceſsit concors Petrus. Et huic Thomas, ueræ doctrinæ patronus, qui eſſet cuſtos chartarum: hi ſcilicet libri fuerunt publici negotiorum & rerum Eccleſiæ. *Poſt eum Patriarcha factus eſt Iohannes. Poſt Iohannem Conſtantinus. Poſt hunc Theodorus: quem biennio munere illo functum expulerunt, & ſuffecerunt ei Georgium. Hoc præſidente, cum eſſet Imperator Conſtantinus Heraclij pronepos, inchoata fuit ſexta Synodus, præſentibus quibuſdam loco Romani Pontificis Agathonis (Græci τοποτηρητὰς uocant) In qua confirmari cœpta doctrina de duabus uoluntatibus & energijs in Chriſto IESV, cum etiam ipſe Imperator actionibus intereſſet: & execratione condemnata Monotheletarum impietas, nominatim erroris huius ignominia notato Theodoro epiſcopo Pharani, Cyro Alexandriæ, Sergio, Pyrrho, Paulo, Petro, patriarchis Conſtantinopoli, Macario Antiocheno, & Stephano atq; Polychronio. Hæc ſynodus, quaſi impoſita extrema manu abſoluta fuit, congregatis patribus in palatio Regio, cui nomen Trullo, Imperatore Iuſtiniano Conſtantini F. Rhinotmeto. ad quem & προσφωνητικὸς, ideſt ſermo quo cōpellatur ab illo Concilio, extat ante editos Canonas: qui et ſubijciuntur arbitrio illius. Quam autem ob cauſſam expulſus fuerit Theodorus, & quo pacto reſtitutus, non eſt mihi compertum: neq; de his Zonaræ aliquid narrat edita hiſtoria, in qua neque Pauli mentio fit, cuius annorū numerus in libello etiam Nicephori deſiderabatur. Georgium quidem in Copronymo Zonaras fuiſſe Cyprium ſcripſit: & ſignificat uenerationem imaginum docuiſſe & defendiſſe. ut hanc*

controuerſiam

controuerſiam tum adeò commotã fuiſſe, poßit intelligi. Sed Callinicum, qui Leontio fauißet, Iuſtinianus propter nares abſciſſas ῥινότμητος *dictus, oculis priuatũ, quòd ſuæ opinioni nimis audacter ille aduerſaretur, Romam relegauit: & Cyrum, monachum quendam Ponticum, ei ſuffecit, qui ipſum aliquando Imperij gubernatione ſpoliatum, breui recuperaturum eſſe potentiam priſtinã prædixerat. Hunc Cyrum remouit Philippicus, & Iohannem creari fecit Patriarcham. Cui ſucceßit Germanus, Iuſtiniani Patricij filius, interfecti à Conſtantino Conſtantis filio: quem tum excidendum curauit Imperator, cum eſſet epiſcopus Cyzici. Remouerat autem Iohannem Anaſtaſius Artemius, tanquam parum rectè de religionis pietate ſentientem. Hunc Imperatorem ordini ſacerdotum mirificè addictum fuiſſe accepimus: itaq; illis cùm quæſtorum munera mandare, tum tradere excercitus ductandos. Quo & ipſe tandem euerſus eſt, & claßi præfectus Iohannes à militibus occiſus. Imperatore autem iam facto Leonte, cui Cononis eſſet cognomentum, cum iam contendendo atrocißima certamina de imaginum cultu eßent excitatæ, & Leon Imperator uenerationem iſtam iudicaret ſimilem eſſe quodammodo ueteri Græcorum & aliarum gentium ſuperſtitioni, qui ſimulacra coluiſſent, & ideo idololatræ dicti eſſent, primùm mitius aliquanto, deinde uehementißimè etiam doctrinæ iſti atq; ceremonijs cultus huius aduerſatus eſt, cum iam Conſtantino filio à patriarcha Germano Imperij corona eſſet impoſita. Germanus autem patriarcha Imperatori ſe totis uiribus oppoſuit, aſſentientibus ipſi plurimis alijs, & monachorum cœtibus uniuerſis. Tum & Eccleſiæ & res ciuiles grauißimè turbatæ fuerunt: de quibus calamitoſiſſ. temporibus, & miſerrimis negocijs, ſuperius quoq; eſt aliquid dictum. Germanus tunc, quòd finem non faceret & obiurgandi & inſectandi Imperatorem, quem* εἰκονομάχον *&* θεομάχον *uocarunt Patriarchæ, eſt principatu priuatus. qui mirificas tragœdias egit: cum eſſet in opinione ſanctitatis eximiæ, & futura crederetur prædicere: inter quæ hoc memoratur. Cum aliquando Anaſtaſius, qui Germano ſuffectus fuit, præcedentem hunc ſequeretur, fortè dependentis ab humeris ueſtis (cuius Græcũ nomen* ὠμοφόριον, *& Perſicum* μανδύας*) fimbriam calcauit. Ad quem conuerſus Germanus: No feſtina, inquit, Dyppium te manet. Hunc enim Anaſtaſium, fauentem factioni Artabaſdi, qui Imperium inuaſerat, cum uicto ipſi duobusq; eius filijs oculos effodi iußiſſet Conſtantinus, produxiſſetq; in conſpectum populi illos tanquam triumphans: ſimul etiam loris publicè cæſum, & aſino auerſum impoſitum, curauit inde adducendum quà equi tranſire & immitti ſolebant, cui loco à re nomen* διιππεῖς *factum, fuitq; illic fanum conſecratum memoriæ Iohannis Theologi, hoc cognomento appellatum. Sed nihilominus poſtea in locum dignitatemq; Patriarchæ eum reſtituit. Huic Conſtantinum ſuffecit monachum, quem acclamatione ſolenni* οἰκουμεν. τὸν πατριάρχην *appellauit. Cum quo Imperator, adiunctis quibuſdam idem ſentientibus epiſcopis, quorum principes eſſent Theodoſius Epheſi & Paſtila Pergæ, cùm ea quæ placebant decernere, tum cogere ſynodum, quam non dubitarũt Oecumenicam uocare, quo uerbo generalis quædam autoritas indicatur, quæ in toto orbe terrarum ualere debeat. Damnatus tũ fuit Germanus, & qui diu ante eum Patriarcha fuerat*

Georgius, & Iohannes Damaſcenus, cuius apud Græcos doctrina & pietas celebris eſt. Decreta autem Synodi perſcripta uno libro (τόμους appellant συνοδικοὺς) Imperator publicauit, & iureiurando dato approbari uoluit. Iuraſſe tum traditur Constantinus patriarcha, alijs quibuſdam refragantibus, & crudeliter afflictis: multis etiam interfectis. Paulo pòſt iratus patriarchæ Constantino Imperator, delato apud ſe quòd cum uno ex uiris præcipuis & magiſtratu functis, qui in custodiam dati erant ab Imperatore, colloqui ſoleret, relegauit eũ: & ſuffecit in locũ ipſius Nicetam, ſeruilis originis hominem, & imperitũ literarũ. Atq; mox reuocatũ Constantinum patriarcham, & immaniter afflictum, iuſsit in Magnum templum deportari, quod ingredi ille non poſſet: & coram nouo Patriarcha interrogari de dogmate, cum interea alapæ ei impingerẽtur. fuitq; in concilio damnatus patriarcha Constantinus, & per ignominiam tam caput quam mentum ipſius pilis nudatum: deinde ipſe impoſitus aſino, & circumductus in hippodromo, & ſputis atq; puluerib. aſperſus: tandem in uenationũ ſpacio, quod Græci κυνηγέσιον, ultimo ſupplicio amputato capite eſt affectus: quamuis ſe non aduerſari ſententiæ Imperatoris & Synodi profiteretur. At Gregorius pontifex Romanus, prius odio Leontis, cum Regibus & gente Francorũ pace facta; uetuit ex Italia Conſtantinopolis Imperatori quicquam deportari, & tributa uectigaliaq; repreſsit. Et Synodo coacta, illum, cum dogmate uenerationem imaginum & eorum quæ de ſanctæ memoriæ uiris eſſent reliqua, improbante, ſolenni deteſtatione damnauit, & excluſit communitate eccleſiaſtica, & hac occaſione Imperij Romani pars in Francos autoritate primùm Pontificia translata, ab ipſis poſtea tranſactione eſt retenta. Scripſere tum multa multi, inq; primis Iohannes Damaſcenus: uideturq;, quemadmodum antè quoq; diximus, res utrinq; contendendo & rixando pertinacia partium abducta eſſe, ut fieri conſueuit, longius. Id quidem negari non poteſt, cum ſit ante oculos, nimium ardorem propugnantem pro imaginum cultu, cauſſam dediſſe horribilium ſuperstitionum, quibus doctrina ueritatis cœleſtis obſcurata deprauataq; ſic eſt, ut uix laborantibus rebus emendando iam conſuli poſſe uideatur. Multa tum temerè irritatis animis per mutuas offenſiones dicta & facta fuiſſe apparet, unoquoq; eos cum quibus faceret laudante immodicè, & aduerſantes omnibus probris infamante: & hanc libertatem, uel etiam licentiam, præclaram eſſe ducente. Uariæ tum fabulæ & prolatæ & creditæ, multiplices errores ſeuerunt, quorum prouentus nimis uberes fuiſſe perſpicuum eſt. Sed de his alij quærant atq; diſputent: nos inſtitutum perſequemur. Nicetæ ſucceſsit Paulus, quem Diaconum Nicephorus, Zonaras Lectorem fuiſſe ſcripſit. Hic morbo debilitatus, ſua ſponte patriarchæ ſe munere abdicauit, & tonſus Eccleſiam reliquit. Ad quem Irene, unà cum Constantino, filio Constantini, Copronymi nepote, uenit, expoſtulans de ſeceſsione. cui ille, quemadmodum Zonaras narrat, reſpondit: Utinam in iſto ſolio nunquam præſediſſem, ſciſſis eccleſijs, in tyrannico Imperio. Tum miſit Augusta ad Paulum delectos è Senatu uiros, percontatum, quid fieri oportere cenſeret. At ille, non niſi Catholica Synodo, in qua uniuerſi cõuenirent, qui Eccleſiæ legibus deberent, coacta, remediũ malis inueniri poſſe affirmauit. Interrogatus autem, cur ipſe quoq; uenerationem imaginum intermi-

ſiſſet:

ſiſſet: Quia,inquit, magna erat ſæuitia & amentia tam potientũ ſumma rerum, quàm ueſtra. Itaq; nunc ſum in mærore,& ſupplex imploro Deum,ne in iudicium adducar ut Pontifex. Mortuo in eo ſtatu Paulo, ſucceſſit Taraſius: quem cum legiſſent, ſuffragio hoc ſuo populus approbauit uniuerſus. At ille recuſare: & negare ſe præſidere poſſe apud eos,quorum eccleſia aliorum iudicio & ſententia ut impia damnaretur. Sed tam Auguſtis quàm cæteris inſtantibus, ea conditione recepturum ſe dixit adminiſtrationem muneris illius, ſi placeret Oecumenicam Synodum cogi,ut Eccleſiæ rurſum conſociarentur. Quod cum promiſſum fuiſſet, ita Taraſius patriarcha factus eſt. Quo tempore Adrianus Romæ Pontificatum geſſit. Atq; ita conflata eſt Synodus ſeptima: in qua decretum, προσκυνεῖσθαι ϗ σέβεσθαι τὰς σεπτὰς εἰκόνας. quibus uerbis ſignificatur ueneratio & cultus,& uenerãtum geſtus ſupplex, quæ adoratio uocatur. Iis etiam quæ λείψανα Græcis appellantibus, latinè nominarunt Reliquias,honor decretus. Et ſancitum,ut in quibus templis nihil horum eſſet, aliquid inferretur: neu fas eſſet poſthac templum, non illatis ſanctis reliquijs,dedicari. Statutũ etiam,ut contra imaginum & ſanctarum reliquiarum uenerationem ſcripti libri,ab ijs qui ſectam Chriſtianorum accuſatricem (χριστιανοκατηγορικὴν αἵρεσιν ipſi nominarunt) ſequerentur, à nemine retinerentur aut occultarentur,ſed traderentur præſuli Conſtantinopolis, ut inter hæreticos libros cæteros reponerentur. Damnati tum ſunt nominatim, Anaſtaſius, Conſtantinus,Niceta, patriarchæ Conſtantinopolis. Habitus conuentus hic eſt Nicææ in Bithynia, poſt eum quem ibidem habuerat Conſtantinus Magnus annis CCCCLVIII. *Lecto libro,τόμον appellari diximus,decretorũ publicè,ſigno & ſubſcriptione Imperatoria ille eſt confirmatus,& tẽplis imagines redditæ. Taraſius poſt mortem ſcribitur per ſomni quietem à neſcio quo uiſus eſſe, cum audiret ille, hunc Leontũ Armenij Imperatoris aduerſus imagines uim deteſtantem, Michaelum magnis clamoribus iuſsiſſe accedere,& interficere Leontem. Eſtq; Leon à factione Michaeli Trauli occiſus. Poſt Taraſium Nicephorus,nondum ordinis ſacerdotalis,ſed qui in populo adhuc cenſeretur, (λαϊκὸς hos dixere) communi omnium ſententia factus eſt Patriarcha. Huic actioni reſtitere celebres in ordine illo, Plato & Theodorus: uel quòd leges creandi Patriarcham non ſeruatas eſſe crederent, uel quòd ipſi ambirẽt dignitatem illam. Sed nequaquam clementer ab Imperatore Nicephoro refutati fuere: & parum abfuit quin exilio multarentur. Vel his temporibus,uel paulo ſuperius, & ſolis ſplendor diebus compluribus obſcuratus eſt mirabiliter, & crucis figuræ in ueſtibus uiſæ: & cecidit imber cruentus,uariæq; & atroces calamitates longo tempore afflixerunt genus humanum toto orbe terrarum, belli,famis, peſtilentiæ: Eccleſia uero Chriſti ſuperſtitionibus multiplicibus turpiter fuit inquinata. Rurſum autem de ueneratione Imaginum diſputatio commota eſt, improbante Leonte Armenio Imperatore uenerationis dogma,quocunq; conſilio. nam de hoc alij aliter. Sunt enim,qui indignatione pia commotum illum tradant, uetuiſſe iſtam uenerationem, quæ ueritati religionis Chriſtianæ non eſſet conſentanea. Quidam fraude Theodoti inductum, in hanc ſententiam illum incubuiſſe ſcripſere. Sed hæc nos in medio relinquentes, inſtitutam expoſitionem*

 deducamus.

deducamus. Nicephorus patriarcha, qui eſſet in ſingulari opinione ſanctitatis, adeò ut futura prædicere crederetur, ſummopere aduerſabatur Imperatori: atq; dicere ſolebat ſe præſenſiſſe, cum Imperatoriũ diadema circũdaret capiti ipſius, futurũ eum moleſtum Eccleſiæ & fidei ueritatẽ ſeruantibus, tanquã ſtimulum: quòd tum manus tanquam ſpinis pungi uiſæ ſibi eſſent. Repugnantem igitur & obſtrepentem Patriarcham remouendum cenſuit Imperator. Itaq; hic relegatus fuit, & iuſſus exulare in Proconeſſo. Quò cum aueheretur, Monaſteriorũ quendam præſidem Theophanem non uidens, quòd longiſſimè abeſſet, procumbendo & manus porrigendo ueneratus fuit. Percontantibus autem iis qui in naui unà erant, Quid geſtus illi ſibi uellent? reſpondit, ſe Theophani ualedicere, qui ſuam diſceſſionem cereis & odoribus incenſis proſequeretur: quem & propter confeſſionem conſtantem dogmatis multa triſtia perpeſſurum eſſe prædixit. Hic exul, literas miſit Leontis ſucceſſori Michaelo, petens ut honor & ueneratio rurſum propoſitis imaginibus redderetur. Cui Imperator benignè quidem reſpondit, ſed actiones Leontis eſt ſecutus: uel etiã in hac parte Leonte fuit uehementior. A Leonte aũt deiecto Nicephoro patriarcha, productus Theodotus fuit cognomento Meliſſenus, & altero Caſſiteras: acerrimus inimicus uenerationis imaginum. Itaq; de hoc multa legũtur ſcripta, quibus ille admodum uituperatur. Theodoto tribuuntur à Nicephoro anni 15, à Zonara 6. Huius ſucceſſor Antonius cognomento Caſſimatas, & ipſe dogmati uenerationis imaginum aduerſatus eſt. Iohannis ſunt apud Nicephorum noſtrum anni 9. Zonaras tribuit illi 6. Quid autem ſit, Inſidiatus ſibi ipſi (ſic enim ſumus interpretati, ἐπιβουλεύσας ἑαυτόν) non habeo dicere. Zonaras remotum eum ſcribit à Theodora, coniuge Theophili Imper. illo iam mortuo, cum quidem γόητα, id eſt præſtigiarum artificem appellet. Incidi tamen fortè in narrationem neq; diſertam & mutilam, ubi perhibetur hic Iohannes ipſe ſe uulneraſſe, & queſtus eſſe eam uim iniuriamq; ſe eſſe perpeſſum ab inimicis, miſſis ad ſe de ſolio Patriarchæ deturbandũ. Sanè traditur hic Iohannes & excelſo animo fuiſſe, & ingenio magno. An fraudulentè Patriarchæ ſolium occupaſſe eum ſcribere uoluerit Nicephorus, neſcio. Fuit hic præceptor Theophili Imperatoris, & ſimiliter auerſatus uenerationem imaginum. Antequam Patriarcha fieret, narrat Zonaras, ab Imperatore Theophilo miſſum eſſe eum cum donis ad Ductorẽ illis temporibus Agarenorũ Amera Mumnem, & pecunia copioſe, & ſupellectile cæteriſq; rebus perquàm magnificè inſtructum. Inter alia erant duo uaſa artificioſe elaborata, aurea cum gemmis precioſis, quibus aqua lauandis manibus affunderetur. Quodam tẽpore ad Ductorem Agarenorum accerſitus Iohannes, alterum horum iuſſit afferri inter epulas: idq; ex compoſito cuſtoditum negligentius, furto ſubtractũ fuit. Cum requireretur, neq; appareret, quibuſdam moleſte eam rem ex Agarenis ferentibus: Parui refert, inquit ille, amiſſum hoc eſſe. Barbariſq; multo magis admirantibus, poſſe eum factum damnum tantum tam patienter atq; negligenter ferre, iubet ille ſtatim ſuos afferre uas alterum, ſimile amiſſo. Ad quod factum barbari obſtupeſcere: Amer Mumnes quoq; Iohanni cùm aliis rebus honorem habere, tum donare ei liberationem captiuorum Chriſtianorum centum. Qui tum non modò uinculis ſoluti, ſed ſplendidè

etiam ueſtiti fuiſſe perhibentur. Atq; hic poſt Antonium, cui Zonaras tribuit annos 13, Patriarcha factus, à quibuſdã per contumeliã Iannes appellatus eſt: & poſt mortem Theophili dignitate priuatus, & in quoddã monaſteriũ relegatus, cum odio Imaginum deprehenſus eſſet in conatu effodiendi oculos propoſitis ad uenerandum imaginibus, Theodora, quæ ſummæ rerum præerat, iuſſit oculos etiam ipſius erui. Sed placata deprecatione, ſupplicium ita mitigauit, ut loris cædi illum mandaret. Fuiſſe impactas ei plagas ducentas. Neq; profuit ipſi iuſiurandum Theodoræ, datum Theophilo: Non paſſuram ipſam conſtituta mutari, neq; Iohannem moueri loco: cum hoc fore uaticinata eſſet Pythonia muliercula. Huic ſucceſſit Methodius, quem Græci θεῖον καὶ ἱερώτατον uocantes, maximis laudibus extollunt. Qui mirifica conſtantia ab initio uſq; in finem reſtitit tollentib. Imagines, & uenerationem harum improbantibus. Itaq; nondum Patriarcha, ab Imperatore Michaelo Balbo exilio eſt mulctatus, iuſſusq; deportari in inſulã uicinã promontorio Achaiæ, cuius nomen Acritas, ipſam inſulam appellarunt Sancti Andreæ. Ab huius autem filio Theophilo, monumento ſepulcri traditur fuiſſe incluſus, cum duobus latronibus: ex quibus uno mortuo, quantam miſeriam pedoris & fœtoris illum perpeti oportuerit, facile cogitari poteſt. Poſt ſeptimum annum inde retractus, in ædibus Imperatorijs incluſus fuit, nemine eum aſpiciente præter Imperatorẽ, qui interdum de euentis futuris ſciſcitaretur, & eum à quo cibus afferebatur. Tandem productus, fœdus illuuie & ſqualore, cum & corpus tabeſceret, & defluxiſſent capilli, ita eſt in ſolium Patriarchæ collocatus: fuitq; præclara illa ſpecies eius, qui pro ueritate dogmatis tantas ærumnas uideretur pertuliſſe. Factio autem Iohannis conduxit muliercculam pecunia, quæ diceret eſſe uiolatam pudicitiam ſuam à Patriarcha. Sed cum compertum fuiſſet, partem illius uirilem flaccidã eſſe & eneruatam, fraus cognita aduerſarijs contumeliæ & probro fuit. Quomodo aũt pars uirilis Patriarchæ languere cœpiſſet, retulit Zonaras: de cuius narratione ſentiat quiſq; quod arriſerit. Patriarcha quidem tum calumniatoribus ſuis ueniã dediſſe ſcribitur. Sed cum cognitioni illi præcipui in gubernatione uiri præfuiſſent, falſi criminis delatoribus hæc pœna impoſita fuit, ut conuentu ſolenni populi, à templo Deiparæ uirginis in regione cui nomen Blachernæ, procederent ſupplicantes cum facibus. Qui ritus deinde quoq; ſeruatus fuit, in puniendis ijs qui à ueritate dogmatum receſſiſſent: Græci ἀλλοδόξους & ἑτεροδόξους nominant. Inuenio hoc tẽpore ſectam extitiſſe ζηλίκων, nominatam ab autore Zelice, qui ſcriba primarius Imperij, cum ſua factione die ſolenni proceſſerit ornatu illuſtri, unctus oleo perfectionis, μετὰ τῶν ὁμοφρόνων, inquit narrator neſcio quis (nomen enim detritum legi non potuit) ἐμφωτίοις ἐσθῆσιν ἠμφίασο, χρισθεὶς τῷ μύρῳ τῆς τελειότητος. Neq; amplius quicquam uel de re, uel hominibus. Tanta ſocordia eorum fuit, qui hiſtorias tum ſcripſere. Ignatius filius fuit Michaeli Imperatoris cognomento Rangabe: quem Leo, qui Imperio Michaelum deiecit, curauit caſtrandum. Mater eius Procopia, filia fuit Nicephori, interfecti in prælio Bulgarico. Hic è monaſterio à Theodora accerſitus eſt, & factus Patriarcha. Offenderat Bardam, de quo alibi dictum eſt, in aula Michaeli potentiſſimum Ignatius, non admittendo eum ad communionem & cœtus Eccle-

ſiaſticos,

ſiaſticos,propter manifeſta facinora,de quibus ſatisfieri Eccleſia poſtulabat,& contumaciam illius libere reprehendebat. inter quæ erat repudium uxoris,& conſuetudo cum nuru. Hanc ob rem iratus Bardas,Patriarchæ dignitatem eripit Ignatio,& afflictum grauiter monumento ſepulcri illum includit. Itemq; alios multis malis afficit,qui aſſenſi fuerant Patriarchæ in ſe excludendo. Aderant forte tum uicarij Pontificis Rom.miſſi de negotio Imaginum. eos Bardas in ſuam ſententiam perducit. Itaq; ab exilio reductum Ignatium,ſiſtunt in templo Sanctorum Apoſtolorum, & Patriarchæ dignitatem illi abrogant. In quo conuentu cum & alij, & multi adeſſent è Senatu, & decretum de Ignatio ſignando confirmaſſent: unus, Conſtantinus nomine,gente Armenius,uirtute belli clarus, non eſt aſſenſus: quòd diceret,Sibi,qui unus è populo eſſet, non licere de talibus rebus ſententiam ferre.Sed Ignatius crudeliter anguſtia cuſtodiæ, & horrore frigoris, morbo etiam contracto neruorum,& inedia aliquantiſper cruciatus, Patriarchæ tum principatu amiſſo, poſtea recuperauit ſolium ſuum. In illa autem pernicioſa atq; exitiali cuſtodiæ difficultate,Conſtantinus,cuius paulo antè mentio eſt facta,ſeruare Ignatium iuſſus, clàm omnibus interdum cibi, interdum potus aliquid attulit Ignatio: laxando etiam cuſtodiam,quomodo potuit alleuauit miſeriarum ipſius onus. Surrogatus fuit Ignatio Photius,& genere illuſtris,& ingenij eruditionis laude excellens. Atque perueniunt nunc tempora ad eos, qui non recenſentur à Nicephoro, quorum nomina adiungere eſt uiſum: uſq; ad ereptum Imperium Græcis Imperatoribus, à Gallis & Venetis. Photius ſuffectus, quemadmodum eſt dictum, Ignatio, feſto quodam die Baſilium Imperatorem,qui templum ingreſſus,communionis Chriſtianæ ritum colere uellet,aditu prohibuit,cum parricidam appellaret.credebatur enim eſſe Michaeli Imperatoris interfector Baſilius. At hic quærens occaſionem remouendi Photium, ut captiuæ puellæ apud Homerũ, prætendentes mortem Patrocli, ſuas ærumnas deflent: ſic ille proprias offenſas uindicaturus,prætexuit Ignatij deiectionem,& Photij illegitimam in ſolium Patriarchæ impoſitionem.Tum coacta ſynodus fuit Oecumenica Conſtantinopoli,quæ numeratur octaua: & reſtitutus in locum priſtinæ dignitatis Ignatius,cum Pontifex eſſet Romæ Adrianus ſecundus, cuius Legati & uicarij illuc ſunt miſſi. Eſtq; iudicatum, Photium nefaria occupatione ſolium Patriarchæ tenuiſſe,& reſtituendum eſſe Ignatium. Tum & execratione damnatus Photius: & ſic ſtatutum eſt (ut ijs uerbis hæc, quibus exponuntur, referam) conſecrationes & promotiones Epiſcoporum cõcordans prioribus concilijs,clericorum electione ac decreto & Epiſcoporum collegio fieri,hæc ſancta & uniuerſalis ſynodus definiuit & ſtatuit,atq; iure promulgauit:Neminem Laicorum principum uel potentũ ſemet inſerere electioni uel promotioni Patriarchæ,uel Metropolitani,aut cuiuſlibet Epiſcopi. Sed mortuo Ignatio, cum præſediſſet annis uniuerſis x I. ab Imperatore Baſilio Photius reducitur, & iterum in ſolio Patriarchæ collocatur,à quo diadema Imperatori Baſilio fuerat impoſitum. Erant Baſilio filij nati quatuor,Conſtãtinus,Leon,Stephanus, Alexander.Ex quib.Conſtantinum præ cæteris diligebat,eiq; deſtinauerat ſucceſſionem. Hic morbo interijt. Imperator mortui ingente deſiderio tenebatur,neq; admittebat conſolationẽ in luctu,

ſed filij

ſed filij conſpectum perpetuò requirebat. Ibi monachus Theodorus cognomento Santabarenus, antiſtes urbis Euchaitorum, qui eſſet in opinione tantæ ſanctimoniæ ut mirabilia facta deſignare exiſtimaretur, ſpeciem in equo ſedentis filij exhibuit Imperatori. Ipſe autem cum tanquam uiuum complexurus eſſet, ſubitò umbra oſtenſa euanuit. Ex eo tempore Baſilius ab illo monacho totus pendebat. Sed alter filius Leon, iam declaratus ſucceſſor patris, monachum oderat, ut à quo pater infatuaretur & deciperetur. Hoc monachus tam iniquè tulit, ut iuuenem eruditum atq; doctum, iam renunciatum Imperatorem, quiq; haberet coniugem, tolli è medio ſtuderet. Itaq; ſceleratam meditatur fraudem, talem. Diſsimulat ad Leontem omnem offenſionem animi ſui, &: Te, inquit, iuuenem comitantem patrem ad uenationes (his autem Baſilius mirificè delectabatur, quæ & mortis cauſſa illi fuerunt) non oportebat ſine pugione exire, ut cùm te, tum patrem, ſi opus eſſet, melius poſſes defendere. Nihil ſuſpicatus mali Leon, poſtea occultum pugionem geſtare cœpit. Ibi monachus Imperatori dicit, inſidiari ipſi filium: & ſignum memorat occultati pugionis. Mouetur Imperator quaſi uero indicio: & inuento pugione intra filij ocreas abdito, deprehenſam ueritatem putat: & filium corripi, inq; uno conclaui in Regia cuſtodiri iubet: neq; multum abfuit, quin per iracundiam impulſus dolore oculis eum priuaret. Sed poſtea non modò liberatus Leon, uerùm priſtino etiam loco recuperata, poſt patris mortem Imperij gubernationē omnem adeptus, iniuriam iſtam tantam putauit inultam eſſe non oportere. Metuebat autem impedimentum à Patriarcha, quem monacho illo familiariter uti non ignorabat. Ante omnia igitur remouendum eſſe patriarcham duxit. Et facile confictis cauſsis perfecit, ut ille expelleretur. Tum ſuffectus in locum ipſius fuit Stephanus, frater Imperatoris. Monachum autem grauiter afflictum, oculis quoq; effoſsis, & uexatum exilio, poſt annos aliquot reuocatum Imperator tractauit clementer. Hac itaq; occaſione factus patriarcha Stephanus Leontis frater, cum migraſſet ex hac uita, habuit ſucceſſorē Antonium cognomento Caulean. Cui ſucceſsit Nicolaus; quem neſcio qua de cauſſa Myſticum uocarunt. Hic Leontem Imperatorem, quòd ſpe prolis maſculæ quartam coniugem duxiſſet, communione Chriſtiana excluſit. Cum autem Imperator urgeret receptionem, neq; à Patriarcha tamen hanc impetrare poſſet, dignitate eſt Patriarcha deiectus; & abductus in monaſterium ab ipſo extructum Galacrenis, cum præſediſſet annis x i. Huic ſuffectus eſt Syncellus Euthymius, uir ſanctus: qui non eſt paſſus legem perſcribi, qua Imperator ſtatuerat facere unicuilibet poteſtatem coniugium iterandi tertiò & quartò. Conſtat autem, primis ſtatim temporibus in Chriſtianis conuentibus, ſecundas nuptias petentibus honores Eccleſiaſticos impedimento fuiſſe: in alijs admiſſas quidem illas, ſed cum confeſsione delicti, & reconciliatione cum Eccleſia. Euthymium Alexander Imperator cum contumelia ſpoliatum principatu Eccleſiaſtico relegauit, & reduxit Nicolaum. Quem & cum alijs quibuſdam præcipuis uiris teſtamento fratris filio Conſtantino tutorem reliquit, & Imperij adminiſtratorem: id eſt, διοικητὴν. Sed antequam apertis tabulis teſtamenti reſciuiſſet patriarcha ſe tutorem ſcriptum, inuitauit ad inuadendum Imperiū Magiſtrum militarem, quem uocarunt Domeſticū ſcholarum,

Conſtanti-

Conſtantinum Andronici Ducæ filium. Qui amiſſo in pugna filio Gregora, equo collapſo afflictus terræ, eſt interfectus: & caput eius amputatum, ad Conſtantinum quidam per eam portam intulit, de qua Leon uaticinatus fuerat, cum Conſtantino Ducæ, ſi imperium affectaſſet, hunc finem uitæ prædiceret, ut narrauit Zonaras. Patriarcha deinde cum cæteris tutoribus, magna ſæuitia in uindicandis ſocijs ſeditionũ uſus eſt. Hic ſyncellum legit ſibi Theophylactum, filium Romani: quem adhuc puerum in ordinem clericorum referendum pater curauit, ſpe imponendi illũ in ſolium patriarchæ: quemadmodum euenit. Sed tum, patriarcha Nicolao poſt annos recepti muneris 13. mortuo, factus eſt patriarcha Stephanus, epiſcopus Amaſiæ. Quo & ipſo poſt triennium mortuo, ſuffectus eſt illi monachus quidam nomine Tryphon, pacto cõuento, ut poſt certum tempus cederet loco, & traderet dignitatem patriarchæ Theophylacto, Romani filio. Elapſo tẽpore, de quo cõuenerat, cum pacto patriarcha nõ ſtaret, neq; ſe illo munere abdicaret, idq́; Romanus Imp. grauiter & indignanter ferret, gratificaturus huic epiſcopus Cæſariæ, ita ſimplicẽ Patriarcham circumuenit. accedit Patriarcham tanquam amicus, &: Imperator omnes uias, inquit, ueſtigat, ad te deijciendum Patriarchæ dignitate. Cumq́; crimina nulla reperiantur, deuentum ad hoc eſt, ut obijciatur tibi inſcitia literarum. Id commentum facile dilues, ſi in conſpectu multorum, in carta pura, ſaltem nomen tuum perſcripſeris. Placet conſilium Patriarchæ, & adhibet ſuos Cæſarienſis: affertur carta pura, in ea iſta perſcribuntur, τρύφων ἐλέῳ θεοῦ ἀρχιεπίσκοπος κωνσταντινουπόλεως νέας ῥώμης καὶ οἰκουμενικὸς πατριάρχης. Hanc exhibet Cæſarienſis Imperatori, & pertexit dolũ. Aſcribitur enim ad manũ Patriarchæ, recuſatio muneris. Et mox ille tanquã recuſato munere remouetur, & introducitur filius Imperatoris Theophylactus. Hic admodũ adoleſcens, ad hoc faſtigium honorũ euectus, præſedit annis 23. Multaq́; contra ſacerdotũ conſuetudinẽ & officiũ deſignauit, equos & canes alens incredibili ſtudio, & uenationibus operam dans aſſiduo, & rebus cæteris quæ illas cupiditates ſequuntur indulgens. Cum autem equis in primis delectaretur, magnam copiam equarum ad ſobolem procreandam nutriebat. Accidit quodam tempore, ut die & conuentu ſolenni inter operationes ſacrorum, nuncium Patriarcha acciperet de partu unius, quam plurimi ex omnibus faciebat. At ille lætitia exultans, intermiſſis ſacris, ad ſtabulum decurrit: & equuleo conſpecto, ita ad templum, ut ſacra perageret, redijt. Annum autem agens quadrageſimum, cum quodam tempore concitatiore curſu equum, in quo conſederat, agitaret, impegit in parietem: & impetu alliſus, perculſusq́; ſanguinem reiecit: & ex eo tempore aduerſa ualetudine conflictatus, poſt annos duos moritur hydrope, quam Latini aquam intercutem uocant. Poſt hunc Patriarcha creatur monachus quidam eunuchus, Polyeuctus nomine: cui ritu ſolenni manus impoſuit epiſcopus Cæſariæ, cum hæc eſſet prærogatiua epiſcopi Heracliæ. quæ tunc, quod Imperator illi epiſcopo ſuccenſeret, nihil ualuit. Maleuoli tamen iſto nomine Patriarcham nouum inſectati fuere. Patriarcha uerò principatu potitus, adijt Imperatorem Conſtantinum Leontis filium: & Romani Imperatoris iam mortui cognationem accuſans, petijt ut illorum auaricia & infinitæ cupiditates cohercerentur. Hæc oratio neq; Imperatori

grata,

*grata,& Auguſta, quæ eſſet filia Romani,odioſa fuit. Irritatur igitur indignatio
Imperatoris aduerſus Patriarcham,& quæritur occaſio illum remouendi. Erat
cœtus ijs temporibus in monte Olympo monachorum religionis cultu celebris. Eò ſe
Imperator proficiſci ſimulans, ut precibus ipſorū quaſi armaretur ad bellum aduer
ſus Agarenos,in animo habebat conuenire Theodorum Cyzicenum,& cum eo de-
liberare de Polyeucto expellendo.Sed eo itinere morbo affligi ſe ſentiens, in Regiam
properauit reuerti: ubi paulo pòſt unà cum uita,perpetuam cogitationem Patriar-
cham exterminandi,tandem finiuit. Hic Patriarcha & Nicephorum Phocam
ornauit ritu ſolenni diademate Imperiali. Cum autem nuptias ille iunxiſſet ducta
coniuge à Romano Imperatore relicta uidua, cui nomen Theophano: & ceremo-
nias conſecrandi coniugij peracturus Patriarcha appropinquantem iam cancellis
cingentibus altare Imperatorem, negaret ſe admiſſurum eſſe, niſi de ſecundis nu-
ptijs Eccleſiaſticis conſtitutionibus prius ſatisfieret: tulit eam repulſam Imperator
perquàm moleſte. At Patriarcha poſtea, de quibuſdam rumoribus poſtulauit il-
lud coniugium diſſolui. ferebatur enim, Nicephorum teſtem ſponſoremq; (Græci
ἀναδόχον appellant)aſtitiſſe,cum baptiſaretur Theophano.Non tamen Impera-
tor ideo coniuge abſtinebat, adhuc flagrans amore ipſius.Rem aūt ad cæteros ſacer-
dotes & ad ſenatores doctrina præſtantes cum detuliſſet, cenſebant illi neminē ea le-
ge teneri, quæ eſſet lata à Conſtantino Copronymo: ſcriptoq; communi coniugium
permittébant.Nihilo tamen minus Patriarcha in ſententia permanſit: donec pa-
ter Imperatoris Bardas iuratus affirmauit, Non eſſe illius ἀναδόχον filium: &
Stylianus, qui autor rumorum iſtorum perhibebatur,in Synodo coacta iurauit,ne-
que ſe uidiſſe,neq; retuliſſe cuiquam factum illud.Atq; ita demum ad communio-
nem ſacrorum Imperator admiſſus eſt. Accidit ijs temporibus, ut contentio ori-
retur de ſuffragijs, inter Patriarcham & ordinem ſacerdotum. Quòd hi iudicium
& electionem qui digni eſſent honoribus Eccleſiaſticis, ſuam eſſe uellent: Patriar-
cha autem communicari ſecum omnia poſtularet, quia ſolerent ſententiæ dici pro
eo ut quiſq; erga aliquem affectus eſſet. Hanc occaſionem arripuit Imperator,& u-
niuerſam ad dignitatem Epiſcopi promouendi & producendi aliquos poteſtatem
(Græcis προχείρισις eſt)in ſe tranſtulit. Edixitq;,Ne cui eccleſiæ ullius cura man
daretur,niſi Imperatoris prius uoluntate & ſententia explorata. Quinetiam mor
tuo Epiſcopo,unum ex ſuis miniſtris ad eccleſiam antiſtite orbatam ablegabat: à
quo cum parcè neceſſarij ſumptus fierent, reliqua ipſe ſibi uendicabat.Sed edicto illi
multi refragati, tum quidem in exilium acti, paulo uerò pòſt interfecto Nicephoro
reuocati ſunt. Cum autem fama eſſet, Nicephorum à Iohanne Zimiſce cæſum
eſſe: ingreſſuro huic iam Imperatori declarato templum ad ſolennem ritum, ut co-
rona Imperij ipſi imponeretur, reſtitit Patriarcha, neq; paſſus eſt eum tanquam
cæde pollutum intrare. Quam increpationem tulit Zimiſces æquiſſimo animo. Et
ita ſe defendit, ut ſuis manibus interemptum non eſſe Nicephorum affirmaret, ſed
Theophano ad illam cædem impuliſſe alios quoſdam.Tum Patriarcha poſtulauit,
ut Theophano regia eijceretur, & ij relegarentur qui cædem feciſſent. ipſe autem
Imperator edictū, cuius mentio ſuprà facta eſt, diſcerperet, & Eccleſiæ cenſuram*

ſubiret. Quæ omnia ſine recuſatione promiſit Imperator. Et ſtatim Theophano regia eductam relegauit in Proconeſum, & ſcriptum edicti allatum conſcidit: & quicquid facultatum poſſediſſet adhuc priuatus, id totum in pauperes policitus eſt ſe diuiſurum. His peractis, die natali IESV CHRISTI à Patriarcha ingredi templum permittitur Imperatori: & idem ceremonijs ſolennib. ornatur diademate. Vixit poſt hanc actionẽ patriarcha Polyeuctus menſem I. D. V. Et in eius locum ſuffectus eſt patriarcha Baſilius Scamandrenus monachus. Hic functus eo munere annis quatuor, cum neſcio quæ crimina illi intenderentur, coacta Synodo dignitate patriarchæ eſt priuatus: ſurrogatusq́ ei Antonius cognomẽto Studites. Qui cum poſt annos ſex abdicaſſet ſe eo munere, & paulo pòſt deceſſiſſet, ſine præſide Eccleſia illa fuit annis IIII. S. Tum factus eſt patriarcha Nicolaus Chryſoberges, qui præclarè eo honore geſto annis 12. menſib. 8. ſucceſſorem habuit Siſinnium, uirum eruditum & doctum. Quo mortuo poſt annos 3, in ſolio patriarchæ collocatus eſt Sergius, monaſterij Manueli primas, & Photij Cardinalis cognatus. Hic Baſilium Romani F. Imperatorem exorauit, ut promitteret, ſi uictoria eſſet potitus (habebat autem in manibus bellum Bulgaricum) ſe liberaturum populum iniquitate tributi quod ἀλληλέγγυον appellatum impoſuerat ſubditis Nicephorus, qui Conſtantino Irenes F. ſucceſſit. Cogebantur enim edicto illius locupletiores, præter ea quæ ab ipſis exigebantur, pendere id quoq; quod ab alijs deberetur, ſi hi non haberent unde perſoluerent. unde & nomen factum tributo. Sed Imperator Baſilius uictor, cum ſuperbè triumphans ingrederetur urbem Principem (nam præter aliam inſolentiam, cum tiara erecta implicato diademate ad ædem Sophiæ inceſſit. Hoc genus ornatus Zonaras Tuphan uulgo appellari ait: reuera quidem τύφον, quòd ab inflatis & turgentibus atq; ueſanis geſtetur) Imperator igitur tum à Patriarcha admonitus promiſſi, fidem nõ præſtitit, neq; onere illo liberauit ſubiectos Imperio ſuo. quod ſuſtulit poſtea Romanus Imperator cognomento Argyropolus. Sergius autem patriarcha, cum 20 annis præſediſſet, mortuus habuit ſucceſſorem Euſtathium, primum inter ſacerdotes templi Palatini. Hoc poſt annos 8. mortuo, ægrotanti Imperatori attulit monaſterij Studij primas nomine Alexius, caput Iohannis Baptiſtæ: quem Imperator patriarchã fieri petijt, mortemq́ ad ueſperã obijt. Non impediuit ille uel ſucceſſionem, uel coniugiũ Michaeli Paphlagonis: quãuis coniuge Romani, uiuente adhuc eo, conſueuiſſe diceretur, & conſcius mortis illius putaretur: Conſtantini autem Monomachi & Zoes, quòd & hanc tertiã duceret, & ipſa tertiò nuberet, nuptias iungere recuſauit. Solennem tamen diadematis impoſitionem poſtridie nuptiarum peregit. Perceptis fructibus muneris huius annis 18, Alexius moritur: relicta ingente pecunia, quam cõgeſſerat. eam Imperator Monomachus abſtulit, ad ducenta quinquaginta milia coronatorũ: ſi rectè æſtimo centenaria. Viuente adhuc Michaelo Paphlagone, cum frater huius Iohannes Patriarchici ſolij incredibili deſiderio teneretur, ſtudia quorundam antiſtitum ſibi conciliauit: qui ſe depoſituros eſſe Patriarcham promiſerunt, tanquam mandato Imperatoris, non communibus ſuffragijs præfectum. Tum Patriarcha: Si non uera uia ad hanc dignitatem, inquit, ego perueni, omnes ergo à me conſecrati, remouendi ſunt. Quo dicto illi territi, ab

incepto

incepto deſtiterunt. Mortuo Patriarcha huic ſufficitur Michael. Cerularius: qui Iſaacio Comneno fauit contra Michaelum Stratioticũ. Extorſerat Michael. iuſiurandũ perſcriptum à ſenatu & magiſtratibus, Non appellaturos ipſos Iſaacium Imperatorẽ, neq; Imperij honores ei decreturos. Motu igitur excitato, de induſtria, poſtulatur à Patriarcha ut prodeat. Ille, quaſi ignaro ſe & inuito omnia gererẽtur, undiq; foribus clauſsis in ſuis ædibus manet: miſsis ad tumultuantes fratrũ filijs, qui percontarentur qui ſibi uellent. Hi uerò comprehendunt illos: & niſi patriarcha prodeat, minantur ſe eos male tractaturos eſſe. Deſcendit igitur Patriarcha tanquam coactus, & ornatu ſacrò procedit, atq; obiurgat tumultuantes. At ſeditionis autores Patriarcham undiq; circumſtantes, iubent eum apud Imperatorem perficere, ut reſtituatur extortum iuſiurandum. Hoc promittit ſe ille facturum: ſed ſpecies ea erat & ſimulatio. Modico enim tempore præterito, declarant Imperatorem Iſaacium Comnenum, approbante & adiuuante Patriarcha: & ſignificante Comneno, ne moraretur, neu occaſionẽ amitteret, & petente eius beneficij gratiã. Stratioticum aũt, miſsis præcipuis ſacerdotibus, iubet Imperio ſe abdicare. Accepto nuncio Imperator: Quid uerò, inquit, pro Imperio mihi redditur? Regnũ, inquiunt ſacerdotes illi, cœleſte. Quo dicto Imperialib. inſignibus abiectis, Imperio ille ceſsit. Comnenus autem Imp. Patriarchæ cum reuerentia omni honorem habuit, & fratris ipſius filios ad præcipuas dignitates euexit. Et gratificans Patriarchæ, curã & adminiſtrationẽ eccleſiaſticarũ rerum ac negotiorum, id eſt ὀικονομίαν, contulit Eccleſiæ: cum ad id uſq; tempus, Imperatoris ſuffragio Magnus œconomus creatus eſſet. Quinetiam munus cuſtodiendi uaſa, quod gerens σκευοφύλαξ dicebatur, eidem Eccleſiæ attribuit: & utraq; curatione ſpoliauit potentiam Imperatoriam. Erat gubernatio Comneni ſuperba, Patriarchæ autem inſolentia Imperatorem quoque corripere non dubitabat: uolebatq; eum habere dictis ſuis obedientem. Quod ſi qua in re Imperator aduerſaretur ſibi, indignari ipſe, & oratione uehemente uti, & minari Imperium quod conciliaſſet rurſum illi ſe eſſe ademturum. Non potuit fieri quin eam rem perquàm moleſtè Imperator ferret. Itaq; prius facere aliquid quàm pati maluit. Cumq; monaſterium peculiare haberet Patriarcha, Sanctis Angelis dedicatum, & die feſto, ut maior eſſet celebritas, illuc ueniſſet, miſſa manu militari Imperator Patriarcham unà cum propinquis in exilium abducendum curauit. nam corripi in Sophiæ templo noluerat, ne tumultus excitaretur. Poſtea cura fuit Imperatori, ut dignitas muneris Patriarchæ ei abrogaretur. Ea in re uſus eſt ope & conſilio cùm aliorum Epiſcoporum, tum Pſelli, qui illis temporibus doctrinæ & ſapientiæ laude excelluit: à quo & oratio fuit compoſita, complectens multa & abhorrentia crimina quæ Patriarchæ inferebantur. Significarat ei Imperator, ſuadere ſe, ut ultro munere Patriarchæ ipſe ſe abdicet: ita enim recuſare onus eum uiſum iri, cum futurum ſit ut uel inuito dignitas illa eripiatur, ſi proferantur crimina. Sed Patriarcha non aſſentiente, cum omnino meditaretur Imperator deiectionem, commodùm nunciatur Patriarcham eſſe mortuum: & ſolicitudine ille liberatur. Verùm mutato tum animo, & luxit mortuum cum lamentis: & cadauer honorificè reducendum, & in peculiari monaſterio ipſius ſepeliendum curauit, &

propinquis dignitatem locumq; priſtinum reſtituit. Factus autem eſt poſt illum Patriarcha, Conſtantinus cognomento Lichudes: qui munere eius tum fungeretur, quem uocarunt Protoueſtiarium: uir longo tpore in reipubl. adminiſtratione præclarè uerſatus, ſine omni reprehenſione & culpa. Curauerat Imp. Monomachus extruendum monaſterium in ea parte Regiæ, cui nomen Mangana: eius curam reſpectumq; commendarat Conſtantino, & literas immunitatis illi commiſerat. Qui cum eſſet præfectus omni gubernationi Imperatoriæ, & in ijs quæ non utiliter ſuſcipi uideret, Monomacho aduerſaretur, munere illo fuerat priuatus: quòd refragantem ſuo arbitrio Imperator ferre non poſſet. Sed retinenti penes ſe literas quas diximus Conſtantino iam ſacris initiato, cum eas in ſua poteſtate habere Comnenus cuperet, fraude aggreditur uirum: atq; ei clàm ſignificat, memorari quædam de ipſo, quæ obſtent functioni muneris illius: & niſi diſceptentur diluanturq; in Synodo, non poſſe ei contingere unctionem ſacram. Si tamen, inquit, tradideris mihi iura Manganorum, conniuebo ad omnia, & patiar te ungi. Lichudes, qui intelligeret ſibi ad priorem ſtatum reditum non patêre: & non aſſequi dignitatem ad quam eſſet productus, ignominia non carere: tradit omnia Imperatori, & ita peragitur conſecratio illius. Cum aũt præſediſſet annis 4. M.6. migrauit ex hac uita: & producitur ad illũ honorẽ Iohannes cognomẽto Xiphilinus. Patria fuit hic Trapezuntius, opt. literis atq; artib. inſtructiſſimus, relatus in numerũ ſummorum ſenatorũ. At ipſe relictis ſua ſpõte omnibus, ad monaſteria montis Olympi conceſſit: capilloq; detonſo, ornatũ induit monachicũ. Ubi longo tẽpore uitam egit: & tandẽ dignus eſt iudicatus, qui in ſolio Patriarchæ præſideret. Huius Xiphilini nuper edita ſunt ſcripta, quibus exponuntur hiſtoriæ Dionis Pruſaenſis, elegante cõpendio & oratione diſerta. Cum aũt Imperator Conſtãtinus Ducas decedens, liberis Eudociæ Auguſtæ gubernationem relinqui ſtuderet, iureiurando illã obligauit, non nupturam eſſe iterũ. Sed & Senatus iureiurando recepit, ſe præter filios ipſius Imperatorẽ nullũ uelle agnoſcere. Promiſſionis iuratæ ſcripta apud Patriarchã fuere depoſita. Cum aũt poſtea cuperet nubere Eudocia Rom. Diogeni, obſtabat iuriſiurandi ſcriptum, quod penes Patriarcham eſſet. Capit igitur mulier conſilium malum atq; callidum. Ac cõmunicata re cum eunucho, cuius arcana opera uti ſolebat, mittit eum ad Patriarcham, qui ei indicet, amari ab Auguſta fratris filium ipſius Bardam, Iuuenis is erat integris uiribus, & rei Veneriæ deditus. Neq; quicquam obſtat, inquit, quo minus ei nubat, niſi iuriſiurandi religio, & uerecundia tui, metusq; ne factum hoc non ſit impune. Patriarcha doli ignarus, nihil eſſe periculi ait: & reddit ſcriptum obligationis. Ita Eudocia deinde ſimiliter & Senatu circumuento, nubit Diogeni. Hic Patriarcha annis x I. & M.7 præſedit. Cui mortuo ſurrogatur Coſmas monachus, non ille quidem eruditus doctrina literarum, ſed ſanctitate uitæ excellens, & carus atque uenerabilis Imperatori Botaniatæ. Quo depulſo ab Alexio Comneno, cum Patriarchæ pleraq; fieri geriq; uiderẽtur perperam, diſpliceretq; gubernationis præſens ſtatus, neq; correctionis ſpes oſtẽderetur, miniſtrum ſuum compellans: Sume, inquit, Pſalterij librum, & me ſequere. Atq; ita reliquit ſolium Eccleſiæ, poſt annos 5. M.9. muneris Paſtoralis. Suffectus tum quidem ei eſt

Euſtrati-

Euſtratius monachus eunuchus, in nullarum rerum memorabilium uſu uerſatus, homo ſimplex, qui in ocio & angulo deſidêre deberet. Hic poſt annos tres remotus eſt: neq; cauſſa, cur ſit, planè exponitur. Surrogatur autem illi alter quidam monachus Nicolaus Grammaticus, qui uitam ſuam exercitationibus religioſis traduxerat: non ille quidem eruditione doctrinæ præſtans, ſed is tamen qui liberalia ſtudia ſecutus eſſet & attigiſſet. Præſedit an. 27. mortẽq; obijt extrema in ſenectute. Eſtq; magnifico funere, Imperatoris mandato, elatus: eiq; ſuffectus unus ex clericis Eccleſiæ illius, cuius nomen uel non memorauit Zonara, uel ſcribæ uitio omiſſum eſt in Alexio. Dicit autem fuiſſe eum gradu quidem Diaconum, & in eorum numero quorum opera in gerendo munere ſuo Patriarchæ uterentur: fratris autem filium antiſtitis illo tempore Chalcedonij, doctrina exculttum noſtrate & externa: quem ipſe Imperator, qui tum Conſtantinopoli eſſet, produxerit ad hoc honorum faſtigium: quiq; idem, moriente adhuc Alexio, filium eius Iohannem Imperatorem renunciari in templo à clericis facile paſſus ſit, uel etiam iuſſerit, cum miſsis quibuſdam ut hoc fieret ille petijſſet, & patrem eſſe mortuum affirmaſſet. Succeſsit huic Leo cognomento Styppiotes. Quo mortuo, Imperator Manuel nondum ſolennibus ceremonijs coronatus & unctus, communicata re cum ſuis, cumq; Senatu & magiſtratibus, delegit ſucceſſorem monachum Michaelũ, uirtute & doctrina celebrem: qui, in monaſterio inſulæ Oxiæ, unde & Oxitæ cognomen factum, degens inde acceſitus, & Patriarcha unctus, mox Imperatorem unxit. Hic ſua ſponte munus dignitatemq; Patriarchæ reliquit, concedens abeundo ſolium illud uolenti occupare. Reuerſusq; in inſulam Oxiam, & monaſterium ſuum, ubi à prima ætate conſultò uitam egerat omnis cultus ac copiæ expertem, atq; in templi ueſtibulo ſe abijciens, porrectam ceruicem præbuit calcandam introeuntibus monachis cunctis: quòd diceret ſe cum ſuo detrimento atq; incommodo deſeruiſſe cariſsimos æquales, & reieciſſe gratiſsimi ocij quietem, ac ſine omni fructu aſcendiſſe excelſum ſolium. Succeſsit illi Coſmas patria Aegineta, ordine Diaconus, ſapiẽtia & doctrina omni inſtructus, cum uirtutum aliarum ornamenta haberet magis inſignia: in primis autem tanquam in pulcerr. torque gemmæ ſplendor, illuſtris inter multiplicem & uariam honeſtatẽ ipſius eminebat benignitatis & clementiæ atq; miſericordiæ laus, quæ uno uerbo à Græcis ἐλεημοσύνη nominatur. Tanta autem erat affectio humanitatis in eo, ut aliquando pallium tunicamq; & lineum capitis integumentum pauperibus diſtribuerit: ſuosq; habuerit ſolicitos tam inquirendo quod à ſe ſumeretur, quàm opulentis obſtrependo ut aliquid impenderent. Et ideo uenerationi erat omnibus. Frater uerò Imperatoris Iſaacius, tantum non ut Deum colere patriarcham, ſtatuens Deo gratum eſſe, & planè agendum quicquid ille cenſeret: & contraria ijs, Deo inuiſa atq; neſaria. Sæpe igitur eum ſolebat conuenire. Unde qui oderant Patriarcham, & uirtuti præſtantiæq; ipſius inuidebant, occaſionẽ obtrectandi inuenerunt, & illum apud Imperatorem detulerunt, quaſi occultis congreſsibus à Patriarcha & Iſaacio inſidiæ ei ſtruerentur: cum tamen accederet palàm, & in conſpectu omnium uerſaretur Iſaacius apud Patriarcham. Manuel, qui iuuenis eſſet ferox & inſolens, quòd haberet antè quoq; ſuſpectum Iſaacium de cupidita-

*te Imperij, inire cœpit conſilium deturbandi Patriarcham de ſolio eccleſiaſtico. Per-
fecitq; ut ille damnaretur tanquam ſocius impiæ ſectæ monachi cuiuſdam, cui no-
men Nephon: quòd hic familiaris patriachæ, & menſæ ipſius interdum adhibitus,
& tecto receptus eſſet. Eum prior patriarcha Michael, prolixa barba per ignomi-
niam detonſa, in uincula coniecerat, tanquam falſa dogmata aſſerentem. Male-
uoli igitur accuſare Patriarcham, quòd idem ſentiret quod monachus: & condem
nare, exiliumq́ decernere innocenti. Quid autem erroris aut impietatis crimen con
tinuerit, non explanatur in narrationibus editis Nicetæ: cum alia multa nugato-
ria congerantur. Tum Patriarcha iniuriæ indignitate prouocatus, & commotus
ira, concilium illud circumſpiciens, precatur, execrando Auguſtam, ne uirilis illa
ſexus ſobolem procreet: tum nominatim Imperatori quoſdam familiares, à commu
nione Chriſtiana alienos pronunciat: & Synodum illam aduerſus ſe coactam uni-
uerſam, ut terentem fores Palatij, & Principum uoluntati inſeruientem, & deij-
cientem ſe ſolio, atq; munere paſtoris ſpoliantem per uim & iniuriam, nullo legitimo
iudicio facto, neq; Canonum ſeruatis præſcriptis. Aſtabat tum Imperatori cum cæ-
teris unus ex ductoribus copiarum præcipuus, Contoſtephanus nomine. Is ſiue aſ-
ſentans Imperatori, ſeu reuera execratione Auguſtæ irritatus, cùm maledictis in-
ceſſit patriarcham, tum manu elata pugnum impacturus, repreſſit tamē impetum
commoti animi, & ſæuitia uerborum rem peragit. Hoc & Imperator ipſe, & cæte
ri qui in conſilio aderant, grauiter ſe ferre, increpando Contoſtephanū declararunt.
Patriarcha uerò placida oratione, miſſum fieri illum iuſſit, qui haud ita multo pòſt
ſuam nacturus eſſet Petraam. Quibus uerbis mortem hominis obſcura ſignificatio-
ne prædixit. Corcyræ enim munitionem oppugnante Imperatore, ductor ille ictus
ſaxo tormenti interijt. Auguſta autem (prior hæc fuit Imperatoris coniux, gente
Alemanica) prolem uirilis ſexus non peperit: neq; Imperator aliam cauſſam eſſe
credidit, quàm iniuriam illam factam uiro innocenti & pio. Quid de eo poſtea
factum ſit, non reperi. Quoniam autem & capillorum & barbæ per ignominiam
re ſectæ, ſemel atq; iterum mentio facta eſt, placuit indicare, hoc ſupplicio apud Græ
cos illorum temporum, non uulgaria delicta fuiſſe uindicata. De quo tale etiam
quiddam accepimus. Unus ex principibus Allobrogum, qui ſunt Sabaudienſes,
aliquando Conſtantinopolim cum honeſto comitatu traditur ueniſſe. Ubi cum ali-
quantiſper commoraretur, quidam ex nobilitate Equeſtri in familia ipſius, hoſpitis
Græci filiam compreſſit. Eam rem cognitam pater cum grauiſſ. querelis ad Princi-
pem detulit, ad ſuppliciū depoſcens eum qui uim & iniuriā feciſſet. Princeps, qui
accuſatū diligeret, & eripere eum capitali, ut arbitrabatur, pœna cuperet, quæſiuit
ex accuſatore, quid mulctæ nomine ſibi dari uellet, & miſſum facere ſuū familiarē?
Ille uerò omnino pœnas ſtupri perſecuturū ſe eſſe affirmauit, & in eo perſtitit. Tum
princeps, quid pœna eſſet, interrogauit: cognouitq́, ſecuri barbas publicè huius flagi-
tij conuictis præcidi, atq; ita illos ut infames dimitti ſolere. Ibi princeps, ſe non magis
ſuum familiarē liberari cupere reſpondit, ac omnino adulterij pœnam ſuſtinere eum
uelle: deridens gentis leuitatē atq; ſtulticiā. Ubiq; aūt ad Orientem mos fuit, maxi
ma cura barbas nutrire: probroq́ in primis ducere, uel unū pilum per uim reuelli.*

De quo

De quo & hoc narratum putaui adyciendum. Balduinus à Burgo, qui Edeſſam teneret, duxerat uxorē, cuiuſdã Armeniy principis Meliteniæ Gabrieli filiam, nomine Morphiam. Hic captus ad Carras, cum magna pecunia æſtimatus uix poſt quinquenniũ reuerſus eſſet, laborare inopia pecuniæ cœpit, qua ſocer minus liberalis abundaret. Sic igitur rem cõponit. Suos equites, quibus ſtipendia debebantur, iubet ſe ſequi proficiſcentem ad ſocerum, & quaſi de improuiſo petere ſolutionem eius quod deberetur, aut obligatum pignus auferri ſinere. Contendentibus autem illis, quemadmodum conuenerat, uehementius: clamoribus rixæ excitatus Gabrielus, accedit, & quid rei negotyą̃ ſit percontatur. Cumq́ omnia cognouiſſet, pergit ſciſcitari, Quodnam igitur pignus auferre equites uelint? Ibi Balduinus tacere, quaſi pudore uerum confiteri prohiberetur. Tum is qui cauſſam equitum ſuſceperat agendã: Barba, inquit, generi tui obligata nobis eſt, & ſolutionis dies præteryt: aut pecunia igitur, aut barba nobis tradatur. Gabrielus mirari, & indignari: quærereq́ ex genero, uerum'ne diceretur? Qui ueluti inuitus, ita eſſe reſpondit. At ille magis etiam commotus, qua neceſſitate impulſus tantam & tam precioſam & maxima cura tuendam uiro rem oppignerauerit, interrogat. Quia enim, inquit Balduinus, urgebant equites ſolutionem debiti, & nullo alio pignore ſatisfieri poſtulationi eorum poterat. Ibi Gabrielus ignarus decompoſitò rem geri, ignominiam extremam, ut arbitrabatur, generi pecunia perſoluta equitibus redimit, & ſalua barba eum filiæ remittit.

Poſt Coſmam iſtum nominatur Theodoſius patriarcha, quem Maximũ uocat Niceta Choniata: illumq́ ornaſſe ſolium patriarchæ ſcribit eo tempore, quo Manuel Imperator execrationem quandam comprehenſam in libello Eccleſiaſticæ inſtitutionis, tollendam cenſuit. Quæ res non indigna relatu uiſa eſt. Erant in libello eo, quem diximus, inter alia quæ reyciebantur cum execratione, etiam hæc: ἀνάθεμα τῷ θεῷ μωαμέτ. περὶ οὗ λέγει, οὔτε ἐγέννησεν οὔτε ἐγεννήθη, καὶ ὅτι ὁλόσφυρός ἐστιν. *Ea induci ſtudebat Imperator. & accerſito patriarcha unà cum alys quibuſdam ſacerdotalis ordinis primarys uiris, qui tum fortè in urbe erant, ſuam ſententiam refert. Omnibus aduerſantibus, quod dicerent max. offenſiones id factum habiturum, docerentq́ non pertinere mentionẽ illam ad Deum creatorẽ cœli & terræ, ſed eum qui nugatoria ueſani Maometi oratione fingeretur Deus ſolidus, aut neſcio quid. nam quid ſignificet illud Holoſphyrũ, intelligi non poſſe: & ſi quid fortè ſignificet, id ad Dei notionẽ nihil pertinere. Iam hoc, Qui neq́ genuerit neq́ genitus ſit, Chriſtianos nullo modo admittere: quorũ cõfeſſio ſit, Patrẽ eſſe Deum æternum, & cum hoc æternũ filium Deũ, cum ſancto ſpiritu unũ, ſolum, uerũ Deum. His auditis, Imperator nihil eos moratus, & adiutoribus quibuſdã nõ illis quidem indoctis, neq́ ineruditis, ſed leuibus, & tempori ſeruientibus aſſentando potentiæ gubernatorum: his igitur adhibitis, & horum opera uſus, ſcriptum de quæſtione illa compoſuit, oratione copioſa & probabilib. argumentis conatus oſtendere, perperam feciſſe priores, qui illa mentione deteſtante Deum Maometi, æternum & uerum Deum execrati fuiſſent. parumq́ abfuit, quin omnes huic ſententiæ applauderent: niſi patriarcha cum ſuo cœtu aduerſatus, cæteros etiam docuiſſet, quantum fraudis in illo ſcripto latêret. Hoc perquàm indignè tulit Imperator, præſertim in morbo,*

qui tum ipſum inuaſerat, moroſior. neq; abſtinuit dictis contumelioſis: mutauit tamen prius ſcriptum uerboſum ac prolixum, & propoſuit alterum aliquãto mollius, ſed nihilo minus tamen quaſi illecebras continens opinionis ſuæ. Ac primùm accerſiuit Patriarcham, & cæteros illi concordes: poſtea ad eos, priuſquam uenirent, miſit ex ſuis unum Theodorum primarium ſcribam, cum ſcriptis duobus, qui nunciaret, accedi Imperatorem non poſſe. Exhibuitq; unum ſcriptum, quo patriarcha & ſocij ipſius grauiter increpabantur, quaſi qui non dubitarent ueri Dei nomen execrando reijcere. Eodem minabatur, ſe communicata ſententia cum Papa Romæ ueteris, coactaq; ſynodo maiore, eam rem quæſtionemq; curaturum eſſe conſiderandam atq; decidendam. Sed illi nihil moti neq; territi iſta glorioſa uehementia, uoluntati Imperatoris refragari perrexerunt. Tum Euſtathius Theſſalonicæ antiſtes, uir doctrina eruditione excellens: Ego, inquit, cerebrum detritum in calcibus geſtare uidear, neq; hoc ornatu dignus ſim (oſtenſo integumento humerorum.) ſi Deum cenſeam uerum, Maometi Deum impurum & uaſtum, fœdiſſimarumq; actionum magiſtrum atq; doctorem. Hæc cum ille clara, ut omnes exaudirent, uoce pronũciaſſet, penè obſtupuerunt attoniti cuncti qui aderant. Hic eſt Euſtathius, cuius & in Homericos libros omnes, & Dionyſij orbis terrarum deſcriptionem explicationes uberes & multiplice doctrina refertæ, in lucẽ nuper prodierunt. Neq; doctum modò eruditumq; uirum, ſed uirtute præſtãtem & fide eum fuiſſe accepimus: quippe qui atrociſſ. clades & grauiſſ. calamitatem cum ſuis ciuibus, ui hoſtili patriam & oppugnante & expugnante perpeti maluerit, quàm ſuo reſpectu conſilioq; & ope miſeros Theſſalonicenſes deſtituere: cum facile ipſe ſibi proſpicere, & illas difficultates euadere potuiſſet. Poſtquam res non proceſſit, ſcriba perculſus animo ad Imperatorem reuertitur, & quæ acciderant exponit. Tum Imperator magis quàm unquam repreſſo animo, ſingularem præ ſe tulit patientiam, & ad eccleſiaſticũ conuentum accuratam defenſionem referri ſtuduit. De Theſſalonicenſi tamen grauiter queſtus, iudicium poſtulauit. Aut enim ego, inquit, hoc crimine abſolutus, ubi patebit me non colere impurum Deum, neq; adulterare religionem ſinceram, pœnas exigam meritas ab eo qui Imperatori diuinitus uncto tam obſcœnè maledixit: aut damnatus, quòd aliũ Deum uenerari audeã, quàm eũ quem colunt Chriſtiani, ueritatem refutato errore cupidiſſimè diſcam, & gratiã habebo ingentẽ à praua ſententia me deducenti, & ad rectam conuertenti, & aperienti ueritatis arcana. Paulo tamen poſt, cum in conſpectum Imperatoris Patriarcha ueniſſet, & placido ſermone mitigaſſet animum ipſius, iraſci etiam Euſtathio deſtitit, & defenſionem eius cognouit, cum, uenia ob futilem orationem data, hoc tandem dixiſſet: Te ſapientem & doctum uirum, non decet perhiberi petulantem uerbis obſcœnis, neq; eum qui temerè effutiat abſurda. Atq; ita tum Patriarcha cum ſuis lætus diſceſſit. Poſtero die congregatis omnibus in Patriarchæ ædibus, ut negotio finis imponeretur, diſcrepare rurſum ſententiæ, & alius aliud in propoſito ſcripto notare ac carpere, mutariq; aut tolli hoc illud'ue poſtulare, uel ut ambiguum, uel ut offenſionis non expers, uel quocunq; alio nomine. Id Imperator ægrè tulit: neq; continere ſe potuit, quin inconſtantiam & leuitatem eiu exprobraret. Vix igitur tandem concordarunt, & ſententia commu-

tia communi decretum eſt, ut hæc uerba, ἀνάθεμα τῷ θεῷ μαωμὲτ, inducerentur: & perſcriberentur hæc, ἀνάθεμα τῷ μαωμὲτ, καὶ πάσῃ τῇ αὐτοῦ διδαχῇ καὶ διαδοχῇ: ne quis nominis diuini mentione offenderetur. quòd res præclarè explicari uideretur, damnato & reiecto Maometo cum uniuerſa doctrina & ſucceſſione ipſius. Atq; hic multarum & uariarum contentionum congreſſionumq; fuit exitus. Cum autem patriarcha Theodoſius morbum Imperatoris ingraueſcere animaduerteret, admonuit eũ paterno affectu, ut Reipubl. de idoneo ſucceſſore proſpiceret. At ille aſtronomicis quibuſdã prædictionibus fidem habens, nondum adeſſe tempus mortis ſuæ reſpondit, quòd uita ſua adhuc decem & quatuor annis augenda eſſet. Uerùm morbi uehementia oppreſſus, accerſito Patriarcha, pauca locutus de Alexio filio inter crebros gemitus & lacrymas, animo ſcilicet ſecuturas breui calamitates præſagiente, paruam cartã ſignauit, de Patriarchæ ſentẽtia, qua aſtrologicæ uaticinationes damnabãtur. neq; diu poſt hæc, migrauit è uita. Hunc Theodoſiũ Andronicus, promiſſ. et exquitiſſima malitia admirabilis, literis miſſis eò perduxit, ut ſibi in adminiſtranda Republ. primas cõmitti ille pateretur, quamdiu Alexius per ætatẽ gubernationi minus eſſet idoneus. Erat filia Manueli Imperatoris Maria, ſuſcepta ex priore cõiuge Alemanicæ gentis, collocata in matrimoniũ Uilhelmi Marchionis Montiſferrati filio Reinerio, iuueni corporis & animi ſpectati, quẽ & Cæſaris dignitate Imperator auxerat. Hæc, mortuo patre, cum apud nouercã gratioſum eſſe cerneret Alexiũ, qui primas tenuerat in gubernatione uiuente Manuelo, & ex eo Protoſebaſti nomine fuerat ornatus, ambitione impulſa, & cum inimicis quibuſdã ipſius re deliberata, uitæ eius inſidias ſtruxit. Quibus detectis, & de inſidiatoribus ſtatim ſuppliciũ ſumptũ eſt, & Maria cũ marito in templum Sophiæ æternæ confugit. Hanc & Patriarcha & tota ferè ciuitas miſerata, gratiã inter ipſam & fratrem Alexiũ nouercãq; reconciliari ſtuduit. Omnia aũt gerebantur tũ arbitrio atq; nutu Protoſebaſti, & Alexij Imperatoris nomen autoritasq; præſcribebatur. Fuitq; tum nefariũ & impium bellũ excitatum, in quo ſedando plurimũ laborauit Patriarcha: perfecitq; tandem, ut reb. compoſitis, Maria cũ marito metu omni liberaretur, & in priſtinũ reſtitueretur locũ. Eam ob rem magnopere Protoſebaſtus Patriarchæ ſuccenſere. Atq; adhuc durãte ſeditione, curauerat illũ de gradu dignitatis Patriarchæ abſentẽ deponendũ, ſuffragijs quorundam epulis & pecunia corruptorũ. Quinetiam arreptũ detraxiſſet de ſolio, niſi Maria oppoſuiſſet ſe ambabus, ut dicitur, manibus. quæ etiã diligente cuſtodia collocata cauit, ne ſanctiſſ. uir ultro ſe ſubduceret, conferens in ociũ monaſterij quod extruxerat in inſula Terebintho, & ſe deſtitutã exponeret inimicorũ ludibrio. Sed tum rebus cõpoſitis occaſionem nactus Protoſebaſtus morem gerendi animo, in monaſteriũ quidem Panepoptæ Patriarchã relegat: ſed quomodo eriperet ei legitimo iudicio dignitatẽ, non reperiebat, quamuis & ipſe malitioſe multa cõminiſceretur, & perditiſſ. quoſq; de Senatu & aulicis ſibi adiungeret. Itaq; coactus eſt eum in priſtinum locum reſtituere, præſertim cum & Auguſta & plurimi cognationis Imperatoriæ Patriarcham maximo in honore haberent. Quo autem die ſolium recuperaturus erat Patriarcha, eo die omniũ ordinum honeſti homines max. multitudine

luminibus

luminibus & odoribus ubiq; in uia accenſis, ad monaſterium Panepoptæ accurrentes, inde longiſs. agmine & ſpecioſiſsima pompa Patriarcham in templum Sophiæ deduxerunt, tanta frequentia atq; ſtudio, ut ipſis è monaſterio prima luce egreſsis, ueſpere demum ad templum Sophiæ perueniretur. Cum interim maleuoli & inimici Patriarchæ latêrent & abſcenderentur, nō modò pudore, ſed metu etiam mortis, ſi fuiſſent conſpecti. Uariè eſt hic Patriarcha exagitatus, & conflictatus multiplicibus rebus aduerſis. Iam Andronicus frater patruelis Manueli Imperatoris ſceleratè improbus, uaria calliditate ſibi conciliatis tam ductoribus quàm militib. plurimis ſuperior erat: & Protoſebaſtus, qui filios Andronici in uincula coniecerat, illis dimiſsis ipſe cōprehenditur, & traditur cuſtodiendus Germanis ſatellitibus. neq; quiſquam ad eum admittebatur, deductum in ædes intra Regiam extructas à patriarcha Michaelo: ubi cùm alijs rebus, tum peruigilando excruciabatur, obſtrepentibus ſomno cuſtodibus. At Theodoſius omnis iniuriæ oblitus, & miſertus illius, tam repentè fortuna mutata, cùm alijs rebus curam eius ſuſcipere, tum ſermonis conſolatione alleuare miſerias. Sed paulo pòſt Protoſebaſtus ad Andronicū abductus, & oculis priuatus eſt. Iam autem Andronico ſuo arbitrio gerente Imperium, placuit ei, nuptijs iungi liberos ſuſceptos ex inceſto concubitu. Nam Alexius, quem Theodora, Andronici fratris patruelis filia, pepererat Manuelo Imperatori patruo, ducere uolebat Irenen ſuā filiam. De Andronici autē turpib. amoribus iam aliquid dictum eſt. Hoc conſilium tanquam utile Reipubl. (quòd neſcio quæ præclaræ & ſpecioſæ de illis nuptijs prædictiones memorarentur) communicauit cum primatibus in Imperio. Ex quibus pleriq; aut largitionibus corrupti, aut gratia occupati erant. Approbabant igitur rem multi. Impudentiores uerò quidā diſputabant, nihil contra iura atq; leges eo facto deſignari: quòd ſecundum has non eſſet cognatio eorum, quos nuptijs iungi uellet Andronicus. nam ſuſceptos ex inceſtu concubitu, neq; cognationem inter ſe habere, neq; ſanguinis neceſsitudine teneri. Itaque ne deliberatione quidē eam rem indigere: de qua ridiculū uideretur quærere, cum eſſet ſole clarior. Huic ſententiæ pauci quidā, unà cum Patriarcha, tam ordinis ſacerdotalis quàm ſenatorij refragabantur. Fuerat Patriarcha aliquando ui compulſus ab Andronico, ut ſua ſententia approbaret conſilium conatumq; ipſius eyciendæ Auguſtæ. Sed tunc neq; copia orationis, neq; minis Andronici motus aut territus eſt, ut nefariam coniunctionem impiarum nuptiarum admitteret. Cumq; uideret aduerſando nihil à ſe profici, relicto principatu muneris ſui, ſeceſsit in monaſterium ſuum, extructum in inſula Terebintho. Andronicus lætus hac fortunæ proſperitate, perægit id quod inſtituerat: & filiam ſuam in matrimonium collocauit Alexio, fratris patruelis Manueli filio, ſuſcepto ex ſobrina ſua, præſente tum & benè precante ritu ſolenni Epiſcopo Bulgarorum. Generum autem ſuum poſtea ut inſidiantem ſibi cepit, & oculis erutis deportari iuſsit Chelam Ponticam, & filiam lugentem maritum aditu ſuo prohibuit. Mox ſuſcepta deliberatione de Patriarcha creando, munus illud delatum fuit Baſilio Camatero, qui ferebatur unus ex omnib. ſyngrapha ſe obligaſſe, cuncta quæ Andronico placuiſſent, ſe executurum: & aduerſaturum eſſe, quæ diſplicuiſſent, uniuerſis. Atq; idem cum concorde cœtu

ſuorum,

ſuorũ,petente Andronico religione iuriſiurandi,quod Manuelo dederat,ſe libera ri,liberatum eum pronunciauit: ut penes quem eſſet poteſtas ſumma, ſoluendi & alligandi pro arbitrio omnia quæcunq; uoluiſſet. Poſt hunc, inter motus maximos & labes horribiles Imperij, factus eſt Patriarcha decrepitus quidam ſenex Niceta Montanus, ſacellarius Magni tẽpli, cum Iſaacius Angelus,qui Andronico Imperij gubernationem eripuerat,Camaterum munere & dignitate Patriarchæ ſpoliaſſet,quamuis ab hoc in primis adiutus eſſet in adipiſcendo potentiã Imperatoriam. Remouendi eum cauſſa dicta fuit,quòd mulieres nobiles iuſſo Andronici tonſas contra uoluntatem ipſarum, & in monaſteria detruſas,paſſus eſſet ad priſtinæ uitæ conditionem cucullis exutis reuerti. Sed ne Nicetæ quidem,quantumuis ſenio confecto,mortem obire in Patriarchæ munere licuit. nam & hunc Imperator, tanquam ſimplicem atq; futilem refutauit,& ſolio deiecit inuitum: & ei ſufficiendum curauit monachum quendam Leontium nomine. De quo in ſolenni conuentu iurauit,quòd hominem non uidiſſet antea unquam: noctu autem à Deipera uirgine & ſpeciem ipſius exhibitam,& demonſtratam ſanctitatem,atq; adeò locum ubi maneret indicatum fuiſſe. Sed nondum anno uno præterito, ille ita productus & tantis laudibus ornatus, quibus ut diuinũ hominem eum extulerat, repudiatur,& abijcitur. Cum autem Doſitheum quendam Venetæ gentis,qui in Studij monaſterio operam dans exercitationibus pijs,prædixerat aliquãdo Iſaacio, Imperio eum eſſe potiturum, & promotus ab hoc ad ſolium Hieroſolymorum fuerat) hunc igitur cum habere Patriarcham cuperet, Canonum autem edictis ſoliorum mutationes uetari audiret, tale quiddam machinatur. Erat antiſtes Antiochenæ eccleſiæ Theodorus cognomento Balſamus, ſcientia Iuris publici ac legum celebris. Eum accerſit,& ſimulat ſe iniquo animo ferre,non contingere eccleſiæ primariæ uiros doctrina & eruditione præſtantes, qui in illa præſideant. Cùm alia enim mala ex eo prouenire, tum diſciplinam corrumpi,& in primis Monachorum ſanctitatem euaneſcere. Neq; ſpem eſſe ſtatus melioris,niſi œcumenici ſolij,cognitione literarum ſacrarum & ſapientia aliquis ſingulari præditus,principatum adipiſcatur. Atq; ſe, qui non ignoraret in hoc genere ipſum eminere, iamdudum cogitaſſe ei conciliare adminiſtrationem iſtam: ſed perhiberi, quòd obſtent edicta Canonum. Nunc uerò tu,inquit,qui iuris & legum es peritiſſ. conſidera quid fieri poſſit. Theodorus impulſus cupiditate obtinendæ maioris dignitatis, reſpondit: Facile impedimentum iſtud remoueri, & rem explicari poſſe. Congregantur igitur in ſacra curia antiſtites,& deciditur negocium, permittiturq; mutatio ſolij atq; ceſſio,& conſtitutio coram Imperatore perſcribitur. Quo facto, Antiochenum miſſum facit Imperator, & Doſitheum Hieroſolymis Conſtantinopolim transfert,celeberrima & ſimili triumpho deductionis pompa. At factio antiſtitum qui circumuenti fraude iſta fuerant,cum quibuſdam proceribus aulæ,conuentus habere,& concitare populum,& Doſitheo quam iniuſte nactus eſſet dignitatem abrogant, & ut alieni ſolij occupatorem repellunt. Itaq; Imperator,qui uellet priorem conſtitutionem ualere,ſatellitibus ſuis ſecures geſtantibus, gente Alemanis, ſtipatum Doſitheum in templum maximum curat deducendum, inq; Patriarchæ collocandum ſolio. Sed cum & Doſithei

Doſithei ambitio odioſa eſſet pleriſq; omnibus, & actiones illæ Imperatoris importunæ uiderentur, rurſum ſolio deturbatur Doſitheus: acciditq; ei id quod cani Aeſopico, ut neq; appetitum principatum retinere, neq; relictum recuperare poſſet: cum iam Hieroſolymis alius eſſet antiſtes. Atq; tunc Georgius Xiphilinus cuſtos uaſorum, ad Patriarchæ munus eſt productus: haud ſcio an ille, quem Niceta ſcribit ad Andronicum aliquando miſſum, non bona fide mandata peregiſſe. Doſitheus tamen & ſomnijs referendis, & alijs modis habebat Imperatorẽ planè in ſua poteſtate. Uerùm huic Imperatori à fratre Alexio cum oculis Imperio adempto, Xiphilinus cùm alijs rebus noui Imperatoris gratiam retinere ſtuduit, tum carum quendam ei Conſtantinum Meſopotamiten, & ex Anagnoſta Diaconum, paulo pòſt datum præſulem Theſſalonicenſibus, & reclamantibus Canonũ edictis poteſtatem ei fecit, ſimul operari ſacris, & gubernationis negocia gerere. Et mox eundem Theſſalonicenſi ſolio detraxit, gratificans Imperatori, qui Conſtantino cœperat eſſe infenſus: alterumq; Chryſantham nomine, ſine cognitione, legitimæq; rationis obſeruatione, ei ſurrogauit. Mortuo Georgio Xiphilino, cum functus eſſet Patriarchæ munere annis 7. ſucceſſit Iohannes Camaterus. Quo præſidente, diſsidia ſunt ortæ ob controuerſiam de corporis & ſanguinis Chriſti ſacramento. Fuerat ſanè ea temporibus Xiphilini cõmota, neq; tamen repreſſa. Extat Nicetæ narratio de tota re, uerboſa quidem illa, ſed minimè diſerta. Hoc aũt intelligi poteſt, contentionem fuiſſe de corpore Chriſti, quòd alij uellent cõmunicari ſumentibus ἄφθαρτον, id eſt alienum ab omni interitu, quale reſuſcitatum à morte eſſet: alij φθαρτόν, id eſt mortale, quale antequam in terris mortem obiret IESVS, illud fuiſſet. Sed litem deciſam ait Niceta, & Imperatorem aſſenſum eſſe parti meliori. Huius Patriarchæ tempora attingit clades captæ urbis Conſtantinopolis à Gallis & Uenetis, partitione Imperij gubernationem retinentibus Gallis, Patriarchæ dignitatem Uenetis. Tum Græcus patriarcha cum alijs ordinis Eccleſiaſtici, comitante populi multitudine, miſerabiliter omnibus facultatibus exutus, urbe exceſſit. Quo mihi loco, enumerationis nominum eorum qui Conſtantinopoli Patriarchæ fuiſſent, finem facere uiſum.

NVMERATI A' NICEPHORO EPISCOPI ALEXANDRINI in Aegypto.

PRIMVS, Marcus euangeliſta, ann.2. II. Annianus, ann.22. III. Abilius, ann.12. IIII. Cerdo, an.10. V. Primus, an.12. VI. Iuſtinus, ann.10. VII. Eumenes, ann.13. VIII. Marcianus, ann.10. IX. Celadion, an.10. X. Agrippinus, ann.14. XI. Iulianus, ann.15. XII. Demetrius, ann.10. XIII. Heracleas, ann.46. XIIII. Dionyſius expulſus ab Imperatore Valeriano, ann.17. XV. Maximianus, ann.8. XVI. Theonas, ann.19. XVII. Petrus Martyr, ann.11. Hactenus ex diuerſis gentibus, & nõ Chriſtiani Imperatores fuerũt,

uſq; ad

uſq; ad Conſtantinum Magnum. Poſt Conſtantinum autem M. Alexandrini Epiſcopi ita numerantur. XVIII. Achillas, ann. 1. XIX. Alexander, qui fuit in prima Synodo, ann. 23. XX. Athanaſius, ſæpe expulſus ab Arianis: cui primùm eiecto, ſuffecerunt Ariani ſuæ quendam factionis Gregoriũ. Hic XXI. expulſus eſt à Conſtantio, & rurſum factus Athanaſius epiſcopus. XXII. Georgius Cappadox, deiecto denuò Athanaſio, ann. * Athanaſius tertiò, itemq; quartò epiſcopus factus. Vniuerſi anni huius ſunt 46. XXIII. Petrus, expulſus à Valente, ann. 1. XXIIII. Lucius Arianus, ann. 5. XXV. Petrus iterum, ann. 1. XXVI. Timotheus, qui in ſecunda ſynodo fuit, ann. 8. XXVII. Theophilus, ann. 28. XXVIII. Cyrillus, qui Epheſi in priore ſynodo fuit, conflata contra impium Neſtorium, ann. 32. XXIX. Dioſcorus, in ſynodo poſteriore Epheſi inſidioſa & praua, ann. 5. Remouetur ſeu detrahitur à IIII. Synodo, coacta Chalcedone. XXX. Proterius orthodoxus, occiſus in lacu ſacro ſeu diuino, ann. 6. XXXI. Timotheus Aelurus, ann. 2. XXXII. Timotheus Albus, an. 15. XXXIII. Petrus Mongus, ann. 1. XXXIIII. Iohannes expulſus, ann. 3. XXXV. Petrus iterum, ann. 6. XXXVI. Athanaſius hæreticus, ann. 7. XXXVII. Iohannes, ann. 9. XXXVIII. Iohannes alius, ann. 11. XXXIX. Dioſcorus, an. 3. XL. Timotheus, tempore Iuſtiniani Imperatoris. XLI. Gaianus, ann. 1. XLII. Theodoſius, ann. 2. XLIII. Paulus, ann. 2. XLIIII. Zoilus, ann. 7. XLV. Apollinaris, ann. 19. XLVI. Iohannes, ann. 11. XLVII. Eulogius, an. 27. XLVIII. Theodorus Scribon, ann. 2. XLIX. Iohannes Cyprius, nominatus Miſericors, an. 10. L. Georgius, ann. 14. LI. Cyrus, ann. 10. LII. Petrus, ann. 10.

APPENDIX.

Marcum apoſtolo Petro ualde carum, & ſcriptorem fuiſſe perhiberi, notum eſt expoſitionis Euangelicæ unius ex quatuor, ſecundum doctrinam Petri. Hunc conſtituiſſe Eccleſiam primùm Alexandriæ in Aegypto, Euſebius ſcripſit: & non modò orationis facultate, ſed uita exemplo, magnam Aegyptiorum multitudinem conuertiſſe ad ſtudium ſingularis abſtinentiæ & continentiæ, & cupiditatibus cohercendis, & fugiendis uoluptatibus. Hoc genus ἀσκήσεων habuit nomen: quo ſignificarentur excercitationes religioſæ, & neceſſitate uſurpatæ principiò, & poſtea utilitate commendatæ: diuerſæ admodum ab obſeruationum poſteriorum ſuperſtitione. Putat etiam Euſebius, Philonem Iudæum Chriſtianorum illis in locis uitam & mores deſcripſiſſe, eo libro cui titulum fecit περὶ βίου θεωρητικοῦ, ἢ ἱκετῶν. quibus uerbis ſignificatur mens & cogitatio penitus addicta ſcientiæ atq; cogitationi, & occupata contẽplatione ueritatis: itemq; precandi & ſupplicandi aſſiduitas. Hos & θεραπευτὰς, & feminas θεραπευτρίας Philo appellat: (eſt enim hic libellus cum alijs quibuſdam ſcriptis eius editus.)

n

editus.) & duplicem cauſſam refert nominis: uel quòd quaſi medicinam faceret hoc genus cupiditatum malarū & uitiorum: uel quòd diſciplina uenerandi Deum eſſet in illo eximia. Sed deſcribi à Philone Iudaicum quendam cœtum, facile intelligitur: & tam celeriter iſtiuſmodi congregationes Chriſtianorum inſtitui potuiſſe, uel etiam debuiſſe primis illis temporibus, haud ſcio an neq; probabile & diſſentaneum eſſe uideatur. De hoc igitur ſtatuat unuſquiſq; quod uolet. Secundum autem hiſtorias, Marcus fuit epiſcopus Eccleſiæ Alexandriæ, anno Neronis ſexto & ſeptimo. Nam octauo Neronis anno factum eſſe Anianum epiſcopū, ſcripſit Euſebius. Abilio tribuuntur in hiſtoria Euſebij ann. 13. Cerdo autem epiſcopus Alexandriæ fuit orthodoxus. ſed eodem memoratur nomine hæreticus tēporibus Antonini Pij: id eſt, poſt annos circiter quinquaginta. Iuſtinus Euſebio eſt Iuſtus. Eiſdem autem fermè temporibus Iuſtinus Philoſophus, ob confeſſionem ueritatis cœleſtis poſtea interfectus, Chriſtianus factus eſt: cuius præclara ſcriptorum opera nuper etiam Græca lingua ſunt edita. Marcianum Euſebius Marcum appellat. Celadionis anni ſecundum Euſebium ſunt 14. Agrippini, 12. Iuliani, 10. qui epiſcopus eſt factus primo anno Imperij Commodi. Demetrij ſunt apud Euſebium anni 43. Heraclæ 16. De Dionyſio etiam, & huius fuga (Decij Imperatoris Eccleſiam perſequēte crudelitate, non Ualeriani) eiuſdem narrationes copioſæ extant libro VII. ubi & mortuum hunc eſſe Galieni Imperatoris anno 12, ſcribitur.

Apud eundem non Maximianus, ſed Maximus legitur, cum annis 18. Petrus autem Diocletiani ſæuitia, inter alios multos Chriſtianam religionem conſtanter colentes, eſt interemtus. Tribuit huic annos 12. Euſebius: qui uno Nicephorios ſuperant. Atq; anno Diocletianeæ crudelitatis in Chriſtianos nono, ceruicibus abſciſſum eſſe caput illius ſcripſit. Extitit eo præſidente diſſidium pernicioſum, Ecclecleſia diuiſa in factiones duas: quarū altera, maior illa quidem, Meletium Aegyptium epiſcopum ſecuta, altera Petrum fuit. Hanc cum pio ſtudio, ut uidetur, diſcordiam ſedare uellet Petrus, ut Epiphanius narrat, reddidit malum acerbius. Propoſito enim in medio congregata multitudine pallio, præconium fieri iuſſit Diaconi uoce, quo ediceretur, ut ſecum facientes in hanc partem. cum Meletio in illam concederent. Atq; fuit tum ſecta Meletij copioſior. Et diſſenſio diu durauit. Placebat autem Petro, lapſos recipi ſtatim: Meletio aduerſante. De quo tamen alij aliter, ut nos alibi indicauimus. Primam Synodum Nicenam uocat contentione epiſcopi Alexandri, atq; Arij pernicioſo diſsidio excitato: de quo ſeparatim expoſitio noſtra eſt aliquando edita. De Athanaſio non αὐοχγὸν quidem, ſecundum Comœdiam, ſed δεινὸν certè εἰπεῖν, ϗ σιωπῆσαι βαρύ. Ut enim hic ingente animo reſtitit omnibus labefactare & conuellere conantibus cœleſtem ueritatem: ſic fieri uix poteſt, ut diligenter conſideranti ea quæ de huius uiri actionibus literis mandata ſunt, non ſuis ille interdū cupiditatibus plus quàm oporteret indulſiſſe, & ſacra profanis aliquando miſcuiſſe uideatur. Sanè quòd & ætate & uſu rerū, & prioris epiſcopi Alexandri memoria (cum quo ad ſynodum Nicenam uenerat diaconus) commendatus in ſingulari eſſet exiſtimatione, quodq; Romani Pontificis autoritate fulciretur, uehementiorē atq; confidentiorē interdum eum fuiſſe credibile eſt. Cum

autem

autem hic attigerit ætatem Gregorij & Baſilij, pleriq; iudicauerunt, ipſius ſcripta nullo modo exæquari bonitate ſcriptis illorum. Quinetiam nō dubitarunt quidam affirmare, in comparatione cum illis puerilia hæc uiſa eſſe. id eſt, uſq; adeò eos excelluiſſe, ὡς παῖδα πρὸς αὐτοῖς κριθῆναι τὸν ἀθανάσιον. Sed de hoc, autorū trium Eccleſiaſticæ hiſtoriæ narrationes copioſiſſimæ extant. Librorum quoq; Athanaſij nonnihil ad noſtra tempora conſeruatum eſt, quibus lectis cogitentur & ſtatuantur cætera. Gregoriū, quem poſt Athanaſiū nominat Nicephorus, ut inuiſum populo, & minus acrem dogmatis propugnatorem: ijdem Ariani, qui in ſolium eum impoſuerant, poſtea inde abduxerunt. Huic ſuffectus Georgius Cappadox, Imperatoris Conſtantij protectione fretus magna ſæuitia utens, tam ab Arianis diſſentientes, quàm auerſantes prorſus religionem Chriſtianam grauiter afflixit. Hunc populus tumultuans arreptum in carcerem coniecit: poſtea impoſitum camelo, per ludibrium circumduxit, & unà cum camelo in ignem coniectum combuſsit. Id factum eſt, iam occupata gubernatione à Iuliano. Itaq; alij ab idololatris id facinus eſſe cōmiſſum, alij fautores Athanaſij ita eſſe ultos ſuas iniurias, tradiderunt. Sed iracundia, & uindictæ cupiditas, diſſentientes etiā ſolet cōiungere. Multitudinis autem commotæ furor inexplicabilis eſt, ut fluctuum in mari concurſus. Sed cum Athanaſius, qui delituerat Alexandriæ apud uirginem conſecratæ pudicitiæ, cognouiſſet Imperatoris edicto reuocari exules, repente prodijt, & in templo publicè præſedit, & epiſcopi munus geſsit. Quod Iulianus Imperator in eam partē accepit, quaſi ab Athanaſio Maieſtas Imperatoria & legum autoritas contempta eſſet. & altero edicto interpretans prius, ſe conceſsiſſe exulibus tantum in ſuam cuiuſq; patriam reditus, non loci & munerum recuperationem, oſtendit: cenſetq; Athanaſium, cum quidem audaciſsimum eum appellet, tam multis Imperatorijs edictis exagitatum, ſaltem unum expectare debuiſſe, quo planè reſtitueretur. Atq; eum iubet, quo die literas edicti acceperit, ſtatim urbe excedere. Sed non fuit diuturna hæc fuga. Poſtq; modicum tempus rurſum potitus principatu Eccleſiaſtico, ad tempora Valentis Imperatoris perdurauit, mortuus Gratiano iterū & Probo Coſs. anno Chriſti circiter trecenteſimo ſeptuageſimoquarto: ſucceſſore deſignato Petro, quem Ariani captum in carcerem coniecerunt, potiente rerum Imperatore Valente. Unde elapſus, & Romam ad Papam Damaſum ſe contulit, & poſtea de eius ſententia ſolium ſuum recuperauit. Cum interea Lucius non crudeliter, ſed planè immaniter affligeret approbatores Synodi Nicenæ. Hic Petrus eſt, quem Imperatoria lex nominat, iubens cunctos populos in tali religione uerſari, quam diuinum Petrum apoſtolum tradidiſſe Romanus declaretur: quamq; Pontificem Damaſum ſequi clareat, & Petrum Alexandriæ epiſcopum, uirum apoſtolicæ ſanctitatis. Eiuſdem ſucceſſorem Timotheum, fratrem fuiſſe ipſius traditur. Petrum autem adhuc Valente ſuperſtite recuperaſſe ſolium ſuum populi ſtudio, cum fuiſſet expulſus Lucius, neq; diu poſtea uixiſſe. Theophilū Socrates ſcribit inimico animo fuiſſe erga Iohannem cognomento Chryſoſtomum. Ab hoc Syneſius ex philoſopho epiſcopus eſt factus, antequam penitus aſſentiretur uniuerſæ doctrinæ Chriſtianæ. Theophilum quidem cum Theodoritus laudet, alij ut leuem & penè improbum

uituperant. Scitum eſt, quod memoratur, dictū illius ad Monachorum impetū retundendum. Cum enim ijs tēporibus de Origenis libris magnæ contentiones eſſent ortæ, & quidam ex illis conquirerent undiq; quæ excerpta falſa abſurdaq́; uiderentur, ſi qui non ſtatim damnarent Origenem, tanquam de religione prauè ſentientes per contumeliam Origeniaſtæ appellabantur. Monachi autem Aegyptij ſimplices & indocti homines, neq; ad ſcientiam cognitionemq́; , ſed obſeruationem quandam & uitæ aſperitatem inſtituti, quòd audiſſent Dei manus, pedes, oculos, aures, brachia, nominari in ſacris ſcripturis, corpus habere Deum ſimile corpori humano ſibi perſuaſerant: & hoc negantes, tanquam impios cenſebant exterminandos. unde ſecta iſta τῶν ἀνθρωπομόρφων τῶν eſt dicta. Theophilus epiſcopus erat ex ijs qui ſententiæ huic magnopere refragabantur. Itaq; contra eam cum conſuetudine epiſcoporum Alexandrinorum epiſtolam de die Paſchatos ederet, grauiter diſſeruit. Quare monachi commoti, magna turba coacta ſubitò ad illum nihil tale expectantem accurrunt, ita ferocibus animis, ut à corpore epiſcopi uiolando non uiderentur ſibi temperaturi. Epiſcopus quòd in periculū ueniret cernens, benignè eos appellat: &, Mei fratres, inquit, quam uenerabilis mihi offertur aſpectus ueſter, atq; ego mihi Dei faciem uidere uideor. Ibi ille cœtus mitigatus, animis iam mollioribus: Si uera, inquiunt, loqueris, reſtat ut Origenis libros & horum lectores unà nobiſcum condemnes. Maximè, inquit ille, & iamdudum hoc fieri ſtudeo. Atq; ita illi diſceſſere placati. De quæſtione autem hac quid deinde factum ſit, & Theophili actionibus, extant narrationes & Socratis & Sozomeni copioſæ. Cyrillus, qui Theophilo morbo ueterni ſublato ſucceſsit, patruum habuit Theophilum. huius enim ſcribitur fuiſſe ἀδελφιδοῦς: quod cur aliter hoc loco quàm fratris filium interpreter, neſcio. Hic orta contentione de principatu epiſcopus factus, crimine non caruit: quòd ipſo uel autore, uel certè conſcio, nefaria crudelitate interfecta eſſet femina præſtans ſapientia & uirtute, Hypatia: quam docti illius temporis admirantes, non aliter quàm φιλόσοφον appellarunt. Facinoris illius immanis narratio extat in libro VII Socratis. Primus etiam huius muneris dignitatem potentia & uiribus externis munijt. Et in Epheſina ſynodo Neſtorium acerbè exagitauit, & multiplicium contentionum autor fuit. Epheſinam igitur hanc Synodum altera eſt ſecuta, quam, ut antè oſtendimus, infamantes Græci, λῃστρικὴν uocarunt. Sed Prioris, quæ inter præcipuas & memorabiles ſynodos Tertia numeratur, conuentus habitus eſt anno Chriſti circiter quadringēteſimo XXXIII. ut colligi poteſt de indicatis Coſſ. illius temporis à Socrate. De his autem negocijs, & Dioſcori nouis turbis, ſuprà aliquid dictum eſt. Proterij crudeliſſ. & nefaria cædes enarratur ab Euagrio. Hic Timothei cognomento Aeluri factione irruente, manu etiam militari permiſta, confugit ad lacū ſacrū, cui apud Græcos nomen κολυμβήθρα ἱερὰ καὶ θεῖα. Hic locus erat, ubi aqua mergi ſolebant ij qui ritu Chriſtiano lauacro initiabantur. Unde & βαπτιστήριον dixere. Sed nihil profuit neq; loci, neq; temporis (nam ferijs Paſchatos hæc geſta perhibentur) ſanctitas, neq; perſonæ dignitas epiſcopo. eſtq́; ibi ille confoſſus, unà alijs ſex interfectis: & corpus ignominioſe tractum, ſuſpenſumq́; & tandem crematum. Timotheum, qui in Proteriū motum

excitaſſe

excitaſſe credebatur, à quo unà cum alijs quod Chalcedoniæ ſynodi decretis aduerſa
retur, damnatus eſſet, hunc igitur primum monachum fuiſſe, deinde ſacerdotem in
Magna eccleſia factum ſcribunt. cumq́ue epiſcopi dignitatem ambiret, noctu nigrae
ueſte indutum obijſſe cellas monachicas, & nominatim ſingulos appellaſſe. Quibus
reſpondentibus, dixiſſe eum, ſe miniſtrum Dei ſpiritum monere, ut à Proterio om-
nes ſeiungerentur, & cum Timotheo coniungerentur. Fuere qui Proterij importu
nitatem odioſum eum reddidiſſe perhiberent. & defenſionem ſcriptam miſit Aelu
rus, quo nomine feles ſignificatur, ad Imperatorem Leontem. Sed tanti ſceleris nul-
la cauſſa excuſationem iuſtam habere poteſt. Timotheus autem cum neq́ue ad Epi-
ſcopi gradum legitimè aſcendiſſe, neq́ue ordine & recte conſecratus iudicaretur, non
modo remotus eſt à functione muneris, ſed actus etiam in exilium Gangra. Alte-
rum Timotheum, quem Album Nicephorus uocat, nominatum ait Euagrius ab
alijs Baſilicum, ab alijs Salophaciolum: neque cauſſas tamen nominum exponit. Sed
cætera ab Euagrio cōmemorata, cum Nicephoreis non planè congruunt. Qui ſcri-
bit, Timotheum exulem petentibus Alexandrinis reuocatum eſſe à Baſiliſco Im-
peratore, cum abfuiſſet annis XVIII. Zeno autem Imperio recepto, remoturus
Timotheum illum alterum epiſcopum Alexandriæ, paſſus fuit ſibi perſuaderi, par
cendum eſſe ſeni decrepito, neque diu pòſt migraturo è uita. Quod & euenit. atque tum
Alexandrini legerunt illius loco epiſcopum Petrum cognomento Mongum. Hoc fa
ctum grauiter & indignè tuliſſe Zenonē, Euagrius refert: de cuius ſcriptis quam-
uis mendoſe editis, intelligi poteſt, tum fuiſſe Timotheum Aelurum in ſolium epi-
ſcopi Alexandrini repoſitum. Hoc autem mox mortuo, cum Iohannes ſacerdos
paulo antè miſſus ea de re ad Imperatorē, impetraſſet, ut Alexandrinis libera epi-
ſcopum legendi poteſtas permitteretur: ipſe tamē iuraſſet, ſe munus illud nunquam
eſſe expetiturum, & fracta fide largitionibus ſolij illius præſtantiam eſſet conſecu-
tus: Imperator hoc cognito, eum expelli, & ſuffici reſtitutum in priſtinum locum
iubet Petrum Mongum. qui approbauit Zenonis ἑνωτικὸν, & Proterij partibus
communionem ereptam reddidit. Unde multum turbarum datum eſt. Iohan-
nes enim fuga elapſus, Romam cucurrit, & falſis querelis Pontificis Simplicij ani-
mum ab Imperatore Zenone alienauit. Cui tamen Imperator ſe defendens, periu-
rium Iohannis indicauit. Sed Simplicio mortuo, Felix ſucceſſor, & huius ſucceſ-
ſor Gelaſius, urgente Iohanne, aliquanto ſæuiores fuerunt. Nam & Felix abroga-
uit dignitatem patriarchæ Acacio, quòd communiones Petri non fugeret: & Le-
gatos ad Zenonem miſit, poſtulans expelli Acacium Conſtantinopoli, & Petrum
Alexandria. Quo tempore uaria diſſidia & multiplices contentiones ſunt com-
motæ: cum magis odio perſonarum, quàm cura ueritatis, condemnationes paſſim
exigerentur, nominatim quorundam execratione adiecta. Neque Acacij neque Petri
morte turbæ potuerunt ſedari. urgebatur enim in mortuos quoque ab inimicis ſen-
tentia execrationis, id eſt ἀναθεματισμοῦ: præſertim Gelaſio Pontifice inferente ſe
in Imperatorem Anaſtaſium, qui Zenoni ſucceſſerat, uehementer & ſuperbè:
cum literis miſſis doceret etiam Imperatorem, quanto eſſet maior atque ſplendidius e-
mineret autoritas Pontificalis quàm Regalis. quarum exempli particula refertur

ab ijs,qui Pontificale quoddam ius in Eccleſia quoq; Chriſti conſtiuere uoluerunt. Cum autem neq; Athanaſius,neq; ſequentes aliquot Alexandrini epiſcopi, acerbitati plerorumq; & odijs ſatiſfacerent,etiam ipſum Athanaſium atrociſsimo crimine hæreſeos quidam onerarunt. Dioſcorum,qui alteri Iohanni ſucceſsit,uocarunt Iuniorem. Et quòd magis Imperatoris autoritate quàm iudicio Eccleſiæ epiſcopus eſſet factus, multi ab eo ſe ſeparauerunt. Euagrius Theodoſiũ in tempus Imperij Iuſtinianei confert: quem & dogma μονοθελητῶν unà cum Anthimo Conſtantinopolita approbaſſe ait. Atq; hunc,quemadmodum & Anthimum, eſſe ſolio deiectum: & ei ſucceſsiſſe Zoilum, Pauli nomine omiſſo. Sed uidetur in hac parte narratio Euagrij labaſcere. Cyrum epiſcopum Alexandriæ Zonara ſcribit cum alijs compluribus,ut defendentem doctrinam τῶν μονοθελητῶν,mortuum eſſe condemnatum, in Synodo coacta primùm Conſtantini Pogonati temporibus, & poſtea abſoluta cum Iuſtinianus filius illi ſucceſsiſſet. Atq; ait Zonaras, tum Alexandriam & Hieroſolyma epiſcopos ſeu patriarchas non habuiſſe, occupatis illis urbibus à Saracenis: ut Nicephorus ultimũ continuata ſerie Petrum nominaſſe uideatur. Sunt aũt tẽpora hæc ſecuta Imperiũ Heraclij: ac fortaſſe incidunt in Imperium Conſtantis, qui Conſtantini fuit filius, Heraclij nepos,patris nouerca cum filio Heraclona eiecta factus Imperator, Anno Chriſti circiter 644. Neq; quid nos expoſitis adderemus reperimus, & narrationem hoc loco non putauimus exquirendam eſſe longiorem.

EPISCOPI ANTIOCHIAE
NVMERATI ET NOMINATI
à Nicephoro.

PRIMVS,Petrus apoſtolus,ann.11. II·Euodius,an.23. III·Ignatius,Deo plenus, martyr factus Traiani temporibus,an.4. IIII·Heron,an.20. V·Cornelius, ann.13. VI·Heros,ann.6. VII·Theophilus, ann. 13. VIII·Maximianus,ann.13. IX·Serapion, ann. 25. X·Aſclepiades,ann.9. XI·Philetus,ann.8. XII·Zebinus, ann.6. XIII·Babylas, martyr factus temporibus Decij,ann.13. XIIII·Fabius, ann.9. XV·Demetrianus,ann.4. XVI·Paulus Samoſatenſis,ann.8. XVII·Domnus,ann.2. XVIII·Timæus,ann. 10. XIX·Cyrillus,ann.15. XX·Tyrannus,ann.13. Hactenus alieni Imperatores fuere à Chriſtiana doctrina, & hanc colentibus infeſti. Poſtquam autem eſſe Imperatores Chriſtiani cœperunt,hi nominantur. XXI·Vitalis,ann.6. XXII·Philogonius, ann.5. XXIII·Paulus,ann.5. XXIIII·Euſtathius, qui fuit in prima ſynodo Nicena primarius. Idem eijcitur ab Arianis, ann.18. Poſt quem præſederunt Ariani. XXV·Eulalius,ann.3. XXVI·Euphronius, an.8. XXVII·Phacellius, cuius tempore celebrantur encænia eccleſiæ magnæ Antiochiæ, an.12. XXVIII·Stephanus, an.3. XXIX·

Leontius,

Leontius,ann.8. XXX·Eudoxius,ann.2. XXXI·Ananius,ann. 4. XXXII·Meletius confeſſor, expulſus à Valente, ann.25. XXXIII·Euzoius Arianus, ann.* XXXIIII·Meletius rurſum, cum affuiſſet in cõuentu ſecundæ ſynodi Conſtantinopoli. XXXV·Flauianus,ann.20. XXXVI·Porphyrius, ann.* XXXVII·Alexander,ann.* Theodotus,ann.4. XXXVIII·Iohannes, qui fuit in tertia ſynodo Epheſi,ann.18. XXXIX·Domnus, in altera ſynodo Epheſi inſidioſa,ann.8. XL·Maximus, præſens in ſynodo Chalcedone, quæ quarta numeratur. hic expulſus fuit ob lapſum, ann.4. XLI·Baſilius,ann.2. XLII·Acacius,quo præſidente urbs corruit, ann.1. XLIII·Martyrius,an.13. XLIIII·Iulianus, an.15. XLV·Petrus Fullo,eiectus à Zenone,ann.3. XLVI·Iohannes,eiectus poſt menſes tres. XLVII·Stephanus,an.3. XLVIII·Stephanus alius, ann.1. XLIX·Calaudion,an.4. L·Petrus Fullo rurſum,*. LI·Palladius,ann.10. LII·Flauianus,expulſus ab Anaſtaſio Imperatore,an.7.**. LIII·Paulus eiuſdem tempore,ann.3. LIIII·Euphraſius, oppreſſus ruina urbis,an.5. LV·Euphraimus, tempore Iuſtiniani,ann.18. LVI·Domnus,ann.14. LVII·Anaſtaſius,ann.11. LVIII·Gregorius, ann.24. LIX·Anaſtaſius iterum, ann.6. LX·Anaſtaſius alius,ann.9.

APPENDIX.

EPiſcopos Antiochiæ, Patriarchas etiam nomine ſplendidiore appellarunt. De Petro autem apoſtolo ſciunt omnes, quibus hiſtoria curæ eſt, tradi illum Antiochiæ præſediſſe,conſtituentẽ Eccleſias in Aſia: & poſtea ueniſſe Romam. Ignatius à Græcis plerunq; θεοφόρȣ epitheto ornatur: id interpretati ſumus, Deo plenus. Mirificè enim prædicatur pietas,& in confitenda ueritate conſtantia atq; robur illius. Eundẽ & θεῖον ſæpe uocarunt, quemadmodũ ſuprà eſt indicatum. ubi & uocem illius, quam crebrò uſurpaſſe perhibetur, retulimus, ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσαύρωται: ſibi in memoriã reuocantis ingentem amorem filij Dei, quo impulſus hic, tam ignominioſæ mortis ſupplicium pro genere humano perpeſſus eſſet. Legitur hoc dictum in epiſtola ipſius ſcripta Romanis,& refertur à Dionyſio in libello De diuinis nominibus. Fuit autem Antiochea Romam perductus manu militari, itinere difficili & moleſto, cum multa indigna perpeti cogeretur: & Romæ deinde obiectus beſtijs. Huius inſtitutum eſſe Socrates ſcripſit libro VI, Cantum hymnorum qui alternis celebraretur: Græci ἀντιφώνȣς ὕμνȣς appellant, cum quodam tempore uiſus ſibi eſſet uidere & audire angelos hoc modo Dei laudes concinentes. Heros erat apud Nicephorum ἥρων, Eron, ἀπὸ τȣ͂ ἥρος, ut κλέων ἀπὸ τȣ͂ κλέȣς. Heros autem eſt ſcilicet ἥρως: qui ſi eſſet ἔρως, detrahi aſpirationem oporteret. Theophilum VII epiſcopum eccleſiæ Antiochenæ, tradidere quidã eum eſſe cui ſua ſcripta dicauit Lucas euangeliſta, primarium ciuitatis illius uirum. Babylas uel Numeriano uel Decio obſtitit, irrumpenti in templũ: cuius iuſſu interfectus eſt, unà cum

n 4 alijs.pro-

aliꝭ.productus ad ſupplicium uinctus catenis, eas ſecum ſepeliri petijt. Corpus huius
aliquando ſub urbe in luco cui nomen Daphne ſitum, Iuliano Imperatore iubente
in urbem translatum fuit. Paulus Samoſatenſis,renouator impiæ ſententiæ Ar
temonis, negantis ueniſſe filium Dei in hunc mundum, & factum hominem, &
Chriſtum eſſe Deum,temporib. Aureliani Imperatoris damnatus eſt: de quo extat
hiſtoria apud Euſebium libro VII. Huic remoto ſurrogatus fuit Domnus, Deme-
triani filius,qui ante Paulum epiſcopus fuerat. Alienos à Chriſtiana religione
Imperatores, ἐθνικοὺς *uocarunt, & infeſtos Chriſtianis* διώκτας. *Euſtathius*
primarius in prima Synodo Nicena,eſt Nicephoro κωρυφαῖος*: qui & ad Conſtan*
tinum Imperatorem tum uerba fecit, ut refertur à Theodoreto, illum Magni ap-
pellatione ornante: primus in ea ſerie epiſcoporum,quæ præſentis Imperatoris latus
ſpectaret dextrum, quemadmodum apud Euſebium legitur. Succeſſiſſe Euſta-
thium Philogonio, ſcripſit Theodoritus: & Paulum omiſit. Sed huius epiſcopi tem
poribus horribile diſſidiũ extitit. Eſtq́ narratio de hoc uiro cùm per ſe digna quæ ex
plicetur, tum ſubiectura legentibus cogitationes utiles in ſimilium caſuum animad
uerſione. Quid enim conducat,aut noceat,de propoſitis exemplis rectiſſimè perſpici-
tur. Nos igitur quæ paſſim de his reb. extant,collecta breuiter commemorabimus.
Editum decretum Nicenæ Synodi nonnullos pios & ueritatis amantes epiſcopos ſo-
licitos habebat: non aduerſantes illos quidem ſententiæ,ſed qui uerborum nouitate
offenderentur. Nam quid ſignificari uellent decreti autores nomine ὁμοουσίου, *quæ-*
rebatur. Et uerebantur quidam,ne hoc nomine Sabellij impia doctrina renouare-
tur. Ambiguè etiam poni id uidebatur, quo damnarentur perhibentes ἐξ ἑτέρας
ὑποστάσεως ἢ οὐσίας, *filium. Fuerat Sabellius Afer autor impij dogmatis, quo*
confunderentur ὑποστάσεις, *quas perſonas Latini uocarunt,ijs ferè temporibus*
quibus Nouatus peccando lapſos ad cõmunionem Eccleſiaſticã recipiendos eſſe nega
bat. Hoc alienũ penitus à Chriſtianiſmo dogma,Baſilius ἰουδαϊσμὸν παρεφθαρμέ-
νον *appellari poſſe cenſet: id eſt,deprauatã doctrinam,ſeu ſectam Iudaicã. Idq́ qua-*
ſi aſſereret, crimen eiuſdem Baſilij ætate ſubijt Marcellus, Ancyræ in Galatia epi
ſcopus: qui propter eam ſuſpicionem dignitate epiſcopi priuatus, poſtea, admiſſa
defenſione eius,eandẽ recepit.ut narrat Sozomenus lib. II. Erat ijs temporibus inter
eos celebris,qui ingenij & doctrinæ cultu cæteris præſtare credebantur, Euſebius Cæ
ſareæ in Paleſtina epiſcopus: & propter eruditionẽ literarũ & uitæ honeſtatem Im
peratori Conſtantino ualde carus. Is cùm ſignificationẽ nominum illorum explicari
oportere diceret, ne nouis erroribus cauſſa daretur, à maleuolis exagitabatur, ut
Arij dogmati aſſentiens, aut etiã multitudinẽ Deorum introducens, neq́ autorita
tem Nicenæ ſynodi defendens. Hanc accuſationẽ Euſtathius hic urgebat in primis.
Euſebius contrà,neq́ recedere ſe aiebat, à decreto Nicenæ ſynodi: & ab eorum opi
nione eſſe alieniſſimum,qui filium Dei non natura Deum, aut creatum,auderent
dicere: Sed non pati tamen poſſe,ambiguis uerbis ueritatem rerum diuinarum con
fundi,ne quis ad Sabellij & Samoſateni impietatem referatur. Hæc Euſebij uel di-
ligentia uel curioſitas, utriq́ eum parti inuiſum reddidit. Et non dubitarunt ali-
qui ipſum δίγλωσσον, *quaſi bilinguem dicas,appellare: quòd modò hoc,modò illud*
loqui

loqui ſoleret. Fuiſſe, ait Socrates, negotium iſtud non diſsimile prælio nocturno, quo conflictum ſcilicet inexploratum eſſe oportet. Nam apparebat, inquit, non intelligere pleroſq; ea, propter quæ alijs maledicebant. Qui enim uerbum ὁμοούσιον uitabant, ij uſurpantibus hoc crimini dabãt, quòd approbarent Sabellij & Montani dogma: & eam ob rem grauiſsimo nomine blaſphemos uocabant, quaſi filij Dei ὕπαρξιν tollerent: id eſt, reuera eſſe filium Dei non faterentur. Verùm altera pars uerbo ὁμοούσιον inhærens, quòd hoc quaſi declinantes, multitudinẽ Deorum Græco ritu uiderentur introducere, ab his ſeparabantur. Tum igitur Euſtathius Antiochenus obtrectare Euſebio Palæſtino, & exprobrare dogma Arij: Euſebiuſq; uiciſsim reprehendere Euſtathium, ut Sabellianum. Suntq; tum utriuſq; ſcripta defenſionis inſectationiſq; mutuæ edita, tanquam aduerſariorum. Cumq; aſſererent ambo ἐνυπόστατόν τε καὶ ἐνυπάρχοντα filium Dei eſſe, itemq; Deum unum in tribus perſonis confiterentur, neſcio quo pacto, inquit Socrates, concordare non potuerunt, & ideo nullo modo quieſcere uoluerunt. Quas autem perſonas appello, eas Græcis eſſe ὑποστάσεις, non eſt obſcurum, neq; dubium. ἐνυπόστατον autem, & ἐνυπάρχοντα, ſingulis uerbis latinis interpretari poſsit nemo: & ſi quis conetur, is, ut malis & nihil ſignificantibus uerbis, legentibus audientibuſ; ue obſtrepat, nihil tamen attulerit quod mens attenti hominis intelligat: cum periculum interim ſit, ne cæteri ex eo ipſo occaſionem erroris arripiant. Sed explicare Græcorum uerborũ ſignificationem ſic fortaſſe liceat, ut ἐνυπόστατον dicatur, id quod reuera, non cogitatione tantum eſſe demonſtretur. Vt ſæpe aliquam imaginem exprimit animus, aut ſpecies inanis offertur, quæ ſunt ἐννοήματα, ſeu ἐννοήσεις, & ἐμφάσεις: qualia ſunt, concepta animo, & apparentia in ſpeculis. Qui igitur ἐνυπόστατον confeſsi fuere filium Dei, reuera eſſe hunc, quod placuit Latinis perſonæ nomine indicari, ſtatuerunt. ἐνυπάρχοντα autem eundem perhibuerunt, aſſerentes non ſeparari natura filium Dei à patre, neq; habere rationem acceſsionis & diſceſsionis, quod eſt συμβεβηκός: ſed eſſe uerè filium Dei æternum patris æterni τῇ οὐσίᾳ, id eſt natura, & ipſum Deum, cum tamen proprietate ὑποστάσεως à patre diſtinguatur. Quæ pietatis ſtudium & cautè enunciari, & religioſe cogitari debere nouit. Ob iſtas autem̃ controuerſias ſynodo coacta Antiochiæ, Euſtathius remouetur. Neq; cauſſæ, cur remoueretur, planè expoſitæ fuerunt. Id quod & in alijs factum deprehenditur, ut accuſaretur aliquorum impietas: ſed quid impietatis eſſet, non explanaretur. Traditum tamen eſt, accuſatum à Cyro epiſcopo Berrhææ fuiſſe Euſtathium Sabelliſmi: cum tamen hic Cyrus poſtea eandem ob cauſſam ſuum quoq; ſolium amiſerit. Putat igitur Socrates, alias ob cauſsas remotum fuiſſe Euſtathium. Theodoritus ab Euſebio Nicomedienſi & Theogonio Niceno ſubornatam narrat mulierculam, quæ infantem præferens, iureiurando affirmaret, patrem illius eſſe Euſtathium. eamq; poſtea in morbo confeſsam, uerum quidem ſe iuraſſe uerbis, ſed Euſtathium patrem pueri non eſſe epiſcopũ, quòd hoc nomine faber quidam illum ſuo concubitu ſuſcepiſſet. Idem Theodoritus onerat ſuſpicione Euſebiũ Palæſtinum, quaſi conſcius fuerit inſidiarum iſtarum. qui tamen de his negotijs ita mentionem fecit, ut accuratè uitarit, ne ullius nomini maculam ignominiæ aſpergeret. Euſtathius

thius quidem tum & dignitate epiſcopi priuatus, & ab Imperatore exulare iuſſus fuit. Sed hic Iouiano Imperatore facto, cum ab exilio rediiſſet, & temporibus Imperatoris Valentis clam degeret Conſtantinopoli, ibiq́ Euagriū feciſſet patriarcham, relegatur à Valente Bizyen, in Thracia ſitam. Philippus tamen in Macedonia & mortuum eſſe, & exulaſſe, in Epitoma illa mutila legitur Theodori Anagnoſtæ. Et ſunt oſſa illius inde poſtea relata à Calandione epiſcopo, cum hic ut liceret à Zenone Imperatore impetraſſet. Euſtathius fertur caſum iſtum æquiſſimo animo tuliſſe, neq; refragando motuum uoluiſſe eſſe autor: quamuis à multis inſtigaretur, ut iniuriam ulciſceretur, neq; inimicorum improbitati cederet. Sed nihilo minus ipſo exulante horribiles ſeditiones fuere excitatæ: ad quas ſedandas, & literas & præfectum cum militibus Imperator miſit. Sciſſa erant ſtudia in partes duas: una poſtulante Euſtathium reſtitui, qui ab illo Euſtathianos ſe nominarunt, & in ſeparatione perſeuerarunt annis (ut Theodoritus ſcripſit) LXXXV. altera pars uiſa fauere Arij ſectæ, Euſebium Palæſtinum epiſcopum creari contendit. Sed ille ad Imperatorem literis miſsis, cùm recuſauit munus illud, tum docuit contrariam rem eſſe diſciplinæ Eccleſiaſticæ, relinqui unius eccleſiæ ſolium, & alterius occupari. Cui Imperator reſpondit grauiſſimè ſimul & humaniſsimè, hoc modo, quemadmodum Græca nos ſumus interpretati: Victor Conſtantinus, Maximus, Auguſtus, Euſebio. Tuam epiſtolam penitus perlegi: & Regulam eccleſiaſticæ diſciplinæ accuratè eſſe ſeruatā intellexi: atq; te perſeuerare in iis quæ & Deo placere, & Apoſtolicæ traditioni conſentanea eſſe uideantur. Sanè debes te hac quoq; in parte beatum ſtatuere, quem totius orbis terrarum, ut ſic dicamus, teſtimonium iudicauit dignum, qui præfici cuilibet eccleſiæ epiſcopus poſſet. Si enim uniuerſi tuam præſentiam coniunctionemq́ expetunt, nimirum communiter illi hanc tuam felicitatem ſine controuerſia augent. Verùm ſolertia tua, ſiquidem decreuit mandata Dei & Apoſtolicam eccleſiaſticamq́ Regulam cuſtodiendam eſſe, perquàm rectè fecit, quòd epiſcopi munus in eccleſia Antiochiæ recuſauit, ſtudens permanere in illa cuius primum epiſcopi munus Dei uoluntate tibi obuenit. Atq; de his epiſtolam miſimus ad populum, itemq́ ad alios tui ordinis, qui ipſi de iiſdem rebus mihi ſcripſerant. Eam tuus candor legens, facile intelliget, me ad illos, reclamante eis iuſticia, inſtinctu diuino iſta perſcripſiſſe. Quorum conſilio tuam etiam ſolertiam intereſſe oportebit, ut hæc per eccleſiam Antiochenorum conformentur. Deus te conſeruet, frater dilecte. De his altera exponitur ab Euſebio epiſtola, ad epiſcopos cæteros: cuius interpretationem addendam eſſe non putauimus. Extant autem hæc in libro illius III, de Conſtantino Imperatore. Eſtq́ à me alibi indicatum, quædam ab Euſebio Palæſtino ſcripta eſſe de quæſtione tum agitata, minus diſertè. Siue per imprudentiam autem, ſeu conſultò hoc factum ſit, læſa eſt fama nominis ipſius, & crimen ei illatum erroris Arij. De quo Zonaras in Conſtantino, de ipſius ſcriptis protulit eiuſmodi quædam, quæ rectè intellecta, nō perperā facta eſſe uideri poſſint. Eſt autem mirifica res beneuolentiæ & maleuolentiæ, ſeu amoris & odij inclinatio & impulſio. Sine cauſſa etiam interdum manifeſta, propendente affectione, & uni cupiente magis quàm alteri, ſecundum animi uim appellatam à quibuſdam

ἐθελου-

ἐπίκλισιν, quæ intelligitur animi fortuita in hanc aut illam partem procliuitas. Sed exacto Euſtathio, fertur annis deinceps octo ſolium eccleſiæ Antiochenæ uacuum fuiſſe. Tandem, ut Theodoritus ſcripſit, Euſtathio ab aduerſarijs ſuffectus eſt Eulalius. Qui cum non diu præſediſſet, & Euſebius ſuam eccleſiam, quemadmodum eſt dictum, nollet relinquere, antiſtitem fecerunt Euphronium. Quo poſt annum unum & paucos menſes mortuo, Placentius gubernationi illius eccleſiæ præfectus eſt. Cum autem hi omnes Arij ſententiam defendere uiderentur, plurimi communionem ipſorum fugerunt: qui Euſtathiani, ut diximus, ſunt appellati. Ita fermè Theodoritus: cum Euphronio tribuat annos 8 Nicephorus, & Phacellium nominet eum quem Theodoritus Placentium, qui & alijs & Socrati eſt Placitus, à quo etiã narratur Antiochenæ ſynodi occaſio celebrandi encænia Antiochiæ eccleſiæ. Atq; uocarunt ἐγκαίνια, inſtaurationis & renouationis celebritatem & ferias: poniturq́; nomen hoc in Euangelica hiſtoria Iohannis. Sed encæniorum iſtorum feſto cum conueniſſent epiſcopi non pauciores x c, de dogmate etiam & alijs negotijs eccleſiaſticis tractatũ eſt: perſcriptaq́; forma confeſſionis Chriſtianæ, & ipſa à Socrate expoſita. ad quã poſtea ſæpe diſputationes inſtitutas plurimi reiecerunt. Quòd autem ὁμοουσίας nomen tum uſurpandum non putarint, à pleriſq; omnia improbata fuerunt acta & ſcripta in illo conuentu: cum dogma perſpicuè explicatum eſſe uideatur. Sanè ſi pertinacia quadam inſolentiæ repudiarunt uſum uerbi illius, quamuis ſententia de dogmate impia non fuerit: tamen reprehendendos illos aliquis exiſtimare poſſit. Quid enim turbarum & odiorum & diſtractionum poſtea ſecutum ſit, ex hiſtorijs cognoſcere licet. Mirum autem eſt, in eos qui flagitijs libidinum polluiſſent corpus ſuum, ſeueras leges in Eccleſia fuiſſe: cum maleuolentiæ & inuidiæ & obtrectationum & æmulationum animaduerſio nulla extaret, quibus ipſis animus, multo quàm corpus nobilior, turpiſſimè contaminatur. Socrates ſcripſit, iſta encænia celebrari cœpta annis v poſt mortem Conſtantini Magni, Coſſ. Marcello & Probino. Mortuum autem Conſtantinum Coſſ. Feliciano & Tatiano, anno ſecundo Olympiados C C L X X V I I I. Quæ ab editis temporum indicijs nonnihil diſcrepant, & anticipant annos circiter I I I. Stephanũ & crudelem & malitioſum & audacẽ, patefactis fraudibus ipſius & ſceleribus multis atq; grauibus, ne ſua quidem factio retinere ſtuduit. Huic ſucceſſit Leontius, contra Canonem perſcriptum Nicææ, iubentem ut is qui ſanus ſe caſtraſſet, inter clericos amplius non cenſeretur· εἴ τις, inquit, ὑγιαίνων ἑαυτὸν ἐξέτεμε, τοῦτον καὶ ἐν τῷ κλήρῳ ἐξεταζόμενον πεπαῦσθαι προσήκει. Nam Leontius ſeſe exciderat, quo liberiore conſuetudine cuiuſdam fœminæ, Euſtoliæ nomine, uti liceret. Etſi ne ſic quidem ſuſpicionem turpitudinis effugit. Hunc callidum & ueteratorem & fraudulentũ mirũ in modum fuiſſe accepimus: atq; tegendo ſimulandoq́; & diſſimulando cauiſſe, ne partium ſtudijs turbæ pernicioſæ excitarentur. Solebant Ariani in ſolenni doxologia uitare coniunctam commemorationem patris & filij & ſpiritus ſancti, atq; hanc ſic pronunciare, δόξα πατρὶ διὰ υἱοῦ ἐν ἁγίῳ πνεύματι. quibus uerbis gloria tribuitur patri per filium in ſancto ſpiritu. æqualem enim patri filium & ſpiritumſanctum non confitebantur. At Leontius, quoties publicè doxologia pronuncianda eſſet, cætera

eſſet, cætera ſic ut exaudiri non poſſent proferebat, clauſulamq́; tantum clara uoce addebat, εἰς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Fouebat hic Aetium, quem ἄθεον appellarunt, magiſtrum Eunomij. Eumq́; propterea quòd nimis ſubtiliter & acute diſſereret de dogmate, neq; quid ſibi uellet à pleriſq; intelligeretur, cum & Arij factio excluſiſſet, quamuis reuera concordem: iactauit ipſe, ſe illos deſeruiſſe, ut minus fortiter dogma defendentes, & ſectam inſtituit ſui nominis Aetianos. qui, autore repulſo, nomen amiſerunt: & Eunomiani ſunt dicti, ab Eunomio diſcipulo Aetij. Erat illis temporibus omnium contentionũ occaſio ὁμοουσίου uerbum, item οὐσίας & ὑποστάσεως. Quæ improbantes, & eſſe ignota illa populo dicebant, neq; in ſacris literis uſpiam extare. Cur autem propter uſum ambiguorũ & obſcurorum uerborum, ſi rerum ueritas teneretur, ſcindi Eccleſiam aliquis oportere putaret, cauſſam non uideri. Veteres pio ſtudio illa in decreto perſcribenda curaſſe: cum autẽ manifeſtum fiat, quid diſputatio de illis turbarum commouerit, & quas plagas impegerit Eccleſiasticæ rei: ſimiliter pio ſtudio decerni poſſe, ut rixarum & diſceptationum diſſidijq́; cauſſæ tollantur, & conſentiatur de dogmate, explicato ijs uerbis quæ in ſacra Scriptura reperirentur, neq; eſſent ambigua, Similem nimirum eſſe patrem filio: & quæ addiderunt cætera. Quæ cum Imperatori Conſtantio, cupidiſſimo concordiæ & pacis ac quietis eccleſiarum, magnopere probarentur, cœpit ille ſuſpectus eſſe propugnantibus pro uerbo ὁμοουσίου, quaſi faueret ſectæ Arij. Quo nomine & Liberium Romanum epiſcopum infamarunt, tranquillitatis reſpectu & temporis cauſſa aliquantulum dantem ſe Imperatori, cui paulo antè eſſet acerrimè aduerſatus. Erat autem acerbitas & alienatio animorum, nulla medicina ſanabilis, quæ odiorum maleuolentia & ſuſpicionum peruerſitate alebatur: accedente in quibuſdam & ambitione & pertinacia infinita, in quibuſdã ſuperbia quoq;. Quinetiam diſſenſiones Eccleſiaſticæ Rempublicam diſtrahebant: confugientibus Arij ſectæ inimicis ad Conſtantem, fratrem Conſtantij, & illius potentiam atq; arma concilian tibus cauſſæ. Quem eò etiam perduxerunt, ut bellum minaretur fratri Conſtantio, niſi expulſos epiſcopos propter dogma, recipere ſua ſolia pateretur. His Imperatoris Conſtantij animum exulceratum fuiſſe, quis miretur? Sed qui non paterentur induci uerba indicata ὁμοουσίου, itemq́; οὐσίας καὶ ὑποστάσεως, illaq́; explicari poſtularent, & utendo teri, reddiq́; conſueta, ij non modò nitebantur autoritate Synodi Nicenæ, in qua tot & tales ac tanti uiri præſtò fuiſſent, & conſenſiſſent de dogmate, & ſententiam ueritatis iſtis uerbis demonſtrandam putaſſent: uerùm hunc etiam morem nullo modo arbitrabantur introducendum, ut uni aut alteri liceret, ſi quid minus fortè in decreto publico ipſi arrideret, ſtatim illud in quæſtionem uocare, & nouam deliberationem uelle inſtitui, & priora mutari. Quando enim finem controuerſiarum fore ſperandum ſit, ſi conſulta non eſſe rata firmaq́; debeant? Aut quando non inuenerint callidi & turbulenti uerbum aliquod, quod uel notare, uel exagitare etiam poſſint? Nihil autem tam abſurdè proferri, quod non inueniat aſſentientes. plures enim ſemper reperiri mobiles & leues, quàm graues atq; conſtantes. Accedebat huc diffidentia pernicioſa. Quicquid enim proponeretur, in illud aduerſarij inquirere, & modò hoc modò illud carpere, non ut ueritas aſſereretur, ſed

ut quod

ut quod alijs placuiſſet euerteretur. Ita undiq; infeſta erant alienatis animis & uoluntatibus aduerſis diſputationes. Qui autem uerba decreti Niceni defendebant, ij ideo etiã pertinaciores erant, quòd aduerſarij doloſe & fallaciter multa agere deprehenderentur. Nam & illud ὅμοιον, quod cogebãtur retinere, perperam interpretabantur: & quam δοξολογίαν Græci uocant, eam finiebant clauſula diſſentiente, mutando coniunctionis particulam, ut ſuprà meminimus. Et baptiſſantes, non ſeruabant conſuetudinem antiquitatis, ut ter in aquam eos qui baptiſſabantur, immergerent. Quibus omnibus abhorrẽs opinio, & occulta malicia detegi atq; prodi uidebatur. Itaq; Baſilius pacis & concordiæ amantiß. ſcribit ſe admittere hæc uerba de filio, ὅμοιος κατ' οὐσίαν, ut ſimilis patri ſecundum naturam perhibeatur: ſed ita, ut omnino addatur ἀπαραλλάκτως, quo excludatur diuiſio & diſſimilitudo & diſcrepantia naturæ prorſus. Nam ſolum nomẽ ſimilitudinis, quo uſi eſſent qui Conſtantinopoli conueniſſent, ambiguitate non carere. hæc in quadam illius ad Maximum philoſophum epiſtola leguntur. Erat etiam huius factionis ſæuitia & crudelitas ingens, quibus illa apud religioſos reddebatur inuiſior. Cum interea horum aduerſarij qui ὀρθοδόξων καὶ καθολικῶν appellationem uendicabant, liberrimè contradicerent & repugnarent, neq; Imperatori neq; ulli alteri cederent: & hoc facientes, tanquam aſſentatores & futiles reprehenderent. In qua parte haud ſcio an perſona aliqui eximia ſacerdotalis excellentiæ, interdum ad elationẽ ſuperbiæ abuſi, credi poſſe uideantur. De quo, cum ſint in medio multa, unum memorare placuit. Fuit his temporibus epiſcopus Tripolitanus in Lydia, Leontius, gentis Myſæ ad Danubium, uir natura uehemens & durus, & admodum ſeuerus: uita autem & moribus integer & honeſtus, adeò ut Regula eccleſiæ appellaretur. Erat nupta Conſtantio Euſebia: cui præſenti, epiſcopi cæteri eum honorem habere ſolebant, ut illam tanquam Auguſtam uenerarẽtur uerbis & geſtibus tunc uſitatis. At ſolus Leontius hoc facere recuſans, ne accedere quidem illam uoluit. Mittit igitur Auguſta ad Leontium, qui & expoſtulent cum eo, & hortentur ut Auguſtam adeat, præmiorum quoq; templi extruendi facientes mentionem. Quos Leontius renunciare Auguſtæ iubet: Si quid Auguſta eccleſijs benefacere uelit, id non tam ſibi quàm illi profuturum. Se autem non aliter ipſam acceſſurum eſſe, quàm ſi debita reuerentia Epiſcopo cum uerecundia adhibeatur: ita ut introeunti Epiſcopo Auguſta ſurgens procedat uerecundè obuiam, & caput ſubmittat manibus epiſcopi, inclinatum ad preces. Deinde, inquit Leontius, ubi ego aſſedero, illa ſtabit cum reuerentia: neq; prius conſidet, quàm ego ſignum dedero. Atq; his legibus ſum acceſſurus. Alio pacto me non attrahet, neq; policitando, neq; minando. Non enim minuendo dignitatẽ Epiſcopi, in Deum propter illam contumelioſus ſum futurus. Tulit hoc indignè Auguſta, & tanquam de atroce iniuria querelas ad Imperatorem detulit. Qui uerbis illam placatam dimiſit, reipſa libertatem epiſcopi approbans. Quodam autem tempore in concilio præſente Imperatore, & diſſerente de doctrina, & quæſtiones difficiles diſputante, & definiente conſtituenda, cæteris plerisque partim illi aſſentientibus, partim effuſe eum laudantibus, ſolus Leontius tacuit. Rogat igitur Imperator, quæ ſilentij cauſſa ſit. Ibi Leontius, admirationem eſſe

reſpondet. Cuius rei, aut quæ nam? inquit Imperator. Quòd tu, inquit Leontius, cum alia mandata tibi ſint quæ exequaris, alia aggrederis: præfecturáque Reipubl. in pace & bello gubernandæ, ea tractare ordinaréque conaris, quæ ad Epiſcoporum conſiderationem & curam tantum pertinent. Ob eam libertatem tantum abfuit ut epiſcopo ſuccenſeret Imperator, ut poſtea etiam in talibus congreſſibus multo cautior fuerit. Hæc ſanè, ut fortè in uno ferri poſſint, non tamen etiam ad omnes pertinere exiſtimandum. Neque ſi quis, ut olim Socrates, præſtans ſapientia & uirtute aliquid dixit & fecit confidentius, idem ſibi unuſquiſque ſtatim licere arbitrabitur. Sed reuertamur ad propoſitum. Erant diſſenſiones illis temporibus magnæ & tumultuoſæ: compluribus uim ingenij & ſtudia induſtriæ oſtentantibus in iis enarrandis, quorũ intelligentia ſola eſt aſſenſionis ſimplicis atque fidelis. Aſſumebantur aũt ab iis qui eruditiores haberi cupiebant, dialectices argutiæ, & concluſionũ ſubtilitates: quibus non tam explicabantur dubia, quàm ſerebantur lites. Tanta autem erat in nonnullis arrogantia, ut aliis aſſentiri puderet, uolebantque ipſi celebrari dogmatum autores. Itaque ueterum ſcripta contemnere ſolebant: neque ſi quando inſpicerent, aliud agere, quàm uenari aliquid quod carperent atque refellerent. Fieri igitur aliter non potuit, quàm indies ut incommoda cumularentur, & diſſipationes fierent maiores, & moderatorum hominum piæ mentes ualde perturbarentur: turbulenti autem & ſeditioſi petulantiæ materia cupidè uterentur. Leontius, ut diximus, Antiochenus uerſutus & callidus, pati & diſſimulare multa, ne motus excitarentur. Cumque præuideret ſecuturas miſerias certaminum, paulo ante mortem demonſtrans capilli caniciem, quam niuem appellaret, fertur dixiſſe: Illa liqueſcente, magnam luti copiam fore. ſignificans tempora turbida, propter uehementiam & inhumanitatem ſucceſſorum. Fortaſſe excurrit longius quàm debuit, hac parte Appendix noſtra. Sed ſimilium rerum iis quæ motæ ſunt, quæque impendent, narrationem perſtringere, non ab re, neque inutile eſſe duxi. Eudoxius, in ſynodo coacta Seleuciæ ab epiſcopis quibuſdam remotus fuit: & illi ſuffectus Ananius. quem Eudoxii factionem ſcribit Socrates, comprehenſum tradidiſſe iis qui Imperatoris uice adeſſent, à quibus illum eſſe in exilium actum: ut indicium de annis quatuor Nicephori notandum ſit. Sed Eudoxius poſtea, Macedonio ob facinora audaciæ & crudelitatis & multiplicem importunitatem eiecto, occupauit ſolium Conſtantinopoli, relicta & Antiochia. Quare animaduerſa Antiocheni ægreferentes ſperni ſuam eccleſiam ab Eudoxio, & affectari ſublimius ſolium, Eudoxium quidem miſſum fecerunt: accerſiuerunt autem Berrhœa Meletium, qui aliquando Euſtathio Sebaſteno ſurrogatus, poſtea fuerat traductus Berrhœam in Syriam, & in ſynodo coacta Seleuciæ ſe cum Acacianis, quorum particeps & Eudoxius eſſet, coniunxerat. Sozomenus autem ſcripſit, pro Euſtathio ab Acacianis hunc Sebaſtenis datum eſſe epiſcopum, & inde Eudoxio ab eadem factione ſuffectum. Hic primùm de dogmate in concionibus eccleſiaſticis non diſſerere: & quæ ad diſciplinam honeſtatemque uitæ & integritatem morum pertinerent, tractare: poſtea tamen & dogma ὁμοουσίας aſſerere. Quo nomine ab obtrectatorib. accuſatus coram Imp. Conſtantino, iubetur relegari: & ſufficitur illi Euzoius, iam olim damnatus

cum

*cum Ario. Fuit tum res Eccleſiaſtica in tres partes Antiochiæ diuiſa. Ariani
tenebant primas, quorũ epiſcopus eſſet Euzoius. Altera factio Euſtathiana, habe
bat epiſcopum Paulinum. Tertia, quæ ſecuta Meletium fuerat, quamuis exulan-
tem, ſeparatim congregabatur. Succeßit Euzoio Dorotheus. Sed & Paulinus,
cuius ſenectã & grauitatẽ etiam aduerſarij reueriti, loco eum non mouerant, ſuorũ,
& Meletius ab exilio reuerſus ſuorum conuentus habebat: quem ab Imperatore
Conſtantio eiectum fuiſſe oſtendimus. Iuliano autem rerum potiente, ſimiliter ut
alij reuerſus, poſtea iterum exulauit Imperatoris Ualentis imperio. & Gratiani edi
cto reſtitutus eſt, quo poteſtas fiebat omnibus reuertendi ad ſuas eccleſias, excluſis
tantum Eunomij, Photini, & Manetis ſectatoribus. De Meletio memorabile eſt
quod Sozomenus retulit. Cum factio conuellens æqualitatẽ filij Dei & patris, An-
tiochiæ epiſcopum eſſe Meletium hunc iußiſſet, ut ſuæ doctrinæ aſſertorem, & hæc
opinio illos magnopere eſſet fruſtrata, quadã in concione explicante epiſcopo uerita-
tem dogmatis, & æqualem atq; ſimilem patri eſſe filium docente, accurrit diaconus;
& manibus os epiſcopi compreßit. At ille tribus digitis diſtincte erectis, & iiſdem
ſtatim contractis, & uno ſolo rurſum erecto, ita innuit ſententiam animi ſui,
quam proloqui eſſet prohibitus. Diacono autem digitos conante deprimere, remotis
ab ore manibus, rurſum oratione epiſcopus doctrinam proſequi: & Diaconus, rur-
ſum manus ad os illius admouere: & ita luctari hi, atq; pugnare aliquantiſper co-
ram omnibus. Sed Meletio, ut diximus, Antiochiam reuertendi poteſtatem na
cto, Gratiani edicto, quemadmodum demonſtrauimus, Euzoio Ariano iam mor
tuo, & in locum illius ſuffecto uel Dorotheo uel Theodoro, inter partes Euſtathij,
quæ epiſcopum habebant Paulinum, & Meletij, contentiones uehementes & atro-
cia diſsidia fuerunt. Pauliniani ſeu Euſtathiani Meletium non admittebant, tan-
quam factum epiſcopum ab Arianis. Meletij autem fautores, arreptum illum col-
locarunt in ſolio epiſcopi, in eccleſia una ante urbem. Nihil propius tum fuit, quàm
ut ſeditione orta, populus manus ſecum confereret. Sed diremptum certamen eſt, ta
li conſenſione: Ne quis omnium ad epiſcopi munus idoneus, pateretur illud ſibi man
dari, donec uel Paulinus uel Meletius ſuperſtes eſſet: utq; alter horum alteri ſuc-
cederet, & res eccleſiaſtica Antiochiæ hoc pacto rurſum coniungeretur. Hæc
pactio iureiurando confirmata fuit: interq; eos qui iurauerant, Flauianus. Sed mor
tuo Meletio in ſynodo Conſtantinopoli, & laudato oratione Gregorij Nyſſeni, qui
frater fuit Baſilij Magni, & funere Antiochiam honorificentißimè deducto, obli-
tus iuriſiurandi Flauianus, perfecit ut à ſua factione ſurrogaretur Meletio, adhuc
uiuente Paulino. quem cum & ſua factio ſequeretur, ita diſsidium permanſit. Stu-
debant autem Paulino Aegyptij, Arabes, Cyprij: Flauiano Palæſtini, Phœnices,
Syri. Ne mortuo igitur quidem paulo pòſt Paulino, Antiocheni concordarunt: ſed
partes Paulini legerunt epiſcopum ſibi Euagriũ. Qui cum nõ diu uixiſſet, Flauia-
nus per Theophilũ Alexandrinũ reconciliata gratia Romani Pontificis Damaſi,
obtinuit autoritate illius, ne alius epiſcopus mortuo Euagrio ſufficeretur: & paula
tim populum Antiochenum uniuerſum ſibi adiunxit. Non minus rixarum &*

ſeparationũ in ſecta Ariana fuit illis temporibus. Cum enim ſemel Ariani à ueritate diſceſſiſſent, falſitas quæ ab eis defendebatur, alias ex alijs, ut fit, quæſtiones pariebat. Tradebat illorum doctrina, filium Dei habere ἀρχὴν τῆς ὑπάρξεως, *id eſt, originem ante quam non fuiſſet. Non enim placet his, ex Deo patre genitum filium confiteri: ſed perhibent,* ἐξ οὐκ ὄντων *extitiſſe: id eſt, factum & creatũ eſſe. Hinc dubitatio orta, An Deo patris nomẽ congruat, antequã filius exiſteret. Non uidebatur hoc Dorotheo Antiocheno: hoc enim nomen illius legitur in hiſtoria Socratis. Quomodo enim appellabitur, inquit, pater, qui filium nõ habeat? Marinus ex Thracia accerſitus, infenſus Dorotheo, quẽ pluris fieri quàm ſeſe doleret, cõtrà diſputare, & patris appellationẽ nullo modo eſſe detrahendã Deo aſſerere. Hinc ſciſſæ ſententiæ & uoluntates: alijq́; Dorotheũ ſecuti fuere, & alij Marinũ. Eſtq́; Marini factioni nomen factũ Pſathyrianorũ, à quodã Theoctiſto Syro, patria Pſathyropolita, qui præ cæteris uehemẽter diſputaret & defenderet patris de Deo appellationẽ. Poſtea tamen annitẽte Plinta, qui dogmati faueret, contentionib. finis impoſitus eſt: & decretum, ne unquã ab ullo mentio fieret quæſtionis iſtius, quæ diſſidij fuiſſet cauſſa. Sed ad nomina epiſcoporũ reuertamur. Meletius igitur in ſecunda œcumenica Synodo coacta Conſtantinopoli Imperatore Theodoſio Magno, cum Gregorij Nazanſeni gratia eò ueniſſet, mortuus eſt, ut diximus. Gregorio aũt cum lis intenderetur de munere patriarchæ, ceſſit ille uolens, & beneficiũ eſt illam maleuolorũ iniuriam interpretatus: ut quadã epiſtola etiã ipſius ad Sophroniũ ſignificatur, in qua præclara ſentẽtia hæc ponitur·* πολλά δεῖ καὶ ἀδικεῖσθαι δοκοῦντας εὖ πάσχειν. *nam quo inimici ſe putarent lædere Gregoriũ, ipſe eo facto bene ſecum actũ eſſe cenſet. In iſta ſynodo Antiochenæ eccleſiæ* πρεσβεῖα, *qui principatus quidã intelligendus eſt, quorũ Nicena ſynodus meminiſſet, cõfirmata ſunt. De Flauiano quod Sozomenus narrat, referendũ putaui. Eo tempore quo Eugenius bellum graue & periculoſum cõmouit, cœpit pecunia Imperator Theodoſius defici. Plus igitur exigere inſtituit undiq́;, quàm antea contributũ fuerat. Eam rem Antiocheni ita indignè tulerunt, ut & uerbis contumelioſis debaccharentur in Imperatorẽ, & ſtatuas tam ipſius quàm Auguſtæ euerterent. Mox furore iracundiæ tanquam tempeſtate mitigato, pœnitere eos commiſſorum, & intelligere in quod diſcrimen coniecta eſſet ciuitatis ſalus: deplorare igitur temeritatem, & confiteri delictum: & cum lacrimis ac eiulatu implorare Deum, ut leniret Imperatoris animum: & preces illas miſerabilibus modis decantare. Flauianus epiſcopus in illo periculo non ſubtraxit opem ciuibus ſuis: & profectus ad Imperatorem, deprecando conatur eum placare. Cum uerò parum ſe proficere ſentiret, & atrocem pœnam meditari Imperatorem animaduerteret, neq́; interpellare ipſum amplius auderet, & angeretur reſpectu ciuitatis ſuæ, tale cepit conſilium. Solebant ſymphoniaci pueri ad epulas accinere aliquid, ut Imperator exhilararetur. Impetrauit igitur ab ijs, quorum curatio illa erat, ut pueros Antiochenarum ſupplicationum carmina decantare paterentur. Quæ audiens Imperator, tanta miſericordia affectus fuiſſe perhibetur, ut pateram, quam fortè manibus tum teneret, lacrymis profuſis rigaret. Et*

mox

mox indignatione omni depoſita, ueniam Antiochenis dedit. Non alienum duxi, in mentione Antiochenorum antiſtitum, addere his narratiunculam eiuſdem Sozomeni. Ait enim famam fuiſſe, ea nocte quæ ſeditionem illam anteceſſerat, uiſam in regionibus urbis ſublimem ſpeciem mulieris magnitudine ingentis, & figura horribilis, quæ loris aerem uerberans, tales ederet ſtrepitus ac ſonos, qualibus inſtigari feræ in theatris conſueuiſſent. Sequuntur Flauianum. Porphyrius & Alexander: quorum anni deſiderabantur in Græco libello. id quod ſignis appoſitis notauimus. Neq; admodum multos hos fuiſſe crediderim. Poſt hos Theodotus nominatur. Et hunc ſequitur Iohannes, qui fuit in tertia Oecumenica ſynodo, à Theodoſio minore coacta Epheſi, poſt Conſtātinopoli celebratam annis circiter 40. Atq; hic Iohannes Cyrilli & conſentientum nimis acceleratas actiones reprehendens, & grauiter eos tanquam pernicioſorum motuum autores accuſans, primùm refragari illis, & ſe aduerſarium præbere non dubitauit. Mox tamen reconciliata inter ipſos gratia, decreta ſynodi approbauit. Fuit tum, quemadmodum iam dictum eſt, execratione condemnatus Neſtorius: quem pleriq; omnes detraxiſſe naturam diuinam Chriſto affirmant, cum tantum hominem fuiſſe doceret. id quod ſanè ea uidentur indicare, quæ dixiſſe ipſum ſcribit Socrates: ſe bimeſtrem & trimeſtrem natum, nunquam Deum eſſe appellaturum. cum idem tamen Socrates, non fuiſſe eam ſententiam Neſtorij conetur demonſtrare. Conceſſit quidem illi tandem nominari ſanctiſſ. uirginem Mariam θεοτόκον, id eſt Deiperam: ſed nihilo tamen minus & damnatus, & in exilium actus fuit Oaſin Arabicam, ubi miſeram mortem obijt. Altera autem Epheſi coacta ſynodus, in qua & Domnus & alij complures, atq; adeò Iulius quidam loco Leonis Romani pontificis conuenerunt, tanquam per inſidias conflata & uiolenta, ληςρικὴ, ut aliquoties iam oſtendimus, à Græcis appellata fuit. Itaq; hanc ſecuta Oecumenica quarta, coacta Chalcedone, cùm huius alterius Epheſinæ ſynodi acta irrita eſſe uniuerſa, tum priores tres ratas firmaſq; eſſe debere ſtatuit. Domnus autem Antiochenus uel circumuentus fraude, uel metu perturbatus, alterius iſtius Epheſinæ ſynodi decretis ſubſcripſit ille quidem, ut narrat Zonaras: ſed poſtea uel errore intellecto, uel animo recepto, factum ſuum damnauit ipſe magnis clamoribus, deteſtans uim & fraudem in illa Synodo admiſſam. De Maximi lapſu (ſic autem πτῶσμα ſumus interpretati) indicare nihil præterea habeo. Ruina urbis, quam Nicephorus confert in tempus quo præſederit Acacius, eius ſcilicet eſt terræmotus, quem Euagrius fuiſſe ſcribit ſextum ab eo qui ante annos C C C X L V I I, urbem euertiſſet, præſente in illa Imperatore Traiano. Tempus autem, ex quo ciuitas illa ſui iuris & libera eſſe cœperit, quemadmodum ſoleant Antiocheni illud notare, ponit annorum D V I. Motum autem terræ factum anno, ut uidetur, X V I Imperij Traiani, quo horribiliter non quaſſata, ſed diruta urbs fuit, & à fundamentis labefactata, ſtrage fœdiſſima omnis nationis, generis, conditionis, ſexus hominum, quod undiq; ex toto orbe terrarum uarijs de cauſſis aliqui tunc Antiochiam ueniſſent: hunc igitur motum & iſtam cladem deſcripſit Dion in Traiano. Eius autem, cuius modo, ut opinor, mentio fit, Euagrius diem indicat X I I I I Septembris: cum numerus eſſet uertentis

circuli, cuius uulgare nomen Indictio, x i. anno 2 Leontij Imperatoris. Id quod cum aliorum ratione, qua indictiones numerantur, non prorſus congruit. Quod malo in medio relinquere, quàm ſuſpicari ſcripturam editam eſſe deprauatam, & pro ἑνδεκάτην, πεντεκαιδεκάτην legendum: cum præſertim aliæ narrationes Euagrij uerum eſſe numerum x i probent, & iſta ad unguem (ut dicitur) præcidi non poſsint. Eodem anno & menſe, diebus x i i ante terræmotū Antiochenum, incendio uaſtata fuit urbs Conſtantinopolis, tam ſæuo atq; immani, ut cauſſa & origo illius, diuinæ iræ effectioni, non humanæ culpæ à quibuſdam aſcripta fuerit. De Martyrio Antiocheno, & Fullone Petro, ſuprà per occaſionem aliquid dictum eſt. Cùm autem Petro ſolium, quod fraude inuaſerat, iure ſtatim ademtum fuiſſet, & ipſe exilij pœnam uoluntaria fuga anteuertiſſet, Iuliano tum regendi eccleſiam munus mandatum: ſed poſtea Baſiliſci Imperio potiti iuſſo reſtitutum fuit Petro. Nicephori autem hoc loco expoſitio, fortaſſe ſcribæ uitio, eſt conturbata. nam Petrus iſte non poſt Calandionem, ſed ante Stephanum, ſolium occupauit denuò: quemadmodum oſtendimus. Succeſsitq; Calandioni Palladius. Iohannis autem, & alterius Stephani, Euagrius non meminit: qui poſt Petrum nominat Stephanum, eumq; Antiochenos arundinibus acutis inſtar haſtarū confixum interemiſſe ſcribit. neq; tamen narrat, quam ob rem hoc facinus tam crudele fecerint, neq; qui euentus ſint ſecuti. Flauianus uerò ab Imperatore Anaſtaſio exulare iuſſus fuit Petris, in extremis finibus Palæſtinæ. Erat Anaſtaſius eo animo, ut diſcordiam mentione Chalcedoniæ ſynodi uentilari nollet: cum animaduerteret, eam occaſionem à turbulentis cupidiſsimè arripi ad tumultus & ſeditiones. Neq; damnari igitur, neq; nominatim aſſerendo celebrari illā patiebatur. Ex quo ipſo ad quietem & tranquillitatem inuento, malitioſi quidam & improbi nouas lites detexere cœperunt. Uſq; adeò cùm alijs ſæpe rebus, tum maximè in ijs quæ ad Religionis ſanctitatem ſpectant, conſilia humana ſeipſis nitentia, infirma ſunt, & conturbantur rationes prudentiæ. Volebat pontifex Romanus quaſi nutu quodam autoritatis ſuæ dici fieriq; omnia: & non planè in omnibus aſſentientes ſibi, confidentiſsimè abijciebat & condemnabat. Cuius poteſtatis ambitionem & miſeriæ temporum, & hominum leuitas adiuuabant, ruente Imperij Romani dignitate & potentia, & pleriſq; aſſentando inſeruientibus uoluntati alienæ. Alij quidam, quicquid diceretur ab hoc aut illo, id rapere in partem deteriorem. Faceret aliquis mentionem commodam ſynodi Chalcedoniæ, ſtatim à maleuolis ille accuſabatur, tanquam approbator & laudator eius contra uoluntatem Imperatoris. Alius loqueretur de eadem ſynodo cautè & dubitanter, propter rumores diſsipatos: at hic arripiebatur pro eo, qui improbando illam damnaret. Hinc obtrectationum multiplex exiſtebat occaſio. Et Imperator Anaſtaſius cùm alios epiſcopos mouit locis & ſolijs ſuis, tum Flauianum Antiochenū. Quod ut fieret, perfectum eſt inſidijs Xenaiæ cuiuſdam (quem Philoxenum Græci uocarent) neſcio quas ob cauſſas infeſti Flauiano. Erat autem iſte epiſcopus uicinæ urbis, cuius nomen Hierapolis. Hunc tradunt monachos Syros aduerſum Flauianum concitaſſe ſermonibus ſuis, ut cœtus ingens ipſorum Antiochiam cucurrerit, conantium eò perpellere epiſcopum, ut malediceret

ſynodo

ſynodo Chalcedoniæ,& pontificis Leontis libro. Quã uim ægrè ferente epiſcopo, cum manus ei monachi allaturi uiderẽtur, excitatus populus urbanus, magnam cædem monachorum fecit: quorum plurimi ſepulcrum habuere Orontem fluuium. Tum alij monachi in Cæloſyria, apud quos in loco cui nomen Tilmogno, aliquãdo uixerat Flauianus in excercitationibus pijs, cognito epiſcopi periculo, ad ferendum ſuppetias aduolarunt, alijsq; malis cauſſam dederunt. Siue igitur ob hæc, ſeu alia, in exilium epiſcopus Imperatoris mandato, ut diximus, actus eſt. Et ſuffectus ei Seuerus, cuius nomen in Græco libello Nicephori omiſſum erat: itaq; locum illum ſignis hoc indicantibus notauimus. Ad hoc tempus, ab Acacio, & illo terræmotu, numerat Euagrius annos 55. nam fuiſſe hunc urbis Antiochenæ annũ ait DLXI, numerumq; uertentis circuli VI, ſeu indictionem VI: quod ſcripturam ſuperiorem numeri undecimi, ueram eſſe probat. Seuerus autem iſte magnarum & exitioſarum turbarum autor fuiſſe perhibetur, factus ex Iuriſconſulto poſt baptiſmum monachus: & cùm ſe Conſtantinopolim contuliſſet, Anaſtaſio Imperatori conciliatus, & ita promotus ad Antiochenæ eccleſiæ principatum. Doctrinam hic tuebatur Eutychis, de confuſis duabus naturis in Chriſto: & ſingulari ipſius, neq; tali corpore quod lædi poſſet. Idem occaſionẽ præbuit dicto præclariſſimo, & iterum atq; tertiò (ſecundum de bonis & utilibus prouerbium) commemorando, Anaſtaſij Imperatoris, in ſuperiora quoq; relato. Nam plurimis eius communionem fugientibus, duo duarum urbium epiſcopi Coſmas Epiphaniæ, & Seuerianus Arethuſæ, Syriacæ utriuſq;, non modo à Seuero ſe auellere, ſed illum etiam ſua ſententia ab Epiſcopi ſolio detrahere, & ſcripto hoc declarare nõ dubitarunt. καθαίρεσιν hanc uocarunt, ut eſt indicatum. Eum libellum tradunt perferendum primario diacono Aureliano. Hic Seueri non ignotam ſibi ſuperbiam atq; inſolentiam metuens, ornatu muliebri uelo os tegens, accedit in turba, & porrigit epiſcopo damnantem libellum quaſi ſupplicem. & priuſquam Seuerus legeret, ſe ſubducens aufugit. Ea re Imperator Anaſtaſius cognita, mittit literas Aſiatico præfecto Phœnices, iubetq; eum, deturbare ſolio epiſcopi tam Coſmam quàm Seuerianum. Præfectus Imperatori reſcribit, mirifica eſſe erga utrumq; ciuitatum ſtudia, & habere eos uiciniam fermẽ totam conſentientem, neq; expelli illos ſine cædibus & ſanguine poſſe. Ibi Imperator mutato animo, inter alia diſertè ſcribit præfecto: Non uelle ſe quicquam procedere omnium, quamuis res magna & memorabilis ſit, ſiquidem ſanguinis una gutta effundi debeat. Cuius dicti Græca uerba ſuprà expoſuimus. Iurare iuſſerat Seuerum Anaſtaſius Imperator, ſi factus eſſet epiſcopus Antiochiæ, Chalcedoniam ſynodum ſe non eſſe execrando deteſtaturum. Ubi tamen primùm ſuggeſtum aſcendit Seuerus, gratificans partibus, execrationem ſynodi illius pronunciauit. Bellum eſt quod de hoc narratur. Uno ex ductoribus copiarum Saracenicarum Alamundaro nomine, qui finitima loca teneret, Chriſtianam religionem amplexo, geſtiens Seuerus habere eum concordem, mittit ſtatim ad ipſum, iam ab orthodoxis baptiſſatum, epiſcopos duos, qui docerent, In Chriſto duas naturas diſtinctè confitendas non eſſe. Nam in unam ambas confluxiſſe, & diuinam humanam abſorbuiſſe. & inde ſequi ſcilicet, diuinam naturam & ipſam cruciatus atq; mortem eſſe perpeſſam.

Quæ cum illi diſputarent ſæpius & accuratè, decompoſitò adueniunt quidam arcanum nuncium afferentes, & quædam narrantes ad aurem Alamundaro. Poſt hæc aſsidere ille quaſi magnopere perturbatus animo, & ſilere. Epiſcopi, quid negocij eſſet mirantes, percontantur. Tum Alamundarus uultu triſti & oratione ſeuera: Literæ, inquit, allatæ ſunt, quibus caſus perquàm luctuoſus & deplorandus ſignificatur. Quid nam eſſet igitur, epiſcopis rogantibus, Alamundarus: Archangelus, inquit, Michael mortem fertur obyſſe. Negantibus illis fieri hoc poſſe, & falſum atq; nugatoriū eſſe nuncium, Alamundarus: Quomodo igitur, inquit, ſi purus Deus eſt Chriſtus, & diuina natura in illo humanæ proprietatē extinxit, in cruce mori potuit, quandoquidem angelo hoc non poſſe accidere affirmatis? Ita miſsi à Seuero deriſi, diſceſſerunt. Manſit epiſcopus Antiochiæ Seuerus, quādiu uixit Anaſtaſius. Sed cum finem non faceret obtrectandi actis & decretis Chalcedoniæ ſynodi, & hanc execrando tam concionibus quàm ſcriptis damnaret, neq; abſtineret conuicijs & probris, quibus proceres quoq; aulicos laceſſeret, iubetur à Iuſtino ſucceſſore Anaſtaſij lingua exciſa in exilium agi. Sed ſupplicium hoc ille fuga declinatione uitauit, & ſolium ultro ſuum deſeruit: cum præſediſſet ann. 6. Fuitq; ſurrogatus ei Paulus. Quem cum Nicephorus ſcripſerit, eiuſdem tempore fuiſſe epiſcopum Antiochiæ, intelligi poteſt, in ijs quæ de Seuero ſcripta librarij negligentia omiſit, factam mentionem fuiſſe Imperatoris Iuſtini. Paulum hunc Zonaras ſcribit curaſſe in hoſpitio, quod uocat hoſpitium Eubuli. Euagrius, ſua ſponte Antiochia abyſſe, & eſſe mortuum: habuiſſeq; ſucceſſorem Euphraſium, accerſitum Hieroſolymis. Qui quòd obrutus ruina urbis ſit, & Euagrius narrat, cladem illam miſerabilem terræmotus & incendij exponens, qua oppreſſam urbem eſſe indicat ſeptimo anno Imperij Iuſtini, ut ultimū Euphraſij illa attigiſſe uideatur. Iis temporibus præfectus Orienti Euphraimus, omnibus rebus & ope ſumma adiuuit Antiochenos, neq; cuiquam neceſſaria deeſſe paſſus eſt: hac benignitate ſuam iram diuino numine temperante. Itaq; Epiſcopus ſuffragijs cunctorum lectus eſt, in demortui Euphraſij locum. Cum autem poſt aliquot menſes, rurſum terræmotu Antiochia afflicta eſſet, quaſi omen malū nominis auerſuri, pro Antiochea urbem Theopolim, & duobus uerbis θεȣ̃ πόλιν appellarunt. Hoc loco de hac urbe quædam commemorare non putauimus alienum, neq; ſuperuacaneum uiſum iri legentibus. Multæ nominantur diuerſis in partibus orbis terrarum urbes hoc nomine: ſed cuius epiſcopi ſeu patriarchæ numerantur à Nicephoro, ea in Syria fuit, condita à Seleuco Nicanore, ad Orontem fluuium, quem priſca appellatione Typhona ſcripſit Strabo, & illis in campis prælium cum Gigantibus commiſſum eſſe: & inter Antiochiam ac Apamiam, uoraginem (χάρυβδιν Græci uocant) ubi ingurgitans ſe Orontes, alibi rurſum emergat. Ad eum fluuium Antiochea urbs ſita eſt. Quam ſunt qui non conditam à Seleuco, ſed auctam & amplificatam uelint: quòd ſit antiqua illa Reblata. Hæc habuit amœniſs. locum diſtantem ad ſeptentrionem, ſecundum Strabonem, ſtadijs quadraginta, quæ erunt circiter v. M. paſs. ab arboribus Daphnen appellatam. In hac urbe primùm Euangelio regni Dei credentibus, nomen Chriſtianorum eſt impoſitum: quæ & Syriæ & Orontis nominibus, & ſitus

ad Daphnen,

ad Daphnen, à cæteris Antiochijs diſtinguitur. In Daphnæo nemore lucus fuit, & templum Apollinis ac Dianæ: & tutum perfugiũ omnibus, cui Aſylum nomen. Appellata eſt Antiochea, ab Antiocho Seleuci Nicanoris patre. Et quatuor oppi da comprehendit, unis mœnibus incluſa: quorum primum Seleucus condidit. Putantur autem cõſediſſe Argiui ad Orontem, qui illuc ueniſſent Io quærentes, filiam Inachi: & ideo coloniam Antiochiam eſſe Græcorum uolunt. Sed alterum oppidum priori addiderunt incolæ. Tertium adiunxit Seleucus Callinicus. Quartum Antiochus Epiphanes. Erumpit Orontes in mare: à cuius oſtio iter ad urbem nauigio eſſe ſcribit Strabo, diei unius. Atq; hæc urbs opibus & uiris florens, ſæpenumero terræmotu labefactata atq; euerſa eſt. Incolas fuiſſe tradunt leues et mobiles, & admodum dicaces, ridiculisq; deditos. Quibus & iram Iuliani Imperatoris erga ſe commouerunt: cui ille tamen non ulterius indulſit, quàm ut orationem ſcriberet, cui nomen fecit λόγος μισοπώγων ἢ ἀντιοχικός. In barbam enim ipſius prolixam iocati fuerãt Antiocheni. Hæc urbs grauiter afflicta eſt bello inter Seuerum & Nigrum geſto. Nam cum Laodicea à Nigro tum odio Antiochenorum deſciuiſſet, de improuiſo immiſsi Numidæ & alij barbari, urbem illam uaſtarunt cædibus & incendio. Cuius poſtea à uictore Seuero inſtauratæ ditioni ſubiectam fuiſſe Antiocheam, ſcripſit Herodianus. Scriptor hiſtoriæ belli ſacri, omnibus in Syria locis occupatis à Perſis ſeu Turcis, ſolam Antiochiam conſeruaſſe libertatem ſuam. tradit: & uix annis quatuordecim in poteſtate eorum fuiſſe, cum eiectis illis recepta à Chriſtianorum copijs quæ duce Godefrido Bilionenſi mare tranſierant, principem habuerit Boamundum Normanum, Roberti Guiſcardi filium. Captam autem eſſe proditione Antiocheni cuiuſdam, quem Emiraferrum uocat (ſic enim nomen editum eſt, cum alij Pyrrum illum appellatũ fuiſſe ſcripſerint) & uirtute Boamundi III. nonas Iunij anno Chriſti M. XCVIII. Huius Boamundi filius fuit alter Boamundus, ſuſceptus ex filia regis Francorum Philippi Conſtantia, & ipſe Antiochiæ princeps, confoſsus in Cilicia ab hoſtibus Turcis, admodum iuuenis: filia relicta Conſtantia, nepte Hieroſolymorũ regis Balduini II. Quam duxiſſet Raimundus comes Pictauienſis, accerſitus ex aula Anglicana: principem deinde eum Antiochia habuit. Hic ad Apamiam cum hoſtibus temerè congreſsus interficitur, principatu illo potitus annis 13. Succeſsit ei Rainaldus genere ignobilis, ducta uidua Conſtantia, quæ coniugium multorum nobilium antea repudiauerat: captus & ipſe ad eam quæ Alapia appellatur, & eſſe Myriandrus Ptolemæo putatur. poſtea princeps fuit Antiochiæ Boamundus III, Raymundi F. captus à Noradino, & mox pecunia redemptus. His temporibus cum eſſet rex Hieroſolymis Amalricus Balduini III frater, Antiochea rurſum poſt ſimiles clades plurimas terræmotu horribiliter labefactata fuit. qui erit annus Chriſti M.C.LXX. Boamundi III ſoror, filia Raimundi, nuptijs iuncta fuit Imperatori Manuelo, nomine Maria: quæ Xene à Græcis dicitur, Petobini filia, ut ſuprà indicauimus. Ipſe Boamundus uxorem habuit Theodoram, cognatam Manueli Imperatoris. nam filia hæc fratris ipſius fuiſſe traditur, haud ſcio an Andronici: qua & ipſe Imperator conſueuiſſe inceſto concubitu, & ex ea filiũ ſuſcepiſſe perhibetur, fortaſſe poſtea-

quàm

quàm à Boamundo dimiſſa eſſet. Verùm in his exquirendis defatigari neceſſe nõ eſt. Boamundus aũt coniuge relicta, cõſucuit pellice Sibylla nomine, femina improba & (ut ſcribitur) uenefica. & eã ob rem decreto Concilij eccleſiaſtici excluſus eſt cõmunitate Chriſtiana: et ingentiũ calamitatũ inde cauſſa datæ ſunt. Et mox fractis ubiq; Chriſtianorũ uiribus à Saladino Aegypti domino primùm Hieroſolyma capta, regnum à Godefrido conſtitutum defecit: & poſt principatum Chriſtianorum circiter annos centum Antiochia quoq; occupata eſt, & adhuc in Turcorum poteſtate. Qui cum Aegypti Imperio, potiti ſunt & Syria, & finitimis regionibus. Sed ad epiſcoporum enumerationẽ reuertamur. Ephraimo præſidente, & capta inflammataq; Antiochia fuit à Choſroe rege Perſarum: & paulo pòſt horribile malum peſtilentiæ orbem terrarum uaſtauit, in Syria ſæuiſsimum. Euagrius ſcripſit conuerſiones fuiſſe cum circulo annorum x v & annos ⅃ I I numerat, quibus per interualla temporum locorumq; duraſſet lues, fine tum etiam incerto. Etſi idem ſcribit paulo pòſt, ueniſſe quendam Thomam nomine, petentem id quod Eccleſia pẽdere conſueuiſſet monachis uicinis. Cumq; inſtanti pertinacius Thomæ, Anaſtaſius eo tempore œconomus, non modò penſionem denegaret, ſed refutati Thomæ etiam manibus os uerberaret, ægreferentibus hoc qui aderant, Thomas neq; ſe acceपturum, neq; daturum eſſe Anaſtaſium poſthac quicquam, dixit. Atq; narrat Euagrius, mortuum eſſe Anaſtaſium poſtero die: neq; diu pòſt & Thomam, depoſitum in ægrotantum hoſpitio. Req; indicata epiſcopo Euphraimo, ſolenni pompa corpus Thomæ in urbem deportatum, liberaſſe ſæuitia peſtilentiæ ciuitatem. Sed intelligi nimirum poteſt tum ceſſaſſe malum, & poſtea recurriſſe. Domnus, eſt Euagrio Domninus: cuius ille ſucceſſorem Anaſtaſium exquiſitis laudibus ornat: fuiſſeq; eum in periculo ait exilij, iam meditante expulſionem ipſius Imperatore Iuſtiniano. Præ cæteris enim hic falſæ opinioni, quam Imperator aſſertam cupiebat, aduerſari, & multorum confirmare animos atq; ſententiam. Placebat autem Imperatori, Chriſti corpus fuiſſe ἄφθαρτον: id eſt, tale quod nihil quo læderetur poſſet perpeti. & hoc in edicto quodam curauerat perſcribendum. Cum autem epiſcopus aduerſaretur, & doceret, ὡς τὸ σῶμα τοῦ κυρίου ἐν τοῖς φυσικοῖς καὶ ἀδιαβλήτοις πάθεσι φθαρτὸν, οἱ θεσπέσιοι ἀπόστολοι ἔτι θεοφόροι ἐδίδαξάν τε καὶ παρέδοσαν πατέρες: quæ ſignificant, diuinos Apoſtolos & patres Deiferos ſciuiſſe & tradidiſſe, corpus Chriſti in ijs quæ naturalia ſunt & extra culpam, fuiſſe eiuſmodi, ut affligi labefactariq; poſſet: hæc igitur epiſcopo confirmante, & Imperatore iam edictum exilij, & Epiſcopo orationem componente qua ualediceret eccleſiæ, & officij illam ſui admoneret (Græci λόγους συντακτηρίους uocarunt, ut diximus) ſubitus morbus inuadit Imperatorem: quo & ipſe deceſſit, & eccleſia metu periculoq; fuit liberata. Anaſtaſium tamen eiecit ex eccleſia Iuſtinus minor, cùm alijs de cauſſis uel fictis uel ueris, tũ quòd in ciuitatis ſuæ clade atq; miſeria ſacras pecunias minus conſideratè effudiſſet. Fueratq; indicatum Iuſtino, interrogatũ aliquando Anaſtaſium, quamobrẽ tantas copias tam facile erogari pateretur: dixiſſe, Ideo hoc fieri, ne præda illa Iuſtino peſti communi relinqueretur. Qua contumelia offenſus Imperator, epiſcopum relegauit. Cùm autem alia quæ de potentibus dicuntur

dicuntur, circumſpecte pronunciari cōuenit: tum minimè libertate orationis ea notanda ſunt, quorum ſibi illi ſunt conſcij. Nam pungunt acerrimè ea, quæ uerè commemorari agnoſcuntur. Iuſtinus autem iſte non minus rapax, quàm luxurioſus fuiſſe perhibetur. Suffectus fuit Anaſtaſio Gregorius, quē ſtudioſius & magis pleno ore quàm Anaſtaſium Euagrius laudat: conſtantemq́ & fortē & religioſum & grauē, neq; tamen inhumanū, nec nō eruditū, atq; etiam Poetices facultate quadā præditum fuiſſe ſcribit. Huius epiſcopi temporibus iritatus Choſroes Perſa, Syriam & uicinas regiones excercitu barbarorum immiſſo populatus eſt: quando & epiſcopus & cæteri fugientes uim hoſtium, urbē uacuā reliquerunt. Eundē epiſcopum ſuſpiciones excercuerunt, cum magno periculo: quòd propter familiaritatem Anatolij cuiuſdam magi & uenefici atq; ſuperſtitioſi, ſocius eſſe nefariorū ſcelerum crederetur, cum prorſus ignarus eſſet facinorum illorū. Idem Mauricio qui Tiberio ſucceſſit, circumdante eum flamma, incendentē odores Antiochiæ in templo, illuſtrem Imperij eminentiā prædixit. Quo iam ſumma rerū potito, Gregorius propter inimicitias ſuſceptas cum Aſterio præfecto urbis, in magnum periculum uenit. Hic & primarijs uiris & plebe ſibi conciliata, epiſcopo ualde eſſe moleſtus: in quem, nemine tum prohibente, publicè priuatimq́ per contumeliā probra conuiciaq́ & maledicta conijcerentur. Sed Aſterio ſucceſſor miſſus tū fuit Iohannes, & iuſſus cauſſam illam cognoſcere, uir neq; à doctrina neq; prudentia paratus. Is temerè recipere accuſationum libellos à quibuſcunq;. In quib. crimen quoq; illatū epiſcopo, fuiſſe impudenter cōfictum traditur, cōcubitus inceſti cum alteri nupta ſorore. Queſti aliqui etiam fuere, per epiſcopū ſtare, quo minus copia neceſſariarum rerū ad uictum ſuppeteret. Hoc ſtatim ille refellendo defendit: de cæteris; propter iudicū iniquitatē, appellare coactus fuit Imperatorē & conuentū eccleſiaſticum. Ita res deuoluta fuit Conſtantinopolim: ubi coram Imperatore & Senatu, multiſq́ patriarchis & epiſcopis metropolitis, qui partim ipſi præſentes eſſent, partim miſiſſent uicarios, cauſſam dixit, & ſuperior fuit: cumq́ laude eſt reuerſus ad ſuam eccleſiā, accuſatore loris cæſo, atq; relegato. Euenit paulo pòſt, ut milites in Syria iuſſa facere Ductoris Philippici recuſarent, magis Imperatoris quàm ipſius odio: & non procul abeſſet, quin perniciosa ſeditio oriretur. Interea Antiochea, quæ, ut diximus, iam Theopolis nominabatur, terræmotu quaſſatur, tam uehemente, ut ruinis oppreſſa hominum LX milia deſiderata fuerint. Idq́ compertum ſcripſit Euagrius, de panibus: cum quanto pauciores deinde abſumerentur, eſſet animaduerſum. Sed militibus neq; parêre Philippico, cum contra ipſum etiā coniuraſſent, neq; arma capere uolentibus, & imminentibus ab hoſtibus maximis periculis, mittitur ad illos Gregorius, qui & facundia & autoritate in uiam illos reuotaret, & gratiā inter Imperatorē & illos reconciliaret. Exponitur huius oratio ab Euagrio, quam iacens in lectulo habuerit, quòd è pedibus laboraret, in qua præclara ſententia hæc ponitur: Prudentia ducum & obedientia militum bona ingentia effici ſolere. Quod ſi unum ab altero deſtituatur, claudicare utrunq;: & iſto præſtantiſſimo iugo diſſoluto, omnia euerti atq; conturbari. Græca etiam uerba placuit aſcribere. τῶν ἀγόντων εὐβουλίᾳ, καὶ τῶν ἀγομένων εὐπειθείᾳ, μεγάλα πεφύκασιν ἀγαθὰ κατεργάζεσθαι· θατέρου δὲ τοῦ ἑτέρου χηρεῦον.

χηρεύει ἢ χωλεύει καὶ περιτρέπεται καὶ σφάλλεται πάντα τῆς ἀρίστης ξυνωρίδος διαλυομένης. *Cum milites mouerentur oratione epiſcopi, obſtabat iuſiurandum contra Philippicum. Sed & hoc malum ille ſapienter ſanauit: Se eſſe ſacerdotem dictitans, qui habeat collatam diuinitùs poteſtatē ligandi & ſoluendi. Imperatiuę ſupplicationib. ac precibus, ita obligatione illa liberauit omnes: & cum feſtum incideret iiſdem diebus Paſchatos, cùm ad communionē myſticam eos admiſit, tum accepit conuiuio diſcumbentes gramine ad bis mille. Atq; ita ſeditio omnis repreſſa fuit. Paulo pòſt Sittas quidam Martyropolim prodidit Perſis. Quam cum Philippicus conaretur recipere, fruſtra oppugnauit, imparatus à machinis. Milites itaq; ab oppugnatione diſcedentes, Gregorius tum quoq; ad continuandam illam reduxit. Quamuis ne ſic quidem aliquid profici potuerit. Poſtea tamen cum interfecto crudeli & ſcelerato rege Hormiſda, ad Romanos confugiſſet Choſroes filius illius, rurſum illa urbs in Romanorum poteſtatem peruenit, proditore à ciuibus obruto lapidibus, & poſtea acto in crucem. Hic Gregorius eſt, cui reſtitutum in regnum dona precioſa Choſroen miſiſſe narrat Euagrius, cum inſcriptione memorabili illa quidem, ſed non experte ſententiarum, de quibus à diligentia religioſæ pietatis, an doctrinæ ueritatis cœleſtis illæ conſentaneæ ſint, quæri poſſe uideatur. De hoc alibi à nobis aliquid eſt diſputatum. Remiſſa inter alia crux fuit, in templo urbis cui nomen Sergiopolis conſecrata, à Theodora Iuſtiniani Imper. coniuge. Gregorium etiam iſtum operam nauaſſe, Euagrius ſcribit, in corrigendis erroribus ortis Seueri peruicacia, aſſerere non ceſſantis dogma Eutychis, & damnantis Chalcedoniā Synodum: & cùm oppida & uicos & caſtella & monaſteria obiret, & dogmatis falſitate demonſtrata, ad ueritatis cognitionem animos quàm plurimorum conuerteret. Tandem à quibuſdam medicamento dato, in quo triti eſſent hermodactyli, in cruciatibus intolerabilibus artuum, quibus multis annis conflictatus fuerat, migrauit ex hac uita Gregorius, præſidente Romæ Gregorio ſucceſſore Pelagij: & ſolium redditum tum fuit Anaſtaſio prius eiecto, poſt annos 23, ut ſcripſit Euagrius. Anaſtaſio autem huic alter Anaſtaſius ſuffectus, à Iudæis orta ſeditione Antiochiæ uiuus eſt combuſtus: quo tempore occupatum imperium nefaria perfidia, Mauricio cum coniuge liberiſq; & cognatione tota crudeliter interfecto, tenuit Phocas. Cuius dominationis finis attingit annum Chriſti* DCXII. *Poſt quæ tempora & Imperiorum & Eccleſiæ ſtatus indies magis atq; magis labefactari cœpit: & tandem peruentum eò eſt, ut in extremum diſcrimen non modò dignitatis, ſed planè ſalutis res adducta ſit. De quo plus uerborum hoc loco faciendum eſſe non putauimus. Et uiſum eſt, cum enumeratione Nicephori, noſtram commemorationem finire. In qua ſi quid fortè erit quod legentibus probetur, & cùm delectationem tum utilitatem aliquam afferat, non fuerit ſcilicet ita conſumptus labor iſte, ut illius nos pœnitere debeat. Sin minus, & conſilium tamen ſcripti huius honeſtum, & ſtudium in rebus non futilibus eſſe poſitum, boni omnes, ut ſpero, ſunt iudicaturi.*

CHRONOLOGIAE NICEPHORI, ET IOACHIMI
Camerarij Appendicum in eandem,

FINIS.

HISTORIA SYNODI NICENAE,

COACTAE OPERA PII STVDII ET RELIGIOSAE DILIGENTIAE CONSTANTINI Conſtantij F. Imperatoris Rom. ante annos circiter M. CCXIX.

Collecta ſumma fide de narrationibus autorum Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, & accuratè ſcripta à IOACHIMO CAMERARIO Pabepergenſi.

EIVSDEM IOACHIMI Camerarij

De Chronicis, ſeu certorum temporum indicationibus, Libellus.

ITEM,

De ſancto Spiritu, ex Diſputatione quæ aſcribitur Baſilio Cæſareæ epiſcopo.

De Synodis Oecumenicis, & harum temporibus atque præcipuis negotijs.

IOACHIMVS CAMERARIVS PABEPERGENSIS IOHANNI OPORINO S. D.

IVSSI tibi iſto mercatu Francoſurti tradi Chronologiam, quam diu ſanè deliteſcentem, & quaſi depoſitam apud nos, excitatam tandem placuit extrudere. Erunt, ut opinor, in hoc ſcripto, quædam neq; uulgaria, neq; indigna lectione eruditorum. Quædam etiam, quæ conſiderationem prudentiæ augere poſſint: ut expreſſum ipſum, tuæ officinæ, occupatæ opt. librorum publicatione, nomini atq; famæ maculam aliquam aſperſurũ eſſe non putem. Ego ſanè in his ægi ſatis, & fui homo excercitus, quemadmodum ait ſenex Plautinus. oblata enim ſunt plurima incerta, dubia, ambigua, inexplicata: quæ diligentiæ & attentioni ſedulorũ non parum negotij faceſſere ſolent. Curauimus autem deſcribenda omnia accuratè, & noſtra expoſitio ſtudet haberi exquiſita, & eſt (ut ita loquar) paulo ambitioſior: dum conamur, quod (ſecundum Horatium) Difficile eſt, proprie communia dicere. Tua igitur induſtria & aſſiduitas dabit operam, & uidebit, ne exprimendo operæ noſtra corrumpant, ſiue mutantes (ut fit interdum) quæ non intelligunt, ſeu negligentia aliquid deprauantes. Si enim iſta ſic prodierint, ut miſimus, in bona ſumus ſpe, laborem hunc noſtrum doctorum iudicio non improbatum iri. De cæteris noſtris, quæ tua doctrina neutiquam contemnit, uel magni potius facit, aliàs. Cupio enim præclariſſimas rationes tuas pro mea parte adiuuare: & quacunq; facultate noſtra hoc fieri poſſe cenſueris, ea confidenter utaris licet. Nunc ſanè uelim Chronologiæ noſtræ adiungas ante annos penè IX editam hic narrationem de ſynodo Nicena, quam alicubi correximus, ut cernere poteris: & denuò eſſe diuulgandã, hocq; loco recte apponi poſſe exiſtimauimus. Nec non enumerationem Oecumenicarũ ſynodorum, poſtea additum opuſculum, ab iſto argumento non alienum. Hæc igitur tuo arbitrio conformatis cartis edes, & ualebis: & honeſtiſſ. iſtam, ſimul & grauiſſimam prouinciam gerere non defatigaberis. Vale, Lipſiæ, VIII. Cal. Septembr. Anno CHRISTI IESV M. D. LX.

HISTORIAE SYNODI OECVMENICAE, COACTAE NICEAE IN BITHYNIA à Conſtantino Conſtantij F. Aug. IOACHIMO CAMERARIO Pabeperg. autore,

PROOEMIVM:

Ad Reuerendiſs. Antiſtitem, & Illuſtriſs. principem, Vilhelmum familia Marchionem Brandepurgenſem, Archiepiſcopum Rigenſem, &c.

COGITANTI mihi in his ſynodi Oecumenicæ molitionibus, quæ longo iam tempore ſunt in manibus, quid aut ordine & rectè futurum, aut de euentu ſperandum eſſe uideatur: uenit in mentem, ut exemplum aliquod requirerem ſimilium conſiliorum & actionum, de quo coniecturam facere, & quaſi diuinare poſſemus, quem exitum hæ quoq; res habituræ eſſent. Cum uerò ea uerſarentur ante oculos, & eiuſmodi negotinm ſuſcipi atq; geri uideretur, cuiuſmodi ſemper antea magnorum malorum aut cauſſas commouiſſet, aut caſus cumulaſſet: relinquendam mox illam ſimilitudinis exquiſitionẽ putaui, & eorum quæ inſtituerentur euentum permittendum Deo: ac potius reſpiciendum eſſe duxi, quid rectiſs. & præclariſs. factum eſſe ijs temporibus uideretur, quibus aliquando turbatæ Eccleſiæ diſſenſionibus, & de harum quaſi concuſſione Reſpublica etiam exagitata fuiſſe reperiretur. Ex quo enim Chriſtiani cœtus haberi & colligi cõmunitas Eccleſiaſtica cœpit, de huius antiſtitum contentionibus & mutuis inſectationibus ſemper publicæ calamitates extitiſſe, uel ſaltem hæ illas comitatæ eſſe animaduertuntur. Idq; euidentius apparet ab eo tempore, quo Imperatores Romani & aliarum gentium Reges ac Principes, profiteri nomen Chriſtianum cœperunt. Pericula autem & damna grauiora fuerunt, ex quo Eccleſiaſticus principatus dignitate & potentia ac opibus dominationis ciuilis auctus & amplificatus fuit: ſiue quòd eos qui rem Eccleſiaſticam adminiſtrare deberent, gubernare etiam ciuitates ac populos, & quorum eſſet cœleſtis doctrinæ functio propria, hos iuriſdictionẽ in terris obire non oporteret: ſeu quòd, omiſſa cura religionis, ad firmandum ſtatum ſuum & autoritatem ſtabiliendam, & maiores indies copias & poteſtatem ac ius in alios comparandum, omne ſtudiũ ſuum antiſtites Eccleſiarum cõferrent. Itaq; uel ipſorum inter ſeſe dimi-

catio de pręſtantia & loco, uel aliorum reprehendentium ea quę perperam fieri uiderentur, aduerſatio, ſemper cum Reipub. detrimento coniuncta fuit, & in hac tanquam mari ſęuiſsimas procellas excitauit. Quemadmodum accidit memoria auorum noſtrorum, cum Romani pontifices, qui iampridem ſingularis dominationis præſidentiam haberent, ſciſsis partibus inter ſe tres certarunt odijs, ſimultatibus, & oppugnationibus quoq;. Cui diſsidio medicinã uoluit quærere pietas Sigemundi Imperatoris: ſed qualis illa uſurpata fuerit, & quãtum profecerit aut nocuerit, nunc diſſerere animus non eſt, cùm alijs de cauſsis: tum quia non libet ea recognoſcere contemplando, quæ ita ſuſcepta atq; geſta fuiſſe conſtat, ut neq; in præſentia ueram laudem haberent, & ad poſteros detrimenta ac mala exaggerarẽt. Qui tamen ignorat fortè, & expetit narrationem rerum illarum, ei libri hiſtoriarum non poterunt deeſſe. Quærenti aũt mihi luculentum aliquod exemplum curæ & reſpectus rei Eccleſiaſticæ afflictæ ac laborantis, nullum prius aut potius ſubijt conuentu quondã habito in Bithyniæ urbe Nicæa, autoritate, ſtudio & diligentia Imperatoris Cõſtantini: cum pace iam Eccleſijs huius pietate & uirtute parta, inter Eccleſiaſticos atrociſs. certamina & capitales diſſenſiones ortæ fuiſſent, cùm de alijs rebus, tum maximè de dogmate. Viſum igitur fuit eorum quę tum ſuſcepta & geſta eſſent memoriam recolligere, & deſcriptionem elaborare: ſi fortè aliqui hæc legentes, ad maiorem curam religionis his etiam miſerrimis temporibus conuerterentur: & ea quæ ad hanc inſtaurandam, & ad errores repurgandos & omnia in meliorem formam redigenda pertinent, cùm ſtudioſius conſiderarent atq; exquirerent, tum his repertis attentius uterentur. Ego quidem inter hęc & mirificè ueteris pietatis contemplatione fui delectatus, & damnaui noſtri ſeculi leuitatem: neq; aliud potui ſtatuere, quàm grauiſsimam ruinam iſtam exaggerationẽ rei Eccleſiaſticæ abhorrentẽ & alienam facturam eſſe, niſi ipſi quorum res potiſsimũ agitur, quaſi domiciliũ labefactatũ ultro demoliri, & ita denuò uera ratione exædificare uellent. Sed minimè uelle, permulta offeruntur quę uereri cogant. Non quæritur enim primùm à pleriſq; Veritas, ſed hæc potius errorum tenebris eluceſcens amplius inuoluitur: & qui nouam artem excogitare poſſe creditur, qua eludantur ſententiæ illius, is maximè eſt in precio, & huic quaſi Mimo ingenioſo in primis applauditur: tum deinde confunditur res, & ſicut ait Comœdia uetus, negotia miſcentur aſini cum canis negotijs. Iam permittitur aliquid, iam prohibetur. Hoc loco conceſſum eſt certis rebus uti, illo uetitum. Quin etiam non nuſquam ea libertatem iuris habent, quibus alibi crudeliſsima ſupplicia ſunt propoſita. Si quis amans ueritatis, religionis, patriæ, aliquid audet monere, ſtatim in præſente periculo uerſatur capitis & fortunarum: audit enim, ſeditioſus, & cupidus rerum nouarum. Illi uerò qui

ſingulari ueritatis ſtudio tenẽtur, quicꝗ acerrimè falſis opinionib. reſiſtunt, & abhorrentia ac fanatica audaciæ atꝗ amentiæ cõmenta refutant, pręcipuè oppugnantur, tanquã labefactatores ſtatus pręſentis: quorum opera ſtudioꝗ fit, ut aliquis omnino adhuc ſtatus Reip. retineatur: tum apud quoſdam pacis & ocij oſores, quicquid moderatè & cum ratione adminiſtratur, in crimen ſtatim incurrit tantum non perfidiæ & defectionis. Interim his tacentibus, aut exterminatis, uociferantur audaces alij, & cupidi rerum nouarum, aut aſſentatores & conducticij, aut etiã ſoliciti de ſua culina, quam mendacijs inſtrui ſciunt. Non ſunt autem certè inquieti, aut præſentis ſtatus inimici, illi quos odia maleuolorum tam grauiter accuſant. Primùm enim quo magis intelligunt pericula turbulentiæ, eo uehementius metuunt. Deinde, alium quidem ſtatum requirunt, quia præſentẽ durare non poſſe uident: ſed optant eam rationem atꝗ uiam iniri, qua commutatio minimè detrimentoſa fiat. Sed pleriſꝗ in animo eſt, omnes eſſe aliquibus mutationes neceſſariò contrarias & malas: & quò res tendat perſpiciunt. Non ſuperſtitio, nõ barbaries, nõ inſcitia, non impudentia, nõ feritas, non etiã licentia, libidines, uoluptates, in mutatione ſtare poſſe ſperantur. Iam enim hæ in re Eccleſiaſtica peſtes dominantur. Si igitur correctio ſuſcipiatur, quid futurum ſit tam de ſe quàm de alijs, plurimi conſiderant: & ideo quantum poſſunt, conſilijs emendationum aduerſantur. Se autem non alia iam defenſione tuentur, quàm inſectando reprehenſores errorum & uitiorum: hos eſſe Eccleſiæ hoſtes pronunciant, hos extorres agunt, hos patrimonijs ſpoliant, hos deniꝗ carceribus excruciant, ferro lacerant, igne ſuffocatos comburunt. Satis intelligo hæc uehemẽter dici, & non poſſe nõ incurrere in odiũ aliquod ſingulare apud eos, qui quæ facere audent, notari grauiter & iniquo animo ferunt. Vt aũt ille in fabulis Thracius tyrannus puellę Atticę linguã fertur execuiſſe, ne proderetur flagitiũ ſceleris ſui, & nihilominus tamen detectũ illud atꝗ indicatum fuit: ita falſò ſperatur in immanitate oppreſſio libertatis, qua audaciæ tandem facinora exagitentur. Erumpit enim profectò aliquando uox miſeris & afflictis: & interdum corripiuntur fortiores, qui non modò non obmuteſcunt metu ſuppliciorũ, ſed horum etiam atrocitate excitantur, ut clamore & præſente animo iniuriam & uim accuſare, & errores confutare non extimeſcant. Nihil igitur agunt iſti, qui deſperantes, à calliditate ad uſurpandam uim conuertuntur. Nulla ruina opprimetur deinceps iſte ignis, ſed de his ipſis conatibus maiores uires aucta flamma concipiet. Id quod prudentiores pleriꝗ iam intelligunt, & autores ſunt ut talis curſus inhibeatur, & alia conſilia capiantur magis congruentia tam rebus quàm temporibus. Hoc audacioribus diſplicet. Ita fit, ut ubiꝗ omnia quaſi commotum mare fluctuent & collidantur. Atꝗ utinam plurimi reperiãtur, qui-

bus hoc difficilimo tēpore curæ ſit,ut ſtatus Eccleſiaſticus fulciatur. Hoc enim cōuulſo,quam Imperia quoq; ruinam factura ſint,qui non hebetes prorſus ſunt,facile uident.Sed quomodo obſecrò poterit ille ita impulſus & commotus ſuſtentari, niſi inſtaurentur & reficiantur eæ partes, quibus hunc potiſsimū niti oportet, & alienæ atq; inſanæ extructiones demantur? Quid aūt eſt quo ſuſtineri,& ſuper quo quaſi fundamento conſiſtere eum oportet? Interrogentur omnes qui æqui,quiq; iniqui eſſe iudicātur:nemo dicet,ut opinor,potentiā,opes, arma,multo minus inſolentiam diuitiarum,aūt regni ſuperbiam.nemo confuſionem iuris humani ac diuini, nemo barbariam & imperitiam,& his ſimilia alia uitia:ſed in primis Religione fundari illum omnes affirmabunt.Religio autem quæ incerta, dubia, anceps ſit, nulla ne nomen quidem diu retinet:ſed id quod eſt,ſuperſtitio appellatur. Religionis aūt ueritate remota,infinita ſunt,neq; enumerari poſſunt quæ coaceruantur in erroribus & mendacijs: donec res tandem eò euadat,ut hæc ad Dei quidem primùm aduerſationē, deinde & contemtum omniū rerum & hominū,quaſi impetu quodam ueſaniæ efferantur:tum potentia attributa ad protegendā,& opes conceſſę ad augendam, & ingenium idoneum ad illuſtrandam Religionem,contra hanc conuertuntur. Ita tandem fiunt atq; geruntur ea,quæ ſi nemo detrectaret alius, illi ipſi qui cōmouiſſent, ſuſtinere non poſſent. Eſt enim improbitas ac petulantia, & flagitiorū ueſania eiuſmodi onus, ut eos qui hanc à ſe alijs moleſtiam imponunt, ad extremum maximè premat. Mihi quidem,ſi fas eſt dici à me quoq; ſententiam (ſed certè fas eſt,in hac omnium rerum perturbatione & miſeria) mihi igitur uidetur, ſi animus non deſit ad ſuccurrendum,adhuc rebus laborantibus conſuli poſſe.Sed non inde eſt ordiendum, unde cenſent ij quibus utile eſt non explicari difficultates has, in quibus uita noſtra uerſatur. Inter has enim illi & dignitatem aliquam & copias retinent,quam mercedem accipiunt ut ueritatem oppugnent, & defendant mendacia. His nō expedit ordine & uera ratione rem geri.Eriperentur enim eis uitæ ſuauis,tanquam ganeonibus & helluonibus, deliciæ,luci ueritatis nemine quaſi obſtruēte: uel etiam facultas non eſſet amplius cęlandi immanitatē ſuam,perfracta tanquā Caci ſpelunca.Qui profectò eos affligent grauiſsimè, qui illis potiſsimùm freti fuerint:quemadmodum factum quoq; eſſe conſtat, ut ijs ipſis quorum res agitur maximè, in primis uidendū ſit,quibus defenſionem ſtatus ſui committant ac credant. Si qui enim uolunt nunc quoque ſaluam & incolumem eſſe qualēcunq; Rem eccleſiaſticā, ij nō admittant eos architectos atq; fabros, qui ſupponant fucorū & pigmentorū futiles tibicines:ſed qui columnas uerarū emendationū erigant, quas neceſſe eſt refutatis prius & ſublatis erroribus reponi & ſtatui. Quod ſi res etiam deſperata eſſet, neq; ea de quibus plericq; maximè

dimicant,

dimicant,retineri poſſent,opes inquã & potentia & dignitas:tamen bonæ & piæ mentis erat,omnia ea conſulere & agere, quibus reduci lumen ueritatis,& diſcuti errorum caligo,& gloria Dei æterni aſſeri poſſet. Eſt enim certè hæc uita fluxa & breuis in longiſsimo quoq; ſpacio ſuo.Quid autem quæſo ſequitur unumquenq;,uel quid aufer tur hinc ab aliquo, quàm id quod in terris actum eſt? O miſeros nos, ſi quæ perperam egimus, nobis imputabuntur: quis enim eſt non ali quibus peccatis inquinatus? uel quàm multi potius ſunt turpiſsimis delictis polluti? Et tamen cum uno præclaro & laudabili opere poſſumus coram ipſo Deo confidenter apparere,pœnitentiæ & fidei,quod eſt opus ueritatis cœleſtis: quàm nõ confiteri, nedũ odiſſe & inſectari,id eſt facinus, quod ueniam nullam meretur,neq; inuenit. Hortatur apud Homerum, propinquũ ſuum Glaucum Sarpedon,ut fortis ſit,neq; metu mortis cõgreſſus hoſtiles refugiat: quod haberet fortaſſe excuſationẽ,ſi uita immortalis eſſet.Nunc cum omnibus morte occumbendũ ſit, honeſtè huius occaſione potius utendum,q̃ ad incertum exitũ infamiam adhibendã eſſe arbitratur. At nobis,qui Chriſtianos nos perhiberi uolumus,uitę æternę ſpes proponitur, ignotæ omni ſapientiæ humanæ. Ad hanc igitur nolle contendere, etiam per aſperius iter quodpiam,nimis eſt mollis & delicati animi. Quod ſi,ut ego exiſtimo,adhuc cũ parua & tolerabili moleſtia eò perueniri poſsit, ut & æterni Dei gloria nõ contaminetur: & cõmoditates in terris ijs conſeruentur, qui illas expetunt, & nomen Chriſtianũ in ueritatis & fidei ſanctæ cultu celebretur: quis iam audiat eos,qui nõ in meliorem formã redigi omnia,& quaſi Solem ueritatis errorũ depulſis tenebris emicare optent potius, quàm per impietatẽ ac turpitudinem, etiam perpetua, ſi fieri poſſet, felicitate frui, quaſi in luſtris quibuſdã uitam uoluptatis uecordis degentes, cuius tamen nemo omniũ ſibi diuturnitatem policeri auſit: ut uel grauiſsimam hanc pœnam & maximã calamitatẽ iſtorum beatorũ aut callidorum cœtus ac conciliabula perpeti, conſcientiæ ſtimulos & exagitationes neceſſe ſit,dum ſibi metuentes,omnesq; ſtrepitus aduerſi quaſi flatus exhorreſcentes, hoc modò cogitãt,quib. conſilijs & machinis exterminari,& è medio tolli poſsint ij,quos neq; tales res probare,& quid fiat perſpicere & indicare poſſe ſciunt. In qua parte ſi ſatis urgemur,hoc eſt,ſi delicta noſtra ad animaduerſionẽ implacabilẽ prouocarunt numen diuinũ: fruſtra ſcilicet dicũtur omnia. Sin à miſericordia illius,quę maior et amplior eſt toto orbe terrarũ,adhuc aliquid ſpei relinquitur: cogitari poterat, omnẽ aduerſus naturę ueluti curſum, contentionem nequicquam ſuſcipi, ut finis fieret tandem peruerſitatis, & deſinerent quidam pertinaces ſtimulis calces impingere. Demergantur ſanè ſubter aquas utres, rurſum hi nimirum enatabunt. Et ille apud Maronem,

— Qui aduerſo uix flumine lembum
Remigijs ſubigit, ſi brachia fortè remiſit,
Atq; illum in præceps prono rapit alueus amne.

Ad explicandum autem dubia, & remouendos errores, & tollendas controuerſias, opus certè eſt, ſi ordinem naturæ ſequi uolumus, iudicio & cognitione. Cognitioni uerò nihil magis contrarium eſt, quàm oppreſsio: cum illam ius, hanc uiolentia conſtituat. Vis aũt iuri maximè aduerſatur, & eſt inimica. Nunquam igitur auditum compertum'ue eſt, rem ullam, quæ cognitione ac iudicio definiri deberet, armis aut potentia fuiſſe deciſam. Premi & mergi poteſt ueritas, opprimi & ſubmergi non poteſt. Semper autem uel eſt, uel uidetur eſſe uerum, quicquid ratio & aſſenſio irrefutata probat ac ſequitur. Nam manifeſta mendacia amplecti ac defendere, iam etiam rabies putanda eſt. Audiui aliquãdo quendam, qui eſſet teſtis productus contra ſuum neceſſarium, iniuriarum reum, quòd alterum pulſauiſſet, cum illum ſubleuare cuperet, ita dixiſſe: Se quidem uidiſſe, cum hic ligonem ſublatum impingeret in tergum alterius, tanta ui, ut eum proſterneret: ſed utrum percuſſerit, inquit, Iudices, hominem, nec ne, ſanè ignoro. Nihil eſt ab omni doctrina, pudore, ſtudio humanitatis alienius, quàm quorundam ſunt uel collegia uel ſodalitia, nihil magis imperitum tam ſacrarum quàm aliarum literarum, nihil minus religioſum atq; uenerabile, neq; magis profanum ac leue: & hi tamen opinione harum pulcerrimarũ rerum ſe adhuc tegi muniriq; uolunt, atq; indignantur ſi quis auſit aliter de ſe quàm honorificè loqui ac ſentire. Cum ipſi illi ſciant, neq; negare poſsint, labefactatum eſſe ſtatum priſtinum, & turbatum ordinem: tamen aliquid patratum eſſe quod animaduerſionem mereatur, planè dici nolunt. Interrogetur aliquis amicus & aſſecla & ſodalis iſtorum, negare non poterit eſſe rem miſeram & afflictam, premi ueritatem, contaminari Religionem, ſolui diſciplinam. Sed an hi uel illi labefactores perhibendi ſint, quos in noxa eſſe conſtat, parcet dicere. Alius etiam quoſuis potius inſimulabit, & reos faciet huius culpę. Cumq; queretur de ueritate: Quid quæris, inquiet, quò tendas? ac non potius hàc pergis, quà maiores noſtri præceſſerunt? Audio, ſed enim metuo. Acclamatur enim hinc inde, iter iam eſſe periculoſum: ut ſi uadum fluminis tranſire uellem, quod ante multos annos ſcirem peruium fuiſſe, & in ripa aſtantes aliqui monerent, ea parte iam gurgites in aquis eſſe: ſcilicet cauerem, neq; temerè in diſcrimen cõijcerem uitam meam. At tu narras hàc eſſe pergendum ad æternam uitam, quà priores neſcio qui: cum iam iſtud iter ad interitum ducere, & detortum à uero, uel tempeſtatibus corruptum, uel latrocinijs infeſtum, ſine præſenti periculo fieri non poſſe uideatur. Liceat tamen atq; concedatur ſuſcipi curã conſiderationemq; aliquã ueritatis: uel ſi aſſenſio extorquetur, patiamur hoc in ijs rebus, quæ

neq; nobiſcum naſcuntur, neq; nos decedentes ſequuntur, ueritas æterna hac ſeruitute liberetur. Quòd ſi æquum ſit me tantis de rebus ſententiam dicere & dare conſilium, non ſtultam planè illam dicere, neq; hoc inutile dare poſſe uidear. Cum enim inter neſcio quam oſtentationem calliditatis & intelligentiæ ſingularis fieri cernamus, ut ea quorum eſt neceſſaria cognitio negligantur, & tota uita cõpleatur licentia, & cupiditatibus habenæ laxentur, & audacia iniuſticiæ penè ubiq; regnet: hoc agatur, ut de difficilibus & obſcuris diſputationes ſuſpendantur, & nota, certaq;, nec ambigua doceantur, & uitia morum emendentur, & uitæ turpitudo exterminetur. In hoc conſentiant magni ac potentes, & ingenioſi atq; docti: nimirum meliùs tempus futurum eſt, & prętextus pleriſq; tergiuerſandi ad correctiones auferetur. Capita, quorum confeſsione Chriſtiana ſancta & catholica Religio continetur, neq; ignota ſunt, neq; cõtrouerſa. Hæc igitur fideliter teneantur, & explicentur: & ſecundum Apoſtolicam doctrinam tradantur in cœtibus Eccleſiaſticis: & deinceps ad pręcepta pietatis, uirtutis, ſanctimoniæ conformetur omnium conditionum & generum uita. Tum deinde, ſi neceſſe fuerit, & de alijs quæratur atque diſceptetur. Sed facile ſcilicet hoc dictu eſt: fieri autem in hac improbitate hominum, & peruerſitate morum, & rerum cõfuſione, uix, uel nullo potius modo poterit. Defendi enim quiſque & uincere id uult, quod ipſe probat. Et hæc diuina, ut ita dicã, arma ſunt, quę partes aduerſæ capiunt. Religionis ſanctiſsimum nomen, & mentio fidei Chriſtianę. Quid igitur ego quidem uel poſsim uel debeam dicere atq; commemorare præterea, non reperio: perpetiar itaq; ſcilicet unà cum alijs quicquid neceſſe fuerit: & (quod piè ac religioſe futurum eſt) permittam Deo cætera. Meum autẽ hunc laborem, quem impendi deſcriptioni hiſtoriæ memorabili, & utili ad inſtruendum animos his temporibus, quibus & iudicia & uoluntates hominum mirabiliter diſcrepant, non ingratum futurum eſſe confido, uel ſolicitis de re Eccleſiaſtica, uel non alienis ſaltem à liberali cognitione antiquitatis. Sed nunc narratio ipſa procedat. CVM eſſent res Chriſtianę mediocriter quietę, adeò ut iam in ocio quaſi laſciuire animi inciperent, & æmulatione atq; odijs & cõtentionibus diſtraheretur Eccleſia, in mirifica ſimulatione & uanitate, & incredibili leuitate, tam antiſtitum quàm multitudinis, à quibus quaſi nihil curaret res humanas Deus, facinora impietatis alia alijs cumularentur: ijs potiſs. qui doctrina & exemplo alios inſtruere deberent, religionis ſanctitatem uiolantibus, & iurgijs ac conuicijs ſeſe mutuò proſcindentibus, in'q; hoc ipſum tantummodo nitentibus, ut rixæ, obtrectationes, diſsidia, odia, inimicitiæ creſcerent, dum quiſque ambitioſe principatum affectat, & dominationem quaſi tyrannidẽ ſtabilire conatur, ut ſcripſit Euſebius: tum igitur repreſſurus petulantiam populi Chriſtiani, paſ-

ſus eſt Deus graſſari in hunc ſæuitiam Imperatorum Romanorum & Cæſarum, penes quos ſumma fuit rerum illo tempore, quod incidit in annũ Chriſti C C L X X. & Diocletiani cognomento Iouij X I X. quem excepit annus, quo ille uel iudicio uel perturbatione animi imperio ſua ſponte ſe abdicauit, & in ocium uitæ priuatæ recepit. Erant tum quatuor principes Romani cum imperio, penesq́ hos ſumma quidem rerum communiter, ſed quaſi dignitatis quidam & excellentiæ gradus. Inter hos primas tenebat Diocletianus, ſecundo loco præerat Valerius Maximianus cognomento Herculeus, qui Diocletianum non aliter quàm patrem uenerabatur, qua de cauſa maximè cognomentum reperiſſe traditur. Hunc tertio loco ſequebatur Conſtantius Chlorus, & quarto Galerius Maximianus. Cum autem Diocletianus, & qui ſecundum hunc colebatur Maximianus, imperij potentiam ultro depoſuiſſent, ſumma rerum penes duos reliquos remãſit, Conſtantium & Galerium: quorum Galerius: creauit duos Cæſares, Maximinum quem Orienti, & Seuerum quẽ Italiæ præfecit. idẽque paulo ante mortem Cæſarem fecit Licinium. Cum autem diem ſuum obijſſet Conſtantius, exercitus Cõſtantinum filium Auguſtum dixit. Poſt Maximianos è medio ſublatos, deuictoq́ in Italia auſpicijs Conſtantini Maxentio Herculij F. & in Tiberi ſubmerſo in Aſia autem duobus prælijs Maximino ſuperato, & morbo miſerabiliter abſumto, ſocietas imperij aliquantiſper inter Conſtantinum & Licinium fuit: qua diremta, & Licinio diuerſis prælijs profligato, & tandem ad Chryſopolin deuicto & capto, ac mox cum rebellaſſet interfecto: totius imperij quaſi corpus ad unum caput gubernationis redijt, & egregium principem habuit Conſtantinum Conſtantij F. annis propemodum X X X I I. Quibus annis ita cõfirmata fuit res Eccleſiaſtica, ut poſtea augeſcens, nulla neque potentiæ magnitudine, neque ſapientiæ calliditate labefieri potuerit: donec eò proceſsit, ut ſe ipſa iam non magis capere neq́ tueri poſſet. Sed nos hiſtoriæ ſeriem proſequamur. Conſtantinus itaq́ potitus imperio ſolus, omnib. rebus Chriſtianos cœtus ornare, cùm legum præſidio hos muniens, tum benignitate & munificentia locupletans publicè ac priuatim: atque operam dare, ut prouinciæ uel Chriſtianis ex profeſſo, uel Chriſtianæ religionis amatoribus decernerentur. Tulit autẽ leges duas, quibus in primis aucta amplificataq́ res Eccleſiaſtica fuit. Vnam, qua interdicebantur ritus & cæremoniæ priores & ſimulacrorum cultus æquè uniuerſis: quaq́ & ſacrificia, & extiſpicium, & conſecrationes delubrorum, denique omnes ueterum ſuperſtitioſæ obſeruationes prohibebantur. Alteram, qua iubebantur templa ad conuentus Chriſtianorum extrui, & ædes precum dilatari: nullis ſcilicet deinceps legitimis ſacrorum cœtibus futuris, niſi qui Chriſtiano ritu frequentarentur. In quo tam ſolicitum fuit ſtudium Principis, ut Epiſcopos
miſsis

miſsis li teris cohortaretur, viderent & anniterentur, ne Eccleſiaſtic res ulla parte ſui detrimẽto afficeretur. Quarũ unas ad ſe ſcriptas ex poſuit Euſebius, quas & interpretari hoc loco uiſum. VICTOR Con ſtantinus Max. Auguſtus, Euſebio. Ad hoc uſque tempus impio conſilio & tyrannide famulos Saluatoris noſtri perſequente, credo & planè perſuaſum habeo, totam Eccleſiaſticam rem aut negligẽtia corruptam, aut metu imminentis uiolentiæ deſertam eſſe, frater cariſsime. Nunc autem libertate reddita, & illo Dracone ab adminiſtratione Reipub. amoto, in quo diuina prouidentia mea opera uſa fuit: exiſtimo diuinam potentiam manifeſtam eſſe factam uniuerſis, & eos qui uel metu uel diffidentia delictis implicati fuerunt, per cognitionẽ ueritatis unicæ, ad uitæ uerum & rectum ſtatum peruenturos. Quapropter tam eas Eccleſias quibus tu præſides, quàm aliarum iſtis in locis tibi notos Epiſcopos, presbyteros, diaconos'ue, admoneto, ut ſtudioſe curent rem Eccleſiaſticam, ſiue inſtaurando, ſeu amplificando, ſeu etiam noua opera extruendo, ſicubi uſus poſtulare uidebitur. Petes autem cùm ipſe, tum alij per te, neceſſarias impenſas, à noſtris ducibus & ordine Prætoriano. His enim literæ miſſæ ſunt, ut omni ſtudio obſequantur ijs quæ à tua pietate commemorata fuerint. Deus te conſeruet, frater dilecte. Curauit & literas publicè proponi ad eum modum ſcriptas, ut plurimum momenti habere exiſtimem, cùm ad commendationem ueræ pietatis & mentis religioſę Conſtantini, tum imitationem tam præclari & diuini facinoris, ſi cui fortè in terris opibus & potentia excellenti adhuc ueritas cordi & ſanctitas religionis curæ eſt, & Eccleſiæ calamitas digna uidetur dolore, & reſpectu atque ſtudio ſubleuationis. Ideoque & conuerſionem harum narrationi præſenti inſerendam eſſe duxi: tametſi compoſitio nobis non admodum probaretur, neque nos ſtatuiſſemus multas interpretationes Epiſtolarum & ſimilium ſcriptorum in hanc narrationẽ tranſlaturos eſſe. Eſt autem exemplum literarum illarum, quod ſequitur. VICTOR Con ſtantinus Max. Auguſtus, Prouincialib. Orientis. Omnia quæ præcipuis naturæ legibus comprehenduntur, eius prouidentiæ & ſcientiæ quæ eſt in diuina ordinatione, cunctis euidentẽ ſenſum exhibent. Neque dubium eſt ullum, ſi quibus recto intelligentię itinere cogitatio ad hoc ſignum dirigitur, quin ſanæ cogitationis & ipſorum adeò oculorum' exacta comprehenſio, uno momento ueræ uirtutis ad cognitionem deducat Dei. Quapropter ſapiens aliquis nõ ideo perturbabitur, quòd cernat multos diuerſis conſilijs diſtrahi. Ignoraretur enim & occulta eſſet uirtutis gratia, niſi ex aduerſo diſtortæ amentiæ uitam improbitas opponeret. Quapropter uirtuti quidem parata eſt corona: iudicij autem omnis poteſtas in manu eſt altiſsimi Dei. Ego uerò quàm licet maximè perſpicuè hac expoſitione, quæ ſit ſpes mea confiteri conabor. Ego ſuperioris tẽporis Imperatores pro alienis habui,

habui, propter immanitatem ingeniorum: ſolus autem pater meus clementiam tractando exercuit, cum mirifica religione in omnibus actionibus ſuis Deum patrem inuocans: cæteri uerò, uæcordibus animis, crudelitatem ſibi potius quàm clementiam curæ eſſe ſiuerunt, & hanc uehementer aluerunt, ſuo tẽpore ueram doctrinam peruertentes. Improbitatis autẽ horum indignitas eò uſq; exarſit, ut omnibus ſimul diuinis & humanis rebus pacificè quieſcentibus, ciuilia ab ipſis bella excitarentur. Apollinem tunc aiebant è ſpecu quodam & tenebroſo penetrali, non humana uoce, oraculũ protuliſſe, quòd quidam in terris iuſti impedimento eſſent ueritati reſponſorum: & ideo uaticinia de cortinis falſa edi. Hoc ſacerdos demiſsis capillis & incultis, cum repelleretur à diuinatione, malum inter homines obuerſans, deplorabat. Sed uideamus in quem finem iſta eruperint. Te nunc altiſsimum Deum inuoco. Audiui in prima pueritiæ ætate, quo pacto is qui tum primas tenuit inter Imperatores Romanos, infelix, uerè infelix, errore animi ſeductus, ex ſatellitio ſuo curioſe quæſiuerit, quinam illi in terra iuſti eſſent? ibi unus de ſacrificulis ipſius reſpondit, Chriſtianos ſcilicet hos eſſe. At ille reſponſum hoc tanquã mel deuorauit, & mox ad maleficia repertos gladios cõtra inculpatã pietatem diſtrinxit. Statim itaque edicta cruenta parricidalibus mucronibus, ut ita dicam, cõponere: & cohortari iudices, ut naturæ ſagacitatẽ ad reperienda ſupplicia atrociora intenderẽt. Erat tum erat cernere, cum quanta licentia, illa uenerabilis diuini cultus pietas, crudelitatis uiolentis haud uulgares cotidie contumelias ſuſtineret. Pudorẽ autem & temperantiam, quam ne hoſtium quidẽ unquam quiſquã læſit, iratorum ciuium debacchatio quaſi obiter exagitabat. Quid ignium fuit? quid tormentorum? quæ fidicularũ facies? Nonne cuilibet corpori & omni ętati abſq; diſcrimine admouebatur? Tunc lacrymas euidentes profudit tellus. Mundus uerò qui uniuerſa complectitur, deplorauit cruentam inquinationẽ ſui. Dies etiam in luctu ſeſe, ò caſum mirabilem, tenebris inuoluit. Sed quid hæc commemoro? Gloriantur iam ob iſta barbari, qui tunc profugos noſtros receperunt, & humanitate captiuitatis conſeruarũt, quòd non modò uitam illis, ſed & uenerabilẽ conditionẽ retinere conceſſerint. Romanum aũt genus hanc maculam geſtat perpetuam, quam ei inuſsit illis temporibus ex orbe Romano expulſio Chriſtianorũ, qui ad barbaros confugerunt. Verùm quid opus eſt lamentorum illorum & cõmunis luctus orbis terrarum meminiſſe pluribus? Iam & huius ſceleris autores abierunt ad æternum ſupplicium, traditi barathris Acherontis cum exitu turpi. Nam bellis inteſtinis impliciti, neq; nomen, neq; genus ſuum propagauerunt: quod ipſis neutiquam accidiſſet, niſi impia illa oraculorum Pythij diuinatio, ambiguam & falſam effectionem habuiſſet. Nunc te Deum maximum inuoco, ut ſis propitius & benignus Orientis incolis, &

lis,& omnibus prouincialibus tuis à diuturna calamitate contritis,& per me famulum tuum conferas ſanationem. Atque hæc oro non immeritò, ô uniuerſitatis Domine ſancte Deus:tuis enim ductibus ſalutaria negocia aggreſſus ſum,& peregi: & præferens ubiq; ſignum tuũ,ductor fui præclarè uictriciũ copiarum. Ac ſicubi Reip. poſtulet uſus,eaſdẽ uirtutis tuæ ſequẽs teſſeras, contra hoſtes proditurus ſum.Ideoq; offero tibi animã meam,amore & timore caſtè temperatã.Nomen enim tuũ ſincera caritate amplector: potentiã autem tuam religioſe colo, quam multis argumẽtis declarauiſti, & qua meã fidem reddidiſti firmiorẽ. Propero itaq;, ut meis etiam humeris ſuppoſitis, tuum ſanctiſsimũ templum inſtaurem, quod nefarij & maximè impij iſti ſcelerata peruerſitate demoliti fuerunt. In pace abſq; ſeditione degere populũ tuum deſid ero,ad totius orbis terrarũ & omnium mortaliũ utilitatem: etiam ij qui in errore uerſantur, lætis animis & pace & quiete fruantur unà cum credentibus.Hæc enim correctio ſocietatis ad rectã uiam poterit deducere. Nemo alteri moleſtus ſit. Vnuſquiſq; quod animo libitum fuerit id agat: qui uerò non deſiſtũt,eis perſuaſum eſſe debet,ſolos eos ſanctè & purè uicturos, quos tu uocas, ut acquieſcant in tuis ſanctis legibus: qui uerò ſeſe hinc auellent, illi teneant ſanè conceſſos mendaciloquentiæ lucos. Nos lætiſsimum tuæ ueritatis templum poſsideamus, quod ſecundum naturam tribuiſti. Idem optamus etiam iſtis contingere, nimirum ut in communi concordia etiam ipſi animi hæc gaudia percipiant. Non enim noſtra religio quicquam habet recens natum,aut nouum:ſed ex quo uniuerſitatis huius pulcerrimum opus firmatum eſſe credimus, hoc extat mandatũ, quod ſequimur cum decente cultu tui. Lapſum autem fuit genus humanum, uarijsq; erroribus ſeductum: Tu uerò per filium tuum, ne longius graſſaretur malum,prolata pura luce, omnibus in mentem reuocaſti memoriam tui. Tuæ actiones horum fidem faciunt. Tua potentia innocentes nos & fideles præſtat. Sol & luna legitimũ habent iter. Neq; ſidera confuſam in orbe cœleſti conuerſionem habent. Temporum uices legitimè redeunt in orbem. Terræ ſtabilis firmitas tuo uerbo conſiſtit. uentusq; ſecundum tempus introductum peragit motum ſuum: & aquarum impetus curſu pergit, cum immenſæ fluxionis menſura. Mare finibus cohercetur fixis:& quicquid tam ad Oceanum quàm Tellurem extenditur,id miras aliquibus elaborat utilitates. Hoc niſi de iudicio tuæ fieret uoluntatis,ſine dubio tanta uarietas & magnũ facultatis diſcrimen, toti uitæ & rebus omnib.detrimẽto eſſet. Illi etenim qui ipſi ſecũ bello conflictati ſunt,grauius certè bellum generi humano intuliſſent:id quod etiam cum nõ conſpiciuntur agunt. Gratia tibi plurima Domine,uniuerſorum maxime Deus. Quo enim per diuerſas ſtudiorum occupationes magis innoteſcit humana natura, tanto certius rectè ſentienti

bus, & quibus germana uirtus curæ eſt, conſtat de diuini uerbi do-
ctrina. Verùm ſi quis hunc coli uetat, is alteri hoc malum imputare
non debet. Nam medicina manifeſtè propoſita omnibus, & præſtò
eſt cum remedijs ſuis, modò ne quis corrūpat id quod res incōtami-
natas fore ſpondet. Vtamur itaq; omnes homines boni attributi cō-
ſortio, hoc eſt pacis pulcritudine, ſeparātes ſcilicet conſcientiā ab om
nibus contrarijs. Veruntamen unuſquiſq;, quod ſibi perſuaſum eſſe
manifeſtū fit, eo alterum ne lędat. Quod aliquis nouit atq; ſcit, eo alte
rum, ſi fieri poteſt, adiuuet: ſin minus, ita tamen abire patiatur. Aliud
enim eſt certamen pro immortalitate ultro ſuſcipere, aliud cum ſup-
plicio ad hoc cogere. Hęc cōmemoraui, hęc percurri copioſius, quàm
meæ æquitatis poſtulabat ratio, quòd ueritatis fidem nō uellem oc-
cultare. Quoniā, ut audio, quidā templorū ſublatos eſſe ritus aiunt,
& tenebrarum poteſtatem: id quod non dubitarem ſuadere omnib.
hominibus, niſi praui erroris uiolenta oppreſsio, ad detrimentum
communis reſurrectionis immodicè quorundam animis infixa eſſet.
Hoc eſt exemplum literarū quas ad prouinciales miſit illis temporib.
Imperator Conſtantinus, cum ſumma lenitate allicere tentans om-
nes ad ueritatis cœleſtis ſtudium, & cōmunitatem nominis Chriſtia-
ni: & abhorrentes, molliſs. ut dicitur, brachio ab aduerſando repel-
lens. Cum inter hanc curam & gratiſsimam occupationem illius, nun
cius affertur, maximis & grauiſs. procellis diſſenſionum concuti Ec
cleſias: quo nuncio mirificè perturbatus Imperator, quòd perſuaſum
ei eſſet, non magnā de re quæri, & magis in cauſſa eſſe epiſcoporum
ambitiones & peruicaciam, quàm dogmatis ſtudium, ut diſtraheren
tur Eccleſiæ, conatus fuit eos quos eſſe autores diſsidij cognouerat,
in concordiam redigere cohortatione literarum ſuarum. Neq; abſti-
nuit à caſtigationibus: ſed has ita moderatus fuit, ut nihil lenius neq;
māſuetius fieri potuerit. Nam interdum in memoriam reuocare illis
ſua erga rem Eccleſiaſticam merita, & orare ut hoc ſibi gaudium eſ-
ſe perpetuum uellent: neque partam tranquillitatem beneficio ſuo,
ipſi ſua petulantia exterminarent. Interdum ſe arbitrum ad dirimen-
das lites & contentiones, & reconciliatorem pacis offerre: poſſe
facilè redintegrari caritatem, ſi odia mutua deponant: ſe ideo uita-
re illa loca, ne uidere cogeretur, quæ uix audire ſuſtineret. His igitur
& ſimilibus argumentis utens, & nunc Alexandrum epiſcopum Ale
xandriæ, nunc Arium presbyterum (hi enim illud incendium ſuis di-
ſputationibus excitauerant) compellans literis & nuncijs (inter quos
& Hoſij Cordubenſis illis temporibus celeberrimi epiſcopi opera u-
ſum fuiſſe accepimus) tētauit flammas diſsidij bonitate ſua reſtingue
re. Sed malum maius erat, & grauius quàm ut hac medicina ſanari
poſſet. Nam undiq; omni metu & formidine periculorum remoto,
quaſi laſciuientes ocio non modò præſides Eccleſiarum, ſed ipſa
etiam

etiam multitudo populi,prætextu dogmatis in eas incidit diſputatio
nes,quibus non modò Alexandria, ſed tota Aegyptus & Africa ; ac
mox aliæ quoq; prouinciæ cõmotæ fuerunt. Iamq; nõ modò Epiſco-
pos cernere erat iurgijs & altercationibus conflictantes, ſed alios e-
tiam factioſe huic aut illi parti accedentes, iraq; & odio uerborũq; im
manitate inter ſeſe decertantes. Eoq; res abſurditatis & peruerſitatis
proceſsit, ut iam à Græcis in ſcena & theatro per iocos & ludibria
Chriſtianiſmus occaſione iſta exagitaretur. In hac quaſi tempeſtate
cùm alia multa dicta ac facta fuere, indigna nomine Chriſtiano, & ſan
ctitate religionis: tũ à multitudine concitata & ſeditioſa ſubuerſę ſta-
tuę, poſitæ Imperatori: quę tamen cõtumelia & iniuria nõ iracundiæ
animaduerſionem, ſed auxilij contra inſaniam, conſiderationem in a-
nimo Imperatoris cõmouit. Exponemus autem præcipuas cauſſas
diſcordiarum, & eas res demonſtrabimus, quas ob res illæ ſuſceptæ
fuerunt. Primùm igitur iam longo tempore diuerſæ opiniones atq;
obſeruationes de die feriarũ Paſchaliũ, & diſsimiles ritus alienabant
Eccleſiarum uoluntates & ſtudia, non eodem modo aut tẽpore hanc
feſtiuitatem celebrantium. Et tanta erat diſſenſionis atrocitas, ut nul
la ope humana hac in parte laboranti rei Eccleſiaſticæ ſuccurri poſſe
quiſquam arbitraretur. His autem temporibus quo maximè flagra-
bat hoc diſsidium, Petro archiepiſcopo Alexandriæ ſucceſſerat A-
chilla: quo celeriter uita & curatione ſua defuncto, epiſcopi illic mu-
nus mandatum fuit Alexandro. Nam anno uno epiſcopum fuiſſe
Achillam, tradit Nicephorus: Epiphanius, menſibus tribus. ſed hic
falſo hunc poſt Alexandrum ponit: & huic Athanaſium ſucceſsiſſe,
neq; rectè & indiſertè retulit. Seruabatur autem ab antiquo, ut penes
epiſcopum Alexandrinum inſpectionis, & quædam gubernationis
curatio eſſet Eccleſiarum uicinarum in Aegypto tota, itemq; Thebai
de, & Mareotide & Africa, Ammoniacaq; & Pentepoli. Sed in urbe
Alexandrina magna & populoſa, quòd pluribus in locis conuenire
multitudinem neceſſe eſſet, complures Eccleſiaſticæ ædes extructæ
fuerunt. Inter quas una Baucalis appellata, presbyterum tum habe-
bat, à quo adminiſtrabatur inſtituto Archiepiſcopi, nomine Arium,
natione Afrum, ut fertur: alię autem alios, ut Coluthum, Carponam,
Sarmatam. Inter hos cum unuſquiſq; ſibi multitudinem aliqua noui-
tate doctrinæ conciliare ſtuderet, ſimultates & diſcordiæ ortæ fue-
runt; & in æmulatione ac peruicacia ſingulorum, ueritas doctrinæ o-
pinionum prauitate corrupta. Tum deinde & factiones ſtudio par-
tium extiterunt. Coluthi autem & Arij nomina potiſsimùm uulgo
celebrabantur, & hi ſeceſsionis quaſi capita erant. Itaq; alij iam Colu
thiani, alij Ariani nuncupabantur. Sed Coluthi dogmata celeriter e-
uanuerunt. Arius autem maiores turbas dedit, & grauius uulnus in-
flixit nomini Chriſtiano. Erat Arius, cum ita efferri animo cœpit,

ætate admodum grandi, ingenio perquam callido, natura ſimulatrice, inceſſu lento, ac uultu ſemper demiſſo, oſtentator ſanctimoniæ tam habitu quàm alijs rebus: nam ſemper ueſtem religioſam geſtabat, ſtrictum palliolum & cucullam indutus. affabilis autẽ & comis, & idoneus ad animos uoluntatesq́ꝫ hominum ſibi conciliandos, & conſtituendam autoritatem profeſsionis ſuæ. Itaqꝫ tum non modò imbecillem ætatem & ſexum ad ſe conuertit: (nam confluxiſſe ad hũc ſeptingentæ uirgines perhibentur, quæ aliarum Eccleſiarum præſides reliquiſſent:) ſed & epiſcopos ac presbyteros & diaconos nonnullos ſibi & dogmati ſuo adiunxit. inter quos præcipui fuere Secundus epiſcopus Pentapolis, & Euſebius Nicomediæ (nam Leontius Antiochenus nondum epiſcopus erat,) Theona Afer, Aithales, Achilles, Carpena, Sarmata, & alter Arius, Euzoius, Lucius, Iulius, Mena, Helladius, Caius, Piſtus, quem cõtra Alexandrum deſignarant epiſcopum Alexandriæ Ariani. Ferebat initio rem eo animo Alexander, ut non quidem contemneret, ſed nihil tamen ut inde periculi imminere aut detrimenti metuendum eſſe arbitraretur, donec Melitius Thebaidos archiepiſcopus indiciũ ad hũc detulit impij dogmatis, quod Arius docendo & aſſerendo in populum ſpargeret. Hic Melitius & ipſe quodam nimio ſeueritatis ſtudio autor fuit, ut paulo poſt ſocietati Eccleſiaſticæ grauis plaga impingeretur. Nam etſi contentio illa iam commota fuerat, nondum tamen res ad tantam diſtractionẽ proceſſerat. Aduerſatus hic fuerat Petro Alexandrino, qui cẽſeret lapſos ſtatim recipiendos & admittendos eſſe in Eccleſiam, ſi deliquiſſe ſe cõfiterentur, & peterent ueniam. Hoc Melitius fieri oportere negabat, & ſpecioſa erat oratio huius, Non eſſe male docendos alios facilitate iſta: & ſerio'ne pœnitentia ducerentur lapſi, periculum mora fieri debere. Applaudebatur huic ab ijs qui paulo antè Diocletiano ſæuiente in Eccleſiam Chriſti, carcerem & corporis cruciatus pertulerãt. facta itaqꝫ mox diſceſsione, Melitiani Martyrum Eccleſia nominari uolebant: cum ij qui Petri ſententiam ſequebantur, Orthodoxi, & Catholica Eccleſia, ſicut erant, appellarentur. Ipſe quidem Petrus, qui lapſis ueniam dandam benignè cenſuiſſet, tum ita fuit offenſus aduerſatione Melitij, ut non modò ipſum inclementiſs. rejceret, ſed baptizatos quoqꝫ ab illo pro Chriſtianis non uellet agnoſcere. Socrates ſcripſit, Melitium hũc, quòd ipſe metu ſupplicij ſacrificaſſet ritu Græcorum, ideo munere curationis ſuæ fuiſſe priuatum: & principem factionis cõtra Petrũ primùm, deinde & alios Epiſcopos extitiſſe, & odio horũ ſe Ario adiunxiſſe. quæ cum narratione Epiphanij, quã nos expoſuimus, nõ concordant. Sed ab hoc Melitio admonitus tũ Alexãder, attẽdere diligẽtius quid gereretur, & ſcrutari rem accuratius: & quoniã ea moliri Arius iam uidebatur, quib. oppugnaretur ueritas, & labefieret res Eccleſiaſtica, et hominũ animi peſtilẽti errore imbuerentur,

deniqꝫ

deniq; quibus dogma Chriſtianum euerteretur: accerſit hunc ad ſe, & percontatur de doctrina ipſius: oſtendit etiam, quid ad ſe delatum ſit: monet ut ſuo loco fideliter curare, & ueritatem doctrinæ conſeruare ac propagare uelit: neu ſtudio nouitatis ſeducat multitudinem imperitam fraudulentis & falſis interpretationibus Scripturæ, & detortis aduerſus conſtitutum ueritatis dogma ſententijs, ſe uerò in exitium tali audacia præcipitet. Arius his auditis neq; cõſternari animo, neq; tergiuerſari: ſed perfricta fronte & uerbis confidentibus dicere, ea ſe docuiſſe ac docere, quæ defendere ſe poſſe & probari à pijs & literatis ſciat: nihil ſe morari, quid imperitiores aliqui loquerẽtur. Alexander, etſi erant qui contra Arium eum inſtigarent, tamen optimum eſſe ratus, ut de controuerſijs cognitio ritè ſuſciperetur ac fieret, ne certamẽ magis ui & autoritate oppreſſum, quàm diſceptatione & iudicio diremtum eſſe perhiberetur, & ita iuſtis querelis & nouis contentionibus occaſio daretur: conuocat uniuerſos presbyteros urbis Alexãdrię, qui erant (ut diximus) numero complures, & de ijs refert ad eos quę indicio Melitij cognouerat. Expenditur res, & inquiritur in Arium diligenter & ſtudioſe: reperiunturq; uera eſſe quæ propoſita fuerant. Archiepiſcopo quidem nonnunquam commoditate interpretationis adiuuante Arium: ſed cum abſurditas dogmatis eſſet manifeſta, orat conſilium presbyterorum Arium, ut à demẽtia illa deſiſtat, ne'ue pergat Eccleſiam lacerare, & ſtabilitam ac firmatam conſenſione pietatis & religionis Apoſtolicæ doctrinam ſua calliditate conuellere. Non enim hæc ita abitura eſſe: neq; defuturos qui illius furorem, ſi turbare pergeret, refutarent. Ille nihil ſe demutare uelle, & à ueritatis aſſertione depelli non poſſe dicere: euentum aũt non eſſe in ſua manu: uiderent ipſi, quid inciperent ac mouerent. Cum neque precibus neq; minis quicquam proficeretur, de ſententia conſilij ab Alexandro Arius priuatur adminiſtratione cõmiſſæ Eccleſiæ. Tunc unà cum hoc & illæ ſeptingentæ uirgines auulſæ fuerunt, & ingens multitudo ſeceſsit. Ario autem excluſo communitate Eccleſiaſtica, & nihilominus Alexandriæ remanente, non quidem moritur Melitius Thebæus, ut Epiphanius ſcripſit: (nam in una epiſtola Synodi Nicenę, dignitas quidẽ Melitio Epiſcopi relinquitur, functio uerò muneris adimitur:) ſed factio illius creſcere, & ipſe etiam Alexandri rationes ac ſentẽtiam indies accuſando magis infamare, & abſtrahere ab hoc ſuos, uel (nam hoc loco diſſentanea eſt ueterum narratio) neſcio quid accidere ac fieri. Quam Arius occaſionem liberius aſſerendi dogma ſuum ſe eſſe nactum ratus, hanc neutiquã neglexit: ac mirifica ſimulatione Melitianos, quos ſciret ab Alexandrino epiſcopo eſſe alieniores, ſibi conciliare, & uerſutè tegere abſurditatem dogmatis, & fauorem ac beneuolentiã ſibi à multis, Alexandro odium & inuidiam quærere. Fuerat autem & ante id tempus Arius perquàm ſtudioſus

q 3 Melitij,

Melitij,& partes illius contra Petrum defendere non dubitarat. Poſtea tamen deſeruiſſe fertur Melitium,& cum Petro ſe coniunxiſſe, à quo & Diaconus fuerit creatus. Repulſo autem Melitio,ut diximus, ab archiepiſcopo Petro, à quo ſimul & fautores Melitij damnarentur, & horum adminiſtratio ac baptiſmus penitus improbaretur: reprehendere Archiepiſcopum propter hanc uehementiam Arius,& illius ſententiæ aduerſari. Ibi tum & ipſe eiectus fuit ex eccleſia Alexandrina. Verùm paulo pòſt ob confeſsionem ueritatis & teſtimonium Chriſti Petro interemto, Arius ſucceſſore huius Achilla placato, Diaconus denuò eſſe permittitur: & mox presbyter factus,apud Alexandrum quoq; in honore & precio fuit, quòd in primis ingenioſus & facundus eſſe uideretur: & curam unius Alexandrinæ eccleſiæ ſuſcepit & geſsit, ut diximus. Aſtutè autem tum Ariani,cum ſe damnari iudicio Alexandrinæ eccleſiæ uiderent, tam ſuam quàm Alexandri ſententiam literis indicarunt uicinis Epiſcopis:& ab illis petierunt, ſi rectè ipſi ſentirent, ut aduerſus Alexandrum cauſſa patrocinium apud illos inueniret: ſin minus,ut doctrina eorum de ueritate inſtruerētur. Qua ſimulatione ſubiectionis, multorum illi ſtudia ad ſe conuerterunt,& fauorem fuerunt adepti. Cumq; poſtea damnato dogmate Arij, Alexander literis ſuis etiam eos communitate Chriſtiana excluderet, qui Arium recipere & ſubleuare auſi eſſent, maxima indignatio complurium & ingentia certamina fuerunt commota. Defendit tum Arium & Theogonius,& Maris, hic Chalcedonis,ille Niceæ epiſcopus: quibus poſtea curationibus his decreto Synodi ceptis, ipſi mutata ſententia Nicenæ Synodi ſubſcribere ſe profeſsi fuerunt. Ex his Maris ad tempora uſq; Iuliani Imperatoris ſuperuixit. quem, cum in ultima ſenecta oculis captus eſſet, & à Iuliano aliquando ut delirus ſenex & cæcus conuicijs exagitaretur,ferunt liberrimè reſpondiſſe: agere hoc maximè nomine ſe gratias Deo, quòd luminibus priuatus,non poſſet ueritatis deſertorem,& impiorum mendaciorum aſſertorem, aſpicere. ſed gliſcente tum malo,& cum maximo Eccleſiaſticæ rei detrimento factione Arij augeſcente, & hoc incendio non modò uicinas prouincias, ſed longiſs. etiam remota loca corripiente, Alexander aduocato rurſum conſilio presbyterorum & uicinorum Epiſcoporum, quorum uniuerſorū numerūm ad centum fuiſſe aliqui tradiderunt, rurſum cauſſam dicere Arium corā ſe iubet: & conuictum atq; condemnatum denuò tam impietatis quàm turbulentię, urbe Alexandria expellit. qua relicta,in Palæſtinā regionē ille ſe cōtulit: inq; hanc tendens,adire epiſcopos & presbyteros,& ſuam innocentiā prædicare, & accuſare crudelitatē Archiepiſcopi, & ſeſe immeritò maleuolorū odijs circumuentū, inq; exiliū actū eſſe cōqueri: multa tegere,multa aliter quàm geſta erant narrare. Itaq; aliorū miſericordiā facilè cōmouit,aliquorū etiā ſtudia ſibi adiunxit: à pleriſq; tamen,

tamen, quòd conſtaret ab Archiepiſcopo eiectum illum eſſe, repulſus fuit. Re cognita Alexander epiſtolas cõponere, & ad Epiſcopos mittere, collaudans pietatem & fidem eorum qui Arium, declaratũ hoſtem Eccleſię & aduerſarium ueritatis, arcuiſſent cõmunitate ſua: eos uerò qui hunc coniungi ſecum paſsi eſſent, grauiter obiurgans. Has ἐγκυκλίους uocatas epiſtolas Epiphanius numero ſeptuaginta, ab iſtarum rerũ ſtudioſis oſtenſas ſuo tẽpore fuiſſe ſcripſit. Reſponderunt ij qui caſtigabantur, alij aliter. Quidam defendentes ignoratione factum, quidam negantes omnino ſe Arium recepiſſe: non etiam nulli affirmantes ſe eo conſilio admiſiſſe Arium, ut ab errore admonitionibus ſuis reuocarent. Ita non eodem argumento, neq; propoſito pari illæ tum reſponſiones perſcriptę, & ad Alexandrum miſſæ fuerunt. Arius cum iam undiq; fermè excludi ſe cerneret, ad eos quos initio ſocios & adiutores habuerat conſiliorum & actionum ſuarum, ſeſe recepit: & diu remanſit apud Euſebium Nicomedenſem, cuius ope præſidioq; maximè fretus eſſet. id quod & epiſtola ipſius ad hunc, à compluribus expoſita declarat. Vt autem planè intelligi poſsit, quid Arius impiè docuerit, & qua occaſione, deq; quib. initijs hoc tantum malũ, & iſta peſtis cõmota, & in Eccleſia ſæuiſsimè graſſata fuerit, ea quę narrationibus ueterum tradita ſunt, fideliter recẽſenda prius duxi, quàm ad ſeriem hiſtoriæ inſtitutæ perſequendam progrederer. Arius, qui literatus & Dialectices in primis peritus eſſe uideri uellet, & ambitioſius cùm alia loca ſacrarum literarum, & ſpecioſius enarraret, tum de filio Dei accuratius quàm Epiſcopus ſe poſſe diſſerere putaret, de parua ſcintilla hoc tam ingens incendium excitauit. Dixerat Alexander aliquando præſentib. Epiſcopis & clericis, cum de perſonis diuinis uerba faceret, in Trinitate eſſe unitatem, deq; re ardua & aliena à captu rationis humanæ diſputarat eruditius, & philoſophicè magis quàm Theologicam ſimplicitatẽ decere crederetur. Tum Arius, ſiue exiſtimans ab Archiepiſcopo Sabellij Afri Iudaiſmum aſſeri, ſeu anſam hanc oſtentandi contra illum doctrinæ ſuæ cupidè arripiens, contrariũ planè defendere, & omni contentione uerborum affirmare, & copioſe ea quæ Archiepiſcopus commemorauerat refellere: Non eſſe unum filiũ cum patre: quippe cuius origo demonſtretur. Si enim, inquit, genuit filium pater, eſt initium aliquod filij, & extitit hic, & non fuit aliquando. Hoc ille rotundius eloquebatur, ut pręſtigię quędã uerbis fierent. ἦν, inquiebat, ὅτ᾽ οὐκ ἦν υἱός. quod Latinè aliter pronunciare non poſſumus, quàm, fuiſſe tempus cum non eſſet filius. Quæ orationis forma ambiguitatem nullam habet, ſed manifeſtam impietatis falſitatem præ ſe fert. Ipſe autem Arius quoq; de his planè concludebat, ſequi, filium extitiſſe illum quidem, ſed extitiſſe de nullis rebus, quæ res eſſent: id eſt, ἐξ οὐκ ὄντων τὴν ὑπόστασιν ἐσχηκέναι. nam Latino ſermone hæ res exponi atq; demonſtrari

planè nequeunt: de quibus etiam Græca natio nouis quibuſdã,& ãntiquitati inuſitatis uerbis & figuris orationis tum uſa fuit, ad introducendum ſceleratum & nefarium errorem mendacij contumelioſi in filium Dei. Nã alia ex alia abſurditas, ut fit ſemel laxatis habenis petulantiæ, deinceps nata fuit. Additum enim, creatum & factum eſſe filium, id eſt εἶναι κτίσμα καὶ ποίημα: necꝗ hunc natura patri ſimilem, necꝗ reuera eſſe filium: necꝗ ſermonem patris perſonam eſſe, ſed hæc omnia translatè dici. Quibus alia accumulata portenta fuere, quę neque oratione latina explicari poſſunt, necꝗ à pia & religioſa mente cogitari debent: præſertim iampridem Dei benignitate ex Eccleſia his monſtris doctrinæ exploſis, quorum ſimulacra tamẽ quædam & ueluti umbræ apud Maomethæ factionẽ remanſere. De quibus in præſentia plura dicenda non ſunt: ac orandus eſt filius Dei, ut hoc etiam fœtoris Ariani peſtilente alitu orbem terrarum ubiꝗ tandẽ liberare uelit, idꝗ breui futurum eſſe confidamus. Nihil enim reſtare uidetur de ijs quę pręceſſere, quàm uictoriæ IESV Chriſti triumphus, quem acturus ille eſt de hoſtibus ſuis extremo die ætatis mundi huius. Sed redeamus ad narrationis cõtextum. Alexander cum Arij mirificas & ſpinoſas diſputationes, & infinitam telam errorũ compeſcere atꝗ præcidere conaretur, pronunciarat de conſilij ſententia, patris ęterni & filij ęterni unam & ſimilem eſſe naturam. id Græcis uerbis demonſtrare uoluerat, ut affirmaret τὸν υἱὸν ἐξ αὐτοῦ πατρὸς ὁμοούσιον καὶ συναΐδιον. Eamꝗ ſententiam de patre & filio tenere ac ſequi, ut expreſſam de doctrina Apoſtolica, Ariũ & omnes alios iuſſerat. Quod conſilium, ut uidebatur, utile ad litem decidendam, maiores rixas excitauit: cum alij de uerbis elicere abſurda conarentur, alij rem relinquerent & uerba exagitarent. Quærebant igitur quid illud ὁμοούσιον eſſet atꝗ ſignificaret. Num ut de hominibus & brutis & ſtirpibus loquerentur diſerti, ita etiam de Deo accipiendum eſſet? Dici autem in illis ὁμοούσιον eſſe, quod eiuſdem naturæ & ortus ſit particeps: idꝗ iam notionem corporis complecti, ut hominem homini, brutum bruto, ſtirpem ſtirpi eſſe ὁμοούσιον, id eſt cognatum, ſeu naturam & procreationem habere communem: id quod de Deo ſentire & dicere nefas eſſet. Iam eum quem cum patre æterno æternum, id eſt συναΐδιον facerent, quomodo faterentur genitum eſſe? Nonnulli, quò ὁμοουσίου uerbum magis exagitarent, ita rem diuidere, ut docerent, ὁμοούσιον omnino tripliciter accipi poſſe. Eſſe enim ὁμοούσιον, quod ab altero manaret, uel tanquam partis reſectio: id nominarunt κατὰ μερισμὸν, ut una gleba metallica in duo aut tria fruſta diuiſa. uel fluxu quodã, qualis ſit procreationis liberorum de ſemine paterno: uel protruſione, quã προβολὴν dixere, ut propago in uitibus. Sed nihil horũ ſcilicet de filio rectè dici. Verùm has exquiſitiones intelligentię & rationis humanæ concluſiones religioſa pietas ignorat, necꝗ curat: ac ſequitur doctrinã cœleſtem,

leſtem,& huic fidẽ habet non ſcientiæ humanæ, ſed pię fidei: & quæ diuina ſunt, ea neq; callidè cogitando, neq; audacter pronunciando profanare ſuſtinet: neq;, ſecundum præceptum Euagrij cuiuſdam, tacitè adorat id quod nõ poteſt eloqui, ſed utitur ijs uerbis quæ cum ſententia doctrinæ Apoſtolicæ & ueritate cœleſti demonſtrata hominibus congruunt,& hanc interpretatur. Cum autem propter improbas & fraudulentas obſcurationes ac deprauationes ueritatis, diſtingui uerbis opus eſſe uideretur ea de quibus quærebatur, Naturę, id eſt οὐσίας, & perſonæ, id eſt ὑποστάσεως nominibus tum uſi fuere: definientes illa, ut neceſſe erat, de cõſentanea ſententia Propheticorũ & Apoſtolicorũ librorũ: ut qui hæc notarint, pro inimicis ueritatis & impijs tumultuatoribus habendi eſſe uideantur. Etſi autẽ Nicena Synodus ad hanc ſubtilitatẽ de uerbis diſputandi ſe non demiſit, tamen antè quoq; quàm hæc conflarctur, Hoſium epiſcopũ Cordubenſem, cuius ſuprà quoq; mentionẽ fecimus, diſtinxiſſe hæc uerba traditur, ut Sabellij impium dogma certius cõfutaretur. Sed, ut dixi, hæc ſubtilitas tum neglecta fuit. Poſtea autem turbulentis hominib. de his nouarum contentionũ quaſi telas detexentibus, Gregorius cognomento Theologus & Baſilius Magnus, hęc accuratè explicando enarrauerunt: Gregorius quidem grauiter & magnificè, Baſilius autem perquàm eleganter & diſertè. Ac docuit uterq;, intelligi naturam ſeu οὐσίαν & φύσιν Dei, eam qua unum Deum eſſe cognoſcimus: ὑπόστασιν uerò, quæ eſt perſona, diſcrimina quædam & ſingulares notiones ſubijcere, quib. à patre filius, & ab utroq; ſpiritus ſanctus, non tantum nomine diſtingueretur, ſed etiam reipſa, ut unum Deum & trinum ueritas fidei & confeſsionis ſinceritas complecteretur. Non enim unum illud quod naturæ Dei conuenit, τριώνυμον tantum eſt, ſeu tribus nominibus ſolummodo inſignitur: ſed eſt τρισυπόστατον, quod trium perſonarum proprietates diſtinctas eſſe oſtendit. Eſſe autem Græcos philoſophos hoc nomine ὑποστάσεως de ijs uſos quæ reuera eſſent, & non tantum eſſe uiderẽtur, quorum eſt nomen ἔμφασις, quo ſpecies & renidẽtia ſignificatur, alibi docuimus. Sed illa aduerſaria Chriſto ſapientia omnes occaſiones quęſiuit obtrectandi ueritati: & fuere etiam inter eos, qui rectè ſentirent, quos Orthodoxos uocamus, reperti, qui iritarent malum uehementia ſua, quæ eſſe ſolet interdum aſperior, maximè ſi pro ueritate religionis propugnare uideatur. id quod de ijs, quæ poſtea accidiſſe legimus, perſpici clarius poteſt. Nam ne ab dictis quidem abſtinuiſſe Orthodoxi, & inſectati eſſe diſſentiẽtes iocorum conuicijs perhibentur, cum ἀνομοίους & ἐξουκοντίους ridiculè nominarent: quibus uocibus diſsimulitudo indicaretur, & illud commentum de nihilo creatum filium eſſe, exagitaretur. Sed hoc diſsidio ingraueſcente, cum cauſſæ utrinq; plures implicarẽtur, nõ tam re, ut uidetur, illi interdũ quàm uerbis diſſenſerũt:

quemadmo-

quemadmodũ ſemel accenſis in diſcordia odijs fieri conſueuit. Nam erant, quos nouitas nominis initio offenderat: eos hoc probare pudebat, quòd uererentur ne leuitatis culpam ſuſtinerent. In alijs inter diſputandũ perſuaſio cõtraria cõfirmata fuerat. Quidam nũc his nũc illis ſe ſubmittebant, quòd contentionis incommoda cuperent declinare, inuitati uel potentia, uel conſuetudine, uel alia quapiam cauſſa, quibus homines induci ſolent ut contra animi ſententiam alijs gratificentur. Non etiam nulli uerborum pugnas planè uitabant, & cum ſilentio ueritatẽ amplectebantur. Sed his pręteritis, eò reuertatur narratio, unde diſceſsit. Cum utriuſq; partis ſermonibus ac literis diſcordiæ malum ita auctum eſſet, ut neq; Imperatoris fideliſsimæ admonitiones, neq; complurium pietate & religione præſtantium uirorum ſtudia ad ſanandum ſatis uirium haberent: fecit Alexander de tota re certiorem Cõſtantinum, & illi magnitudinẽ periculi, & in quantum diſcrimen uocaretur res Eccleſiaſtica oſtendit: qui pietatis & religionis cura commotus, cum adhuc tentandum eſſe duceret, an res illa cõponi poſſet, aduocat ſibi aliquot Epiſcoporum conſilium, & accerſit Arium, deq; ijs quę ab Archiepiſcopo intẽdebantur criminibus, deq; tota doctrina accuratè & ſolicitè interrogat. Ibi Arius tergiuerſando & inficiando & fucando omnia elabi, & ita uertere ſeſe, ut ab Imperatore non deprehenderetur impietas: & Imperator confeſsione eius audita, ſi nihil eſſet præterea, cauſſam ſibi, cur Arius, ut noui dogmatis autor, excluderetur communitate Eccleſiaſtica, eſſe nõ uideri pronunciaret. Erat autem confeſsio illa uerbis in ſpeciem ita compoſita, ut ſimplicioribus & bonis facilè ſatisfaceret: & quam, ſi ab exhibente ſuſpiciones abeſſent, nemo culparet. Hoc loco concedendum mihi eſſe arbitror, ut cuidam non planè iniuſtæ querelæ aliquantulum indulgeam, de incuria & neglectione eorum, qui ſe hiſtoriam iſtorum temporum & negotiorũ ſcripturos eſſe profeſsi fuiſſent. Nam dum, ut neceſſe fuit, de diuerſis libris hanc narrationem cõcinnare ſtudeo (id quod à me factum eſt fideliter & diligenter, ſequente potiſsimum autores Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, quorum ſcripta nũc maximè celebrantur, & cum his Epiphanij narrationes) in hac igitur mediocris attentionis cura, reperi non modò expoſitiones diuerſorum diuerſas, ſed planè etiam contrarias, & hac in parte, & de Arij morte. Pleriq; enim tradiderunt poſt Synodum Nicenam, in qua apparuiſſe & auditum fuiſſe uolunt Arium anno demum decimo, rurſum confeſsionem obtuliſſe Conſtantino unà cum Euzoio: cum relictæ uiduæ Licinij, ſororis ſuæ Cõſtantiæ iamiam morituræ ſermonibus & petitione motus Conſtantinus, Arium ad ſe de exilio reuocaſſet, & iuſsiſſet in Eccleſia illum Conſtantinopolitana recipi, aduerſante Alexandro epiſcopo urbis illius: quando & id, cum futurum eſſet ut ab Euſebio Imperatoris autoritate poſtridie introduceretur, ei acciderit, de quo mox dicemus.

dicemus. Epiphanius autem docet ſenem Arium, antequam haberetur Synodus Nicena mortuum, & illum cum dogmate & ſectatoribus ſententia decretoq́ꝫ Synodi damnatũ, abiectum exterminatumq́ꝫ eſſe: cui aſtipulari uidetur Epiſtola quædam Synodica, ad Alexandrinam Eccleſiam data, archiepiſcopo Alexandro, quæ extat in primo libro Socratis, in qua hæc leguntur de Ario. Ille quidẽ quem finẽ ſortitus fuerit, omnino audiſtis, uel certè eſtis audituri, ne uideamur inſultare homini dignam mercedem delictis ſuis nacto. Tam ualida autem fuit impietas illius, ut ſecum traxerit in exitium Theonã Marmaricenum, & Secundum Ptolemaitam: nam eadem & his obuenerunt. Quæ, niſi fallor, quod fateor poſſe fieri, de nullo exitu alio quàm mortis accipi poſſunt. Cumq́ꝫ nihil adhuc quidem animaduerterim quod his magnopere aduerſetur, narrationem hac in parte Epiphanij, quamuis timidè & ſolicitè, approbaui & ſecutus ſum: nõ nihil autem ſuccenſui aliorum, quorum quidam Rufinum citant, non admodum ſolertem autorem, negligentiæ. Si enim ſecundum noſtras coniecturas Synodus de Ario tanquã mortuo ſcribit, quomodo ille poſt decem annos Conſtantinopolim uenit? Socrates de libello Euſebij & Theogonij poſt Synodicam cõdemnationem ad certos Epiſcopos miſſo, colligit, Arium reuocatum de exilio à Synodo, cum ex eodem in Synodo Arium non affuiſſe planè intelligi poſſe uideatur. Itaq́ꝫ uel de illa reuocatione Cõſtantini, uel de altero, ut fortaſsis Melitio, ea accipienda eſſe arbitror, quę de reuocato tum reo & defenſione ipſius ibi leguntur. Ac mihi in mentẽ uenit, duo illa nomina (nam alterum etiam presbyterũ Arium, cum capite factionis Ario feciſſe, iam indicauimus) errorem iſtum peperiſſe: & fieri poſſe, ut alter hic Arius cum Euzoio longo tempore pòſt, ſeſe rurſum in amicitiam Conſtantini, impietate diſsimulata, inſinuauerit. Id quod in medio relinquimus. Vnum adhuc obſtat rationibus noſtris, quod ne ipſum quidem diſsimulandum putauimus. Quod enim ſecundum Epiphanij indicationem credimus & tradimus, Arium autorem ſectę in Nicena Synodo damnatum fuiſſe, defunctum uita ſua: ideo fortaſſe conſideratione dignum eſſe uideatur, quia Euagrius ſolicitè quęſitũ eſſe ſcribit in Synodo Cõſtantinopolitana, coacta ſtudio Iuſtiniani poſt Nicenam annis circiter CCL. & magnopere agitatum, fas ne eſſet & liceret, mortuos abdicari & excludi Chriſtiana communitate. Id rectè fieri docuiſſe tunc Eutychium quendam, exemplo Ioſiæ regis Iudęorũ: qui, ut opinor, tam longè cõprobationẽ facti huius nõ petiſſet, ſi in prõtu habuiſſet Nicenæ Synodi autoritatẽ. Sed quoniã quid aliud melius facere poſsimus, non inuenio: ita ut inſtitui, Epiphanij expoſitionem retinens, noſtræ narrationis ſeriem proſequar. Confeſsio aũt, quam ſuprà ſecuti Sozomenũ, diximus ambigua oratione editã fuiſſe, ſiue tũ ante Synodũ ab Ario principe ſectę, ſeu poſtea

ab altero

ab altero Ario aſſecla illius, refertur tam à Socrate quàm Sozomeno, & nobis illam aſcribere uiſum eſt. Credimus in unum Deum patrem omnipotentem: & Dominum IESVM Chriſtum filium ipſius, natum ex illo ante omnia ſecula, Deum, Verbum, per quem omnia extiterunt tam in cœlo quàm ſupra terram: Qui uenit & carnē aſſumſit, & paſſus eſt, & reſurrexit, & aſcendit in cœlos, & rurſum uenturus eſt ut iudicium faciat de uiuis & mortuis. Et in ſanctum Spiritum, & carnis reſurrectionem, & in uitam futuri ſeculi, & in regnum cœlorum: & in unam Eccleſiam catholicam Dei, quæ extenditur à terminis ad terminos. Hanc fidei expoſitionem uerè & ex animo ſe confiteri Ariani coram Deo & Imperatore teſtati, & ſi fallerent, Deum iudicē eſſe uoluerunt. Petieruntq́;, cum neq; uerborum figuris neq; ſententię nouitate diſcreparet cōfeſsio ſua ab Euangelica doctrina, de libris ſacris, & conſenſione Eccleſiæ ſanctæq́;, uideret Imperatoris pacifica & religioſa pietas, ut in Eccleſiæ quaſi matris ſuæ ſinum reciperentur, amputatis nimirum quæſtionibus curioſis, & ſuperuacaneis uerborum diſputationibus, ut & ipſi cum tranquillitate in cœtu Eccleſiaſtico precibus ſuis commendare poſſent Deo ſalutē Imperatoris & totius domus ipſius, & orare ut Deus felicem Reip. ſtatum eſſe uellet. Cognitis his Conſtantinus, cum non arbitraretur aliud ab Arianis commemorari, quàm & publicè doceretur in Eccleſia, & ipſe didiciſſet, prȩſertim cum illorum cōfeſsio penè ijſdem uerbis expoſita eſſet, quibus ea contineretur, quam ad autores Apoſtolos referri audijſſet: nihil ſuſpicatus amplius, & ratus iam diſsidium exortum facilè poſſe componi, obiurgans & Alexandrū & Arium, illam tum (ſi rectè tempora diſtinguimus) prȩclariſsimā Epiſtolam ſcripſit, in qua ait ſe cognouiſſe ex eo exordium mali natum, quòd de quadam difficili quæſtione, & re obſcura interrogaſſet Alexander archiepiſcopus, quid ſinguli presbyteri ſentirent: & quòd Arius imprudenter protuliſſet, id quod primùm ne cogitari quidem, deinde perpetuo ſilentio premi oportuerit: & cenſet, de talibus neq; percontari neq; reſpondere aliquem debere. Quotus enim, inquit, quiſq; eſt, qui rerum tam ſublimium & grauium uim atq; magnitudinem, uel planè perſpicere, uel oratione conueniente effari poſsit? Iam de minutis & exilibus & non neceſſarijs rebus, minimè decertandum eſſe exiſtimat. nam hoc eſſe uulgare atq; puerile, & indignum hominum ſolertium & diuinorum ſapientia: & ſe tamen cogere uelle negat, ut illas quæſtiunculas qualeſcunq; approbent, & ijs aſſentiantur. Poſſe enim congreſſus ſocietatem integrā cuſtodiri, quamuis de minimis rebus inter aliquos diſſenſio remaneat. Non enim omnes idem uelle, non omnium eandem eſſe naturam & ingenium. Redirent in gratiam, & amicitiam renouarent: populo uſitatorum complexuum copiam rurſum facerent: ſȩpe etiam redintegratam amicitiam depoſitis ſimultatibus eſſe cùm ſuauiorem,

uiorem,tum firmiorem.His igitur & alijs ſimilibus ſapiens & religioſus princeps medicinā facere laborantib.rebus conatus, cū nihil proficere ſe animaduerteret,illam de qua antè diximus audientiā fecit Ario, & ſectatoribus ipſius. Et quoniā ea ab his dicebantur & proponebātur,quę Imperator pius & prudens improbanda & repudianda eſſe nō putaret,ita hunc dimiſit,ut prius iureiurando affirmari ſententiam illam ab Ario iuberet:grauiſsima oratione teſtatus,ſe quidē falli poſſe, ſi qua fraus uerbis tegeretur:ſed Deum,qui cerneret omnia,falli non poſſe. Hoc,inquit, fretus,te, ſi aliquid inſidiarū ſtruis, & circumuenire pietatem noſtram conaris, breui pœnas daturū eſſe mihi perſuadeo. Arius tum humaniter & benignè dimiſſus, ſecundū Epiphanij narrationem, rurſum dogmatis ſui impietatē pertinaciter aſſerere paulo pòſt deprehenditur, & coram Imperatore denuò conuincitur & refellitur: quo tempore magnā & ſolennē Epiſtolam edidit contra Arij perfidiam,refertā pulcerrimis ſententijs,& elegantiſsimis uerbis compoſitam:ut idem ait Epiphanius. Cuius & exordium retulit tale·Conſtātinus Auguſtus Maximus. Arius & Ariani.Interpres hic malus,et ſimpliciter effigies diaboli eſt.Et poſtea teſtimonijs ſacrorum ſcriptorum amentia Ariana confutata:addi locum dicit de Homerica poeſi, inſerta cōpellatione tali·Age iam Ares Ares Arie, ſcutis opus eſt.Quin tu ne obſecrò hoc agas, ac Veneris ſaltem te reprimat conſuetudo.Hoc loco & Epiphanij narrationē exponendam duxi,quæ tamen in mentione Melitij titubat, cum de hoc ut mortuo hæc fiat nunc quoq;, noſq; docuerimus Synodum Nicenam de illo uiuēte decreuiſſe.Sed Epiphanius hæc comme morat. Melitij partes poſt mortem quoq; ipſius defendebant in Aegypto pleriq;, qui ob confeſsionem fidei afflicti aut in periculo fuerāt. Ex his Paphnutius, qui nō modò ipſe in confeſsione fidei perſeuerauerat,ſed cuius etiam mater hoc nomine celebrabatur:itemq; Ioannes,& Callinicus epiſcopus Peluſij, certis de cauſsis aulam Principis petierunt. Cum'que auditum eſſet adeſſe Melitianos, nemo hos ad Imperatorem uoluit adducere.Itaq;,cum ſæpe repellerentur,diu ibi morati fuerunt.Tunc innotuerunt Euſebio Nicomedenſi,& neceſsitudinem cum eo contraxerunt. Orant igitur, ut aditum ad Imperatorē ſibi patefaciat.Euſebius polliceri omnem illis operam, ſi uiciſsim gratificarentur ſibi, & reciperent in communitatē Arium,qui planè iam reſipuiſſet:quod quidē ſimulatè & falſo prætendebatur.Promittūt Melitiani hoc ſe facturos:& impetrant diligentia Euſebij,ut liceret ipſis cōuentus ſuos habere nemine obſtrepente. Optat autem Epiphanius, illos qui ſummum ius religionis aſſerere uellent,potius recepiſſe lapſos & pœnitentes,quàm Arium & factionem ipſius. Nam accidit,inquit,eis id quod prouerbio fertur, ut fugientes fumum inciderent in flammas. Non enim Arius conſiſtere, aut liberam uocem emittere potuiſſet,

niſi hanc nactus opportunitatem. Vnde & nunc copula quædam horum eſt non bella. Nam coniuncti illi iuſticia fidei ſpectati & mundi Melitiani cum Arianis, magna ex parte inquinati fuerũt, in Arianam perfidiam delapſi: qui autem retinuerunt puritatem fidei, ijs tamen hæc macula aſperſa eſt, quòd in ſuam communitatem Arium admiſerint. Atq; hęc eſt occaſio ſocietatis Melitianorum & Arianorum. Hactenus Epiphanij narrationē expoſuimus. Sed cum Euſebius Nicomedenſis, cuius eſſet autoritas eximia apud Imperatorem, Arium in Conſtantinopolitanam Eccleſiam introducere niteretur, & quòd plurimum poſſet in aula, ſe perfecturum hoc eſſe inuito epiſcopo & alijs quibuſcunque profiteretur: neq; abſtineret à minis, ſi quis auſus fuiſſet ſe opponere: refragari nihilominus Alexander Conſtantinopolitanus epiſcopus, & negare ſe legitimam poſt cognitionem lata ſententia condemnato, & eccleſiaſticam communitate excluſo, neq; reſtituto, in ſuam eccleſiã ingrediendi poteſtatem unquã eſſe facturum: neq; paſſurum eſſe, ut cum ſuo populo Arius congregaretur. At enim, inquit Euſebius, nihil tuam poteſtatem moramur. Ne tu ſanè patiaris nos in tuam Eccleſiam intrare. nam copiæ nobis ſatis eſt ab Imperatore datũ: & te etiã nolente in Eccleſia craſtino die uerſabimur, & quæ fas eſt ritu Chriſtiano fieri, ea peragemus. Erat dies ille quo contra uoluntatem etiam epiſcopi ſe cum Ario in cœtũ Eccleſiaſticum eſſe uenturum interminatus fuerat Euſebius, ſolennis habendis conuentibus, quos Dominicos nominamus, peculiariter conſecratos doctrinę & precibus, & ijs rebus quæ à Chriſtianis ſeruari & geri ſecundum inſtitutionē Apoſtolicam oportet. At Alexander totum illum diem quo nunciũ acceperat rei tam indignę, non cõſiderationi impendere, ſed precibus conſumere, neq; finem facere anxio animo inuocationis ſuę, cum oraret Deum, uel ſe ut ex hac uita euocaret, ne Eccleſia ſua ſe ſuperſtite Arij contagijs inficeretur, uel aliquid remedij à ſua omnipotentia iſti tanto malo inueniret. Hoc modo uera fiducia filij Dei opē auxiliumq; petens, totam noctem cũ uigilaret & interpellaret Deum, & patrocinium Chriſti imploraret, manè cognoſcit quid de nocte profunda accedenti Ario euenerit. Cupida enim huius factio occupare Eccleſiam, nõ expectata luce diei, pergere cœperat ad id quod inſtituerãt perficiendum. ibi inter eundum Arius uiribus deficere, & ſecedere ad uicinam ſellam, ut uentris onere leuaretur: illocq; loco anima eum reliquit, & mortuus domũ inde deportatus fuit. Adducitur ex Athanaſij ſcriptis neſcio quibus, tragica mortis Arianę enarratio. Quidã etiam ſideratũ, id eſt, ἀπόπληκτον interijſſe ſuſpicati fuerunt. Etiam alij hoc pridie, id eſt, ueſperi ſabbatino accidiſſe tradidere: quemadmodum & Athanaſius, cuius totius rei expoſitionem ſimplicem interpretari uiſum. Ille igitur in prima oratione contra Arianos ita. Exitum Arij, quoniam hic non
uulgariter

uulgariter accidit, cõmemoratione dignũ eſſe duximus. Cũ enim Euſebiani minaciter affirmarent ſe illum in eccleſiã introducturos eſſe, reſtitit eis epiſcopus Conſtantinopolitanus Alexãder: Arius tamen bonum habebat animum, de potentia & ferocia Euſebij. Erat Sabbatum, & poſtero die conuentus haberi eccleſiaſticus debebat. Magno igitur res in diſcrimine uertebatur, cum Euſebiani minarũ uehementia, Alexander precum pietate certaret. Sed Dominus iudex eſſe uoluit, qui & ſententiam pro religione tulit. Nondum enim ſol occiderat, & in locum certum Arius abſtrahitur, ita neceſsitate poſtulante: ibiq; collapſus, pariter communitate Eccleſiaſtica & uita priuatur. Hoc igitur ſatis eſto, neq; dubia ignominia exaggeretur infelicitas miſerrimi hominis, ſi hoc hoſtili erga filium Dei animo obijt diem ſuum. Etſi credibile eſt, infamem etiam uoluiſſe eſſe turpidine aliqua filium Dei mortem Arij, à quo oppugnaretur æterna natura diuina ipſius, cum in tam atrocem interitum proditor ipſius in terris præcipitatus fuiſſet. Cum autem tam fœdam impietatem euomuiſſet, in fœtido etiam loco animam eum exalare conſentaneũ fuit. Hic eſt Arij horribilis & calamitoſus interitus. Quem plerique alij in trigeſimũ annum Conſtantini, cum iam Athanaſius Alexãdro ſucceſsiſſet, contulerunt. Non autem inſpectos annales, non literarum dies & conſules, ut dicitur, non temporum & hominum interualla ac ætates conſideratas eſſe, cui non ſtomachum moueat? cum his mediocri attentione exploratis & notatis, perſpicuæ & euidentes omnium rerum narrationes facilè potuiſſent pertexi: in quibus nunc hærere, & ſæpe fruſtra defatigari nos neceſſe eſt, qui illis adiumentis certæ & liquidæ cognitionis deficiamur, & de his cõfuſis ſcriptis quod cõſentaneum ſit colligere cogamur. Socrates quidem ſcripſit in Nicena Synodo auditum Arium, & cauſſa cognita damnatum, & abiectum, ita ut Alexãdriam nunquam ingredi illi liceret: & Imperatoris edictum contra eum & Euſebium Nicomedenſem propoſitum fuiſſe. Theodoretus autem diu manſiſſe Arium poſtea Alexandriæ refert: & ſimulatam illius reſipiſcentiam, tandem contra ueritatem doctrinæ cœleſtis ſeſe rurſum incitaſſe, & ita in mortem atq; exitium eſſe præcipitatum. Sed de his ſatis. Cum Imperator gliſcere malũ, & niſi ſuccurreretur, rem Eccleſiaſticam grauiſsimam ruinam eſſe facturã uideret: qui uim in corpora Chriſtianorum graſſantẽ ſuis armis repuliſſet, hunc multo atrociorem & nocentiorẽ Eccleſiæ hoſtem ſternẽdum eſſe duxit, à quo uita & ſalus fidelium oppugnaretur, unam ſimplicem & conſentientem ueritatis doctrinam diſsipando, & ſtudia atq; uoluntates alienando, deniq; unius corporis tanquam membra diuellendo. Itaq; cum turbæ & certamina accumularentur, & diſtractio indies maior atq; pernicioſior fieret, omnẽ curã cogitationesq; intẽdẽs ad ſubueniendum tam periculoſe laboranti rei Eccleſiaſticæ: iudicauit omnino

 eſſe opti-

eſſe optimum, ut toti Eccleſię paſsim per orbem terrarum tanquam municipia quædam incolenti, controuerſiæ ad cognoſcendum & definiendum proponerentur. Hoc à nemine altero ſuſcipi ac perfici neque debere neq; poſſe, ſuum'q; propriũ eſſe opus facilè intellexit: fuit'que primus hic Imperator, qui uniuerſæ cõmunitatis Chriſtianę conuentum haberi curauerit. Quod poſtea ſtudium alij etiam principes ſecuti fuerunt. Tales autẽ conuentus, συνόδους οἰκουμενικάς nominarũt: quòd & autorem atq; conuocatorem Imperatorem orbis terrarum dominum haberent, & non unius aut alterius regionis eccleſiæ conuenirent, ſed de omnibus locis in quibus eſſet Chriſtianitas, iudices cognitores'q; euocarentur. id illis præſertim tẽporibus ut fieret, per ſolum Imperatorem Romanum ſtetiſſe, dubium eſſe poteſt nemini. Itaq; planum fit, ſolas eas Synodos Oecumenicas & habitas & appellatas eſſe, quæ iuſſu & edicto Imperatoris conflarentur. Et cum Innocentius pontifex Romanus, Arcadio & Honorio potiẽtibus rerum, cuperet Synodum Oecumenicam cogi, miſit quoſdam ad Principes, qui peterent, ut Auguſti hanc indicere, & tempus ac locum habendę prę finire uellent. Quapropter, cum aliæ plurimæ Synodi memorentur, ueteres tantùm ſeptem Oecumenicæ celebrantur. Prima & præſtantiſs. Nicena, de qua hęc narratio texitur: cuius autor fuit Conſtantinus Conſtantij filius, annis poſt Chriſtum in cœlum receptum CCC. Secũda Conſtãtinopolitana, cogẽte Theodoſio Magno annis poſt Nicenã LVI: in qua Macedonius & hoſtes ſancti Spiritus, quos Græci πνευματομάχους uocarunt, cõdemnati fuerunt. Tertia Epheſina poſterior ſecunda annis plus minus XLIIII, curante hanc cogi Theodoſio poſteriore, in qua exterminatus fuit Neſtorius, & huius factio, qui Chriſtũ aſſererent hominẽ eſſe tantum, neq; uirginẽ Mariam θεοτόκον, id eſt, Deiperam nominari paterentur. in hac cõgregati fuere patres CC. Quarta Chalcedonẽſis, à Marciano Imperatore coacta, annis ferè XXV poſt tertiam, cõtra falſam doctrinã Eutychis & Dioſcuri, qui de naturarũ in Chriſto coniunctione errores ſererẽt: et corpus illius ſimile aliorum hominũ, id eſt, nobis ὁμοούσιον fuiſſe negarent. Conuenerũt tũ in æde Euphemię patres M. XXX. Huius tẽp: non longè antecedit expugnationẽ Romæ Vandalicã. Quinta Conſtantinopolitana, quam Iuſtinianus ſuperior indixit, ad confirmandã autoritatem Chalcedonenſis, quam nonnulli contẽnerent. In qua & dãnata ſententia fuit eorũ qui auderent dicere, Chriſti corpus potuiſſe nullam uim aut iniũriã pati, neq; corruptioni obnoxiũ: id eſt, ut illi uocarũt, ἄφθαρτον fuiſſe. quam ſententiã etiam arriſiſſe Imperatori tradũt: ideo'q; Euagrius ait, mortuũ illũ ad inferna demiſſum eſſe ſupplicia. Reiecta tũ fuit & Origenis & Didymi allegorica doctrina, in primis de Reſurrectione. Hanc faciunt poſteriorẽ quarta, annis centum duobus: in qua conuenerunt Patres centum LXVI. Ad ſextam

Pſellus

Pſellus ſcribit à quinta ſpacium intercedere annorũ CXXIX. Hæc igitur erit, coacta illa in palatio Imperatoris Conſtantinopoli, quod Trullũ nominarũt, à Iuſtiniano poſteriore. In hac approbatæ & inter Eccleſiaſtica decreta relatæ fuere definitiones priorũ Synodorũ, quod Græci κανονίζειν appellant. In primis ſentẽtia lata in proxima Synodo coacta à Conſtãtino Pogonato, Iuſtiniani poſterioris patre, in qua damnati eſſent attribuentes Chriſto unã tantũ naturã et affectionem, quos μονοθελήτας nominant. nam huius deciſiones ad Synodica decreta nondũ fuerant aſcripta. Ipſi autem qui tum in Trullo conuenerunt, numerant ſextam illam antecedentem Conſtantinianam, & Oecumenicam appellant: ut appareat, hanc Trullæam cum illa unà numerari, propter decretorum perſcriptionem. Septima itaq; erit, ut numeratur, Nicena altera, in qua cõuenerunt patres CCCL, conuocante Irena & filio Conſtantino. Tum & de ſancti Spiritus proceſsione, ſiue egreſsione (eſt enim hæc ἐκπορεύσις) quæri cœptum: & decreta facta ſunt de imaginũ cultu, haud ſcio an ſuperſtitioſa magis quàm pia. Neq; Latini tamen hanc Synodum ſuis ſcriptis magnopere celebrarunt: quæ ſanè in tempora ea incidit, quibus doctrina ueritatis cœleſtis minus pura & ſincera retineretur, & iam Chriſtianiſmus in obſeruationes quaſdam & certos ritus delaberetur, non carentes illos quidem religionis ſpecie: ſed alienos & recedentes à ſimplicitate & fide ſacrorum librorum, & obſcurantes Euangelij lucem, & cognitionem ueritatis. Hanc ſecutam eſſe ſextam Pſellus ſcribit, annis C. & de editis annis Imperatorum, colliguntur anni non pauciores. Et actis præſcribitur huic conuentui annus mundi ſexies mileſimus ducenteſimus nonageſimus, ſecundum Græcorum rationes: qui incidit in annum Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum, plus minus.

Trullæa autem Synodus & aliorum conuentuum, quæ uſitatè Concilia uocantur, mentionem facit his uerbis. Confirmamus & expoſitos Canones ſanctorum Patrum, qui Ancyræ congregati fuerunt: itemq; eorum qui Neocæſariæ, & ſimiliter qui Gangris: ac hos qui Antiochiæ in Syria nec non Laodiceæ in Phrygia, pariterq; eorum qui Sardicæ atq; Carthagini. Recepit eadem & Canonem damnantem ſententiam Cypriani epiſcopi Africani. De his igitur plura nunc non dicemus: ac fortaſsis plus uerborum fecimus, quàm alicui fieri oportuiſſe uideatur. Redeo igitur ad Nicenæ Synodi mentionem, quam tum ab Imperatore Conſtantino coactam fuiſſe indicauimus, cum has ille quaſi ductor copias diuinas cõtra hoſtem ueritatis comparandas eſſe ſtatuiſſet. Accerſiuit igitur undiq; epiſcopos literis honorificis: neque hoc modò poſtulauit, ut conferre ſe in locum demonſtratum uellent, ſed itinera etiam iuſſu Principis expedita ſunt, cum & uehicula & iumenta publica ad uſum aduenientiũ deſtinarentur. Demonſtratus autem locus fuerat in Bithynia, delecta ad

congreſſum hunc urbe Nicæa, cuius nomen à uictoriæ nomine deducitur: ut Imperator omen etiam in hac parte ſecutus eſſe uideatur. Hæc urbs poſt annos XL, terræmotu euerſa fuit. Sed tum literis Imperatoris omnes in regiones miſsis, quibus inuitabantur epiſcopi ad conuentū hunc Nicenū: hi quaſi carceribus equi emiſsi, ita properarunt accurrere, cupidi intereſſe tantæ rei diſceptationi, præſertim coram Imperatore. Alliciebat aūt unumquenq; cùm bona ſpes concordiæ & pacis, tum negocij magnitudo & nouitas, quòd ad ſe ipſe Imperator reuocaret, quem auidi plerique intueri & audire, ſeſe ab illa tractatione maxima rerū abeſſe nō oportere exiſtimabant. Congregati igitur fuerūt tam ingenijs quàm habitu corporis & locis diſtantes, quos unà urbs quaſi pulcerrimè concinnatā coronā tum accepit. Cernebantur enim de toto orbe terrarū profecti, religione, ſanctimonia, uirtute, doctrina maximè conſpicui, & eximia decora Eccleſiæ, Europæi, Aſianiq; & Africani epiſcopi. inq; unam ueluti ſacram ædem, quæ diuinitus capax redderetur omniū, colligebantur: Syri, Cilices, Phœnices, Arabes, Palæſtini, Aegyptij, Thebæi, Afri, incolæ Meſopotamiæ. Etiam Perſa affuit epiſcopus. neq; deſtituere cœtum talem Scytha uoluit. Miſit & Pontus, & Galatia, & Pamphylia, & Cappadocia, & ea quæ peculiari nomine Aſia dicitur, & Phrygia, ſuos: quin etiam Thraces præſtò fuerunt, & Macedones, & Achiui, & Epirotæ, & ulteriora quoq; loca habentes. Eq; ipſa Hiſpania laudatiſsimus epiſcopus Hoſius, in conſeſſu iſto inter alios conſpectus fuit. Præſul Romanus ſenio retentus non affuit. Iulius hic erat, non Silueſter: in cuius ætatem conferentes aliqui Synodi huius tempus, anticipant annis non paucioribus quatuor. Iulius igitur tum Romanus epiſcopus fuit, qui Marco ſucceſſerat, modico tempore poſt Silueſtrum curatione illa functo. Miſit tamen qui locum teneret ſuum, & uicem gereret, presbyteros duos, Vitalem ſeu Vitonem & Vincentiū. Ab antiquo autē placuerat, nullū eccleſiaſticum decretum ratum eſſe debere, quod ignorante epiſcopo Romano perſcriptum fuiſſet. De numero alij aliter ſcripſere. Nam certum reperiri in tanta multitudine non potuiſſe perhibent. Euſebius plures fuiſſe ait ducentis quinquaginta. Theodoretus inſeruit hiſtoriæ ſuæ quædam ſcripta Euſtathij Antiocheni, in quibus cōueniſſe ducentos ſeptuaginta dubitanter traditur. In literis quibuſdā Imperatoris affuiſſe perhibentur plures trecentis. Sozomenus, epiſcoporū numerum fuiſſe trecentorum & XX ſcripſit: Epiphanius & Theodoretus, CCC decem & octo: quem numerum ut uerum pleriq; retinuerunt, & Epiphanius ait tot nomina perſcripta ſuo etiam tempore extitiſſe. Hos ſecuti fuere preſbyteri, diaconi & aſſeclæ, qui propriè ἀκόλουθοι dicuntur, innumerabiles. Multi etiam de uulgo Chriſtianorum, qui λαϊκοὶ uocantur, tum confluxerunt. hi ut unam, illi ut alteram partem, cui fauerent, quaſi

ſubſidio fulcirent. Quin etiam ſapientes non pauci Græcorum, excitati fama conuentus iſtius, eòdem ſe contulerunt, necq; ui tarunt diſputationes de dogmate, et Chriſtianorum colloquia: alij, ut certò cognoſcerent quid profiterentur & docerent Chriſtiani: alij incitati odijs, & aduerſandi propoſito, in dolore & indignatione deficere religionem ſuam & Chriſtianam creſcere. è quorum numero unum præ cæteris inſolentē acerbè inuectum eſſe in Epiſcopos traditur, & his exprobraſſe cùm uulgarem quandam ſimplicitatem doctrinę, tum ipſorum inter ſe diſcordias. Erat hic facundus & ingenioſus, & ad diſſerendum de unaquaq; re excercitatus. Ibi nō ferens inſultus impietatis unus ſenex, ſanctitate & innocentia ille quidem clarus: & dum fidem Chriſto datam non uult prodere, grauiter afflictus tyrannica uiolentia, ſed imperitus talium præſtigiarū ſermonis uerſuti & callidi, prodit & opponit ſe Philoſopho illi, pollicetur'q; ſe cum eo de ueritate dogmatis in medio omnium diſputaturum eſſe. Hoc alijs, qui ſenem nouiſſent, ridiculum uideri: alijs humanitate præditis, ſolicitudinem & metum incutere, uerentibus ne ludibrio haberetur ſimplicitas illius à ſagacitate Philoſophi. Sed cum non auderent huic aduerſari, ita omnibus conſentientibus illi congreſsi fuerūt. Tum ſenex Chriſti cōfeſſor: Audi, inquit, Philoſophe tu: Vnus eſt Deus cœli terręq;, & omnium tam eorum quæ cerni poſſunt, quàm quæ cerni non poſſunt, opifex, qui uniuerſa creauit efficacia uerbi, & ſanctitate Spiritus ſancti ſui firmauit. Hic igitur ſermo, quem nos filium Dei appellamus, miſertus hominum, qui in errore brutorum ſimilem uitam degerent, ſuſtinuit de muliere naſci, & uerſari cum hominibus, & pro ipſis mortem oppetere. Venturus autem eſt rurſum ad iudicium, de ijs quæ ab unoquoq; acta fuerunt in uita. Hæc ad iſtum ſe modum habere credimus, necq; in ullam partem curioſe inquirimus. Ne igitur te fruſtra defatiges, ueſtigando argumenta & demonſtrationes eorum, quorum perfectio eſt Fides: aut ſciſcitando de modo, quo aliquid horum fieri aut nō fieri potuiſſe uideatur. ſed reſponde interroganti mihi, an hæc credas? Hac oratione perculſus Philoſophus ille, credere ſe ait: & ſe uictum eſſe gaudens, eadem profiteri ac ſentire quæ ſenex, & alijs ſuadere ut ſecum cōſentirent: ſanctè deierans diuinitùs factum eſſe, et inenarrabili neceſsitate, ut ad amplectendam religionem Chriſtianorū conuerteretur. Hic fortaſſe is ſenex fuit, quem Socrates narrat, cum quaſi ante prælium exercerent ſeſe utraq; pars diſſerendo, caſtigaſſe grauiter diſputatores, & illam leuitatē reprehendiſſe, quòd diceret, non traditam eſſe à Chriſto & Apoſtolis diſciplinā & præceptiones Dialecticas, necq; inanem fallaciæ orationem: ſed euidentem & planā ſententiā ueritatis, quæ fide & honeſtate uitę cuſtodiretur. Hęc eo locuto, Socrates illas diſputationū rixas ſedatas fuiſſe ſcripſit. Poſtquā autē uniuerſi conuenerant ſecundum Imperatoris edictū, ipſe quoq;

ob partam uictoriam & ſuperatum Licinium, uotis ſolutis, & peracta feſtiuitate, Nicæam antè diem præfinitum, ferendæ de mota controuerſia ſententiæ, aduenit. Hic XIII. Calen. Sextilis, Anni uiceſimi, ex quo ſumma rerum potitus fuerat Conſtantinus: qui eſt ſecundum Græcorum notationes, DC. XXX ſextus, poſt Alexandrum, præſcribitur in editis Canonibus huius Synodi. Socrates de ſubſcriptionibus, quemadmodum ipſe ait, notauit XIII. Calen. Iunij. is enim eſt XX. Maij. In hoc conuentu quaſi amœniſs. prati diſcolor pulcritudinis erat ſpecies. Alij enim conſpiciebantur & eminebant ſapientia & eloquentia, alij uitæ grauitate & patientia in rebus aduerſis & difficilibus, alij inter utroſq; diligentia officij & honeſtate uitæ ac morum commendabantur. Iam quibuſdam canicies & prouecta ętas dignitatem adiungebat, quidam iuuenta & robore animi florebant, non etiam nulli paulo antè ad munera Eccleſiaſtica admiſsi. Nemo opibus aut potentia aut gratia niti, nedum ſuperbia aut inſolentia efferri: non loco aut principatu confidere. Vniuerſis autem mandato Imperatoris indies neceſſaria ad uictum liberaliter ſubminiſtrabantur. In ante diem igitur XIII. Calen. ſiue Sextilis ſeu Iunij, indicto conuentu affuere omnes, & utriuſq; quaſi agminis ductores proceſſere, hinc Alexander, inde Arius, ſiue ille autor contentionis, de quo ſuprà aliter diſſeruimus, & quid nobis uideretur expoſuimus, ſeu alter hoc nomine, ſeu etiam factio Ariana. Imperator autem in media Regia locum amplũ & ſpacioſum curauerat inſtruendum, ſedilibus ad utrunque latus diſpoſitis, ut tanta multitudo commodè aſsidere poſſet. Ita uocati introierunt Epiſcopi, & conſedere ſuo quiſq; loco: atq; cum ſilentio intenti animis ac ore, expectabant aduentũ Imperatoris. Tum accedere comitatus illius ordine. hic nõ erat armati ſatellitij, quod ſtipare Regum corpora ſolet: ſed notorũ & perſpectæ fidei amicorum. Cumq; ſignum datum eſſet aduentus Imperatoris, aſſurrexit totus conuentus: & ille tranſijt, utrinq; aſtantibus Epiſcopis, indutus purpura ſplendida, & ornatu auri ac gemmarum refulgens: nec erat inferior animi decor, redimiti Religionis ſtudio & timore Dei. Hæc indicabantur demiſsis oculis, rubore genarum, inceſſus & geſtuum compoſitione. Cumq; ipſe tã habitu atq; forma ac ſtatura corporis, quàm dignitate ac robore & integritate uirium, facilè omnibus alijs eſſet ſuperior: tum humanitas & manſuetudo & clementia ingenij ac naturæ, præſtantiam atq; bonitatem indicabat eam, quę nulla copia orationis demonſtrari poſſet. Progreſſus autem ad medios uſq; primi ordinis, ibi ſubſtitit, & ſedili paruo aureolo appoſito aſſedit: nõ prius ille quidẽ, quàm nutu ſignificaſſent Epiſcopi, ut hoc faceret. Ac mox uniuerſi etiam conſederunt. Proximũ ad dextram Imperatoris locum occuparat epiſcopus Antiochenus, quem Theodoretus Magnum appellat, & communi ſuffragio illam prouinciam inuito datam eſſe

ſcribit:

ſcribit: fuerat autem antè epiſcopus Berroeæ. Nicephorus κορυφαῖον conuentus huius, id eſt principem nominat. Hunc haud ſcio an nihil magis pietate & uirtute maximè inſignem uirum fuiſſe, oſtendat ac probet, quàm quod Sozomenus ſcripſit, innocentem hunc ab æmulis loco dignitateꝗ ſua deiectum, æquiſsimo animo tuliſſe tam ignominiam quàm uim. In qua parte Athanaſius aliquanto aſperior & inquietior fuiſſe reperitur. Hic igitur orationem tum ad tempus definitũ habuit, qua compellans Imperatorem, cùm conſilium ipſius Synodi cogendæ collaudare, tum pietatem uirtutemꝗ eius luculentis uerbis ornare, tum etiam Deo omnipotenti gratias agere, & celebrare benignitatem ipſius, qui curam reſpectumꝗ & ſingulare ſtudium Imperatoris ad rem Eccleſiaſticam conuertiſſet, tam grauiter afflictam & uehementer labefactatam. Hac oratione finita, Imperator placidum uultum circumferens, & humaniſsimis omnibus aſpectum offerens, paululum ſecum meditatus, lenibus & manſuetis uerbis huiuſmodi orationem habuit. Hæc ſumma fuit, cariſsimi, uotorũ meorum, ut frui poſſem conuentus ueſtri ſocietate. Quod cum mihi contigerit, gratiam me Regi uniuerſitatis huius debere confiteor, qui copiam mihi præter alia cuncta benignè dedit, id bonum contuendi, quod pluris eſt quàm alia omnia: uos inquam in hoc cœtu uniuerſos, & communem atꝗ concordem ſententiam ueſtrã ut aſpicere atꝗ cognoſcere mihi concedatur. Ne quis igitur inuidus hoſtis contaminet bona noſtra: neu poſt ſublatam de medio, potentia Dei, aduerſantem numini ipſius uiolentiam Tyrannorum, alio iam pacto malis gaudens Dæmon, cœleſtem doctrinam calumnijs infamet. Meo quidem certè iudicio, Eccleſiæ Dei inteſtina ſeditio quocunꝗ bello & omni dimicatione horribilior & grauior eſt: & quicquid externum eſt, id tantam moleſtiam habere non poteſt. Poſtquam igitur uictorijs potitus, ſuperaui nutu & auxilio Dei hoſtes, nihil aliud reſtare arbitratus, quàm Deo quidem agere gratias, gratulari autem alijs qui noſtra opera ipſius cauſa in libertatem aſſerti eſſent, certior factus prẹter omnem opinionem & ſpem meam, diſſenſiones inter uos eſſe ortas: hoc indicium neutiquam neglexi, neꝗ quicquam prius aut potius in uotis habui quàm huic ut morbo, meo miniſterio remedium afferretur. Ideoꝗ uniuerſos uos acceſſiui. Ac lætor quidem uidere me hunc cœtum: tum uerò ſtatuam non fuiſſe me fruſtratam ſpem meã, cum animis uidero quaſi coaluiſſe uniuerſos, & unam ac communem inter uos celebrari pacificam concordiam: quam par ſcilicet fuerit, ut per uos ſibi contingere omnes alij ſentiant, cõciliatam à ſacerdotibus Dei æterni. Quapropter omni cunctatione depoſita, ô Dei miniſtri, cõmuniſꝗ omnium noſtrũm Domini & Saluatoris præclari famuli, agite iam nũc cauſsis diſſenſionũ prolatis omnes nodos diſcordiẹ & cõtentionũ pacifico iure diſſoluite. Hoc altiſsimo Deo à uobis gratiſs:

& mihi

& mihi conſeruo ueſtro iucundiſsimum eſt futurum. Hæc cum ſermone Latino pronunciaſſet, & interpres aſsiſtens græcè, poteſtatem deinde fecit dicendi Epiſcopis. Incredibili autem moderatione, uel potius religioſa attentione cauit, ne ullum à ſe præiudicium exiſteret, quo alterius partis cauſſa premi uideretur. Nam hoc propoſitũ unicum illi erat, ut ueritas inueniretur, & ſecundum hanc conſtitueretur dogma. Quare omnibus copia liberrima fuit, proponendi & aſſerendi quæcunq; uellent. Non enim futilem aut uulgarem definitionem eſſe Synodi, neq; ſententiam temerè ferri uolebat, ſed decretum de re maxima antecedere etiam oportere cenſebat ſingularem exquiſitionem & diligentiam, ut perpenſis & inſpectis omnibus, ita demum res definiretur, & perſcriberetur decretum. Non aliquid ab aliquo tum dictum fuit, aliquid ſilentio ſuppreſſum. Non odium, non humilitas, non ſuſpiciones, non etiã culpa ulli obſtitit, quo minus audiretur, & abſq; metu proferret ſententiam ſuam, déque hac nemine impediente diſputaret. Non enim tanta res à talibus uiris tumultuanter, neque inconſideratè aut feſtinanter acta eſt: ſed tum ab Imperatore facta omnibus dicendi poteſtate, accuſationes primùm auditæ fuerunt partium, & rurſum defenſiones, ut res tota admodum implicari, et omnia magis dubia atq; ambigua gliſcente contentione fieri uiderentur. At Imperator utroſq; æquiſs. animo audire, & quid dicerent atque poſtularent cognoſcere, atq; modò hos modò illos appellando, mitiſsimis uerbis atrocia certamina tandem compeſcuit, utens etiã haud inuenuſtè græca uoce, cuius neutiquam ignarus erat, atq; ita alijs in ſuam ſentẽtiam perductis, alijs mitigatis clementia orationis, & propemodum precibus, alijs qui cõmodè loquerentur collaudatis, perfecit, ut ſimultatibus depoſitis partes conſentirent, & tam in unam cõſonam fidei formulam, quàm diem eundem, quo ubiq; feriæ Paſchales annua ſolennitate celebrarentur, conſentirent: & hanc conſenſionem ut ſcripto expreſſam, tanquam communem & omnium ſententiam, ſinguli teſtimonio quiſq; manus ſuæ approbando cõfirmarent. Traditur hoc quoq;, multos libellos oblatos fuiſſe ab Epiſcopis Imperatori, de priuatis iniurijs accuſationum & querelarum. Ex his nullum ille repudiauit. Cumq; iam nemo amplius aliquid offerret, aut de re priuata interpellaret Imperatorem, tum ille libellos uniuerſos comburi iuſsit: cohortatus omnes, ut ſuorum negociorũ reſpectum poſthaberent tractationi cauſſæ communis: & hoc tantummodo addens, ut Socrates retulit: Iubet Chriſtus fratri remittere offenſam, eum qui ſibi ueniã dari cupiat. Sozomenus in hac narratione immoratus longius eſt, ſiue Rufinianas ſeu aliorum narrationes referens. Nam acceptis libellis dixiſſe ſcribit Imperatorem, illas accuſationes pertinere ad iudicium magnum & extremum, & eum iudicem qui de omnibus tunc ſententiam laturus eſſet. Mihi autem, inquit, ad humanam co-

gnitionē hæc reuocari, nefas uidetur eſſe, cum tam accuſatores quàm rei ſacerdotes ſint. Nam hos ita ſe gerere minimè decet, ut alij de ipſis iudicium faciant. Alibi legitur, etiam hanc ſententiam Imperatorem uſurpaſſe: Cum ſint quaſi Dij in terris Epiſcopi, hàud ipſorum inter ſe controuerſias ab hominibus decidi debere. Theodoretus addit: Iureiurando affirmaſſe Imperatorem, ſe nihil legiſſe quod in illis accuſatorijs libellis contineretur: Neq; crimina ſacerdotū uulgo inneteſcere debere. Quin etiam, inquit, ſi in adulterio deprehenderem ſacerdotem, paludamento meo non dubitarem contegere facinus, ut occultum maneret. Sciendum autem, conuentum illum quem narrauimus præſente Imperatore fuiſſe habitū, cōcluſiſſe Synodum. Tum enim placuerat rem definiri, & explicari controuerſiam, & decretum conſenſionis perſcribi. Ante autem hunc diem, congredientes Epiſcopi inter ſe, ſolicitè & anxiè tam quę Arij eſſet ſententia, quam de ueritate hac in parte diſquiſiuerant, et ſermones rationesq; contulerant. Quo tempore nihil nocuit Arianis, neq; legitima condemnatio Arij, neq; Eccleſiæ unanimis de dogmate perſuaſio, neq; ueterum contraria Arianę peruerſitati autoritas: ſed denuò conſideranda ponderandaq; & diſpicienda eſſe omnia ſtatuerunt, ne uel antiquiſsimorum placitis temerè aut incircumſpectè aſſenſi fuiſſe perhiberentur. Ac retulit Theodoretus memorabilem Imperatoris uocem, cum hortaretur Epiſcopos, ut depoſitis odijs ac æmulatione, controuerſiam illam explicarent: Habere enim eos ſancti Spiritus doctrinam mandatam literis. Euangelici autem, inquit, libri, & Apoſtolici, & Prophetarū ueterum oracula, perſpicuè nos inſtruunt, quid de numine diuino ſentire debeamus. Qui uolunt ipſum ſectæ autorem Arium in illo conuentu fuiſſe, & tradunt cum eo & factione ipſius diu multumq; diſputatum fuiſſe ab Epiſcopis de dogmate, eos mentionē huius quam facit Synodica epiſtola, ut ſuprà oſtēdimus, accipere neceſſe eſt, de triſtiſsima in Eccleſia Chriſti re, abiectionis & deuotionis, & alienationis extremæ: cum qui oppugnator ueritatis eſſe conuincitur, is iudicatur hoſtis Dei æterni, & Eccleſiæ Chriſti, quem ἀναθεματισμόν dixerunt. Quam pœnam ijdem ſcilicet ſentient, ſuſtinuiſſe etiā Secundum & Theonam in peruicacia ſua & inſanabili impietate. Sed nos nunc quæ reſtant perſequamur. Poſt accuratū & diligens multorū dierū examen, & attentam inquiſitionem & cōſiderationē omniū, & copiam de propoſita re diſputandi tutò atq; liberè factam uniuerſis, tandē eo die quē indicauimus, ſuprema manus impoſita fuit deliberationi & cōſilio: & condemnata Arij impia & contumelioſa in filium Dei ſententia, confutata teſtimonijs ſacræ ſcripturæ, & ueterū piorū Epiſcoporū doctrina. Tum & liber quidam ab illo cōpoſitus, titulo Thaliæ, genere orationis molli, & quaſi laſciuo, ut ſcripſit Socrates, tanquā peſtilens & plenus impijs ſentētijs, iudicio Synodi cōdemnatus, &

tus, & lectione illius Chriſtianis interdictum fuit. Vt autem Imperator incredibili lenitate atq; clementia tulerat ante cognitionē, diſſentire aliquos inter ſe, & ſumma æquitate, ut de controuerſijs iudicium iuſtiſsimum fieret, perfecerat: neq; quenquam aut prǫiudicio aliquo onerari, aut uiolentia affligi paſſus fuerat, ſed pariter defenderat potentia ſua uniuerſos: ita, quòd decreta facta in eorum conſeſſu, qui & ueritatem ante omnia ſpectarent & quærerent, neq; quicquam autoritate ſacræ Scripturæ haberent antiquius, & nulla re fidei ſanctitatē uiolaſſe exiſtimarētur, cum Dei ipſius uoluntate ac ſententia cōgruere perſuaſum haberet: id ab omnibus ſeruari, quod in Synodo conſtitutum fuerat, uoluit atq; ſanciuit. Qua de re non potui facere, quin conuerſas de Græco ſermone literas Imperatoris hoc loco exponerem, quæ extant apud Socratem. Harum igitur exemplum hoc eſt. VICTOR Conſtantinus Max. Auguſtus, Epiſcopis & populis. Arium, qui ſectator eſt malorum & impiorum, par eſt eandem cum illis ſuſtinere ignominiam. Quemadmodum igitur Porphyrius religionis noſtræ hoſtis, nefarijs ſcriptis contra noſtrum cultum diuinum compoſitis, dignam inuenit mercedem, eam quidem, ut cùm ipſe in poſterum probris & infamia ſingulari coopertus fuerit, tum impij libri illius euanuerint: ita modò quoque tam Arium, quàm cum Ario concordes, Porphyrianos quidem appellari: (ut quorum ingenia expreſſere, eorum etiam cognomentum habeant:) ad hæc uerò, ſi quod ſcriptum ab Ariò editum reperiatur, id igni tradi placuit: ut non modò futilitas doctrinæ ipſius aboleatur, ſed ne commentatio quidem eius relinquatur ulla. Hoc autem edicimus, ſi deprehenſum fuerit ſcriptum aliquod compoſitum ab Ario occultare quempiam, neq; ad inflammationem ſtatim offerre, hunc ultimo ſupplicio affectum iri. E ueſtigiò enim cōuictus delicti huius, capitis ſupplicium ſuſtinebit. Deus uos conſeruet. Hoc tum Imperator præclariſsimè & rectiſsimè ipſum quoq; ſtatuit atq; edixit. Nam ei qui cœleſtem ueritatem planam fieri cupit, & uitare ne uel ſciens uel neſciens huic aduerſando aut ſeſe opponendo primùm diuini numinis animaduerſionem, & iram commoueat: deinde ſibi apud homines iniuſticiæ & ſæuitię atq; immanitatis opinionem adiungat: ei igitur nō ſatis eſſe debet, ſi quid ab aliquibus ut contrarium priorum obſeruationi, & nō cōſentaneum eſſe uſitatis ritibus, aut notæ etiam doctrinę refragari dicatur: neque eundem qui & Dei metu & hominum reſpectu (ut diximus) tangatur, cōuenit quaſi os obturare ullis, qui legitima uia & ratione ſtudium ueritatis profiteantur, & Chriſti ſe doctrinam amplecti confiteantur: non pœnis hos coherceri, non exilio multari, non ulla ſeueritate terreri par eſt, quo minus ea tutò ac ſecuris animis proferre & explicare liceat atq; concedatur, quæ cum æterna ueritate, expreſſa ſcriptis Propheticis ac Apoſtolicis conſentiant, & perpetuam Eccleſiæ fidem

ſiæ fidem atq; profeſsionē tueantur. Vociferentur ſanè aliqui,& clament,factioſos & ſeditioſos eſſe hos uel illos: non ideo ante legitimā cognitionem damnari quenquam fas & ius eſt. Quæ autem legitima eſt cognitio? Quis uerò hoc neſcit, Controuerſia orta,iudiciū penes alteram utram litigantium partem eſſe non oportere, & ſi fit, omnes hoc iniquum uocare? Arius presbyteri locum tenebat Alexandriæ, Alexander erat archiepiſcopus. Bis auditus, conuictus, damnatus fuerat Arius, etiam improbatum dogma ab Imperatore: tamen laudatiſs. & religioſiſs. Imperator ſuſpectum negotiū habuit, & metuit ne uiolentia plus ualuiſſe quàm iuſticia uideretur: curauitq; ac perfecit, ut legitima cognitio de cauſſa ſuſciperetur, & ſententia iuſta ferretur ab ijs iudicibus, quos nemo, niſi inſaniret, reijcere aut improbare poſſet. Nemo tum præſedit, aut aliquam eximiam autoritatē principatus uſurpauit. Omnibus prius rebus diu multumq; conſideratis & perpenſis, liberrimè ſermones in illo conuentu inter epiſcopos habiti, ſententiæ ordine quo conſederāt dictæ, & tandem uniuerſis conſentientibus præter Secundū & Theonam (ut ij tradunt qui Arium in hac Synodo apparuiſſe uolunt: hos enim pertinaciter adhęſiſſe ſeductori Ario) alijs autem uno animo conſentientibus, uno etiam ore decretum fuit perſcriptum. Hęc, Imperatoris pietatis & uirtutis ac ſapientiæ miniſterio propitius Deus uſus, tum benignè perfecit, & Eccleſiam Chriſti ſui errore impietatis capitali liberauit, & Diaboli impetus retudit atq; fregit. In hoc ſe uoluntati Dei obſequentem, & in re ſtrenuum præbuiſſe Conſtantinū, laudabilius illi eſt & glorioſius, quàm tot per orbem terrarum uictorijs eſſe potitum, tot triumphos uictis hoſtibus egiſſe, quamq; Imperium diſsipatum & lacerum collegiſſe & inſtauraſſe, tota gubernatione ad ſe ſolum & unum redacta. Itaq; hanc ipſi gratiam retulit Deus, ut & feliciter triginta annorū & plurium, quibus Imperium tenuit, curſum conficeret, & ætate prouectus (annum enim LXV uiuendo attigit) relinqueret integri & illabefactati Imperij certam & indubitatam ſucceſsionem filijs ſuis. Vbi hoc licet animaduertere & notare: Neminem ferè omnium, qui uel furore diabolico inſtigatus, uel peruerſa affectione animi cōmotus, uel etiam errore pertinacis ignorantiæ deceptus, in Religionis cauſſa & Eccleſiaſticis negotijs ita ſe geſſerit, ut & infirmos ac humiles premi & affligi ſineret: neq; eos qui ueritatis amantes hanc obſcurari dolerent, & mendacia auerſarentur, protegeret, aut iter Euangelij impediret, aut opes, potentiam, gloriā rerum diuinarū curæ anteferret: deniq; qui filio Dei ſe clam palam'ue opponeret: horū inquam neminē ferè ex omnib. quibus dominatio & regnū in terris attributum fuit, reperire eſt, qui non domeſticis malis atq; calamitatib. laborauerit. Multi his grauiſsimè afflicti, nōnulli euerſi, pauci filios & ſuos hęredes opulentiæ & potentiæ reliquerunt. Sed redeo ad Synodum.

nam ſi quis laudationem legere uult Conſtantini, is Euſebiana ſcripta habet. Primùm igitur de Arij ſententia quæſitum fuit,& poſt attentam & diligentem diſputationem, cum impietatem deteſtandam hac aſſeri manifeſtum factum fuiſſet, damnata & ſententia,& uerba atque uoces,quibus Arius uſus fuerat. In primis contumelioſa dicta in filiũ Dei,hæc:De nihilo hunc extitiſſe:& fuiſſe, cum non eſſet.de quibus ſuprà iam nonnihil dictũ eſt.& ex ſeſe atq; libertate arbitrij, quæ eſt Græcis αὐτεξουσιότης,capacem fuiſſe filiũ Dei uitiorum et uirtutis. itemq; creaturæ, id eſt κτίσματος: & operis,id eſt ποίηματος nomina,quæ indigna eſſe cenſuerunt ut nominarentur. Contrà exagitatũ ab Arianis uerbum ὁμοουσίου, de filio ad confeſsionem fidei additum, quo certius & ueritas demonſtraretur,& Ariana mendacia refutarentur: non quidem de ſcriptura ſancta accepto nomine, ſed huius ſententiam ueram & religioſam exprimente. Cum enim Euſebius Nicomedenſis, primarius inter Arianos,librũ in Synodo protuliſſet, quo dogma Arianum aſſereretur,& in conſpectu omnium ille diſcerptus fuiſſet, contulerunt capita Ariani, & pacis atq; concordiæ honeſtiſſima mentione,cum ſe non aduerſaturos eſſe decretis Synodi pollicerentur,rurſum ſe in communitatem conſilij per hanc calliditatem inſinuarunt. Tum rurſus ad diſputationes reditum: Arianiq; ſacrarũ literarum uocabula interpretando ad ſuæ ſententiæ defenſionem detorquere. Cumq; primùm generaliter poſitum fuiſſet, eſſe filium ex Patre genitum,& illi nunquã aliter ſe ſenſiſſe ac docuiſſe dicerent,qui ſcirent omnium autorem & conditorem eſſe Deum, non ſolum ueterum & indubitatæ autoritatis librorum teſtimonijs utentes,ſed commemorantes etiam quædam de ſcripto, cui titulus Paſtor, compoſito (ut traditur) ab Herma, cuius mentio fit inter eos qui iubentur ab apoſtolo Paulo ſalutari in Epiſtola ſcripta Romanis: Primùm omnium credito, unũ eſſe Deum, qui omnia condidit, abſoluit & fecit. Tum igitur epiſcopi horũ malitioſa aſtucia cognita,& perſpectis impietatis fraudibus, id quod primum poſitũ fuerat, ex Deo, magis clarè & perſpicuè expoſuerunt,addito uerbo οὐσίας,id eſt naturæ,ut ita ab omnib. alijs creatis & conditis diſtingueretur filius Dei, quẽ propriè genitũ eſſe ex natura Patris cõfiteremur. Hoc enim peculiare eſt unigeniti & ueri uerbi ſeu ſermonis,id eſt, τοῦ λόγου patris. atq; hæc occaſio fuit,ut apponeretur tanquã explicatio, hæc clauſula ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς. Cum aũt interrogata caterua Arianorũ nõ magna, an confiterentur uerè dici filium potentiã,ſapientiamq; ſolam patris, & imaginem, quodq; eſſet æternus, neq; ulla in parte à patre diuideretur aut abduceretur,quod illi dixere ἀπαράλλακτον,nõ ſimpliciter illi iam reſponderunt:ac animaduerſum fuit Euſebianos nutu inter ſe ſignificare,cõfitenda hęc eſſe,quę de unoquoq; noſtrûm etiã rectè dicerentur. Nam reperiri,nobis quoq; imaginis & glorię Dei & potentiæ in

ſancta

ſancta Scriptura tribui uocabula, & ita cum Deo nos coniungi, ut fratres illius nuncupemur. Sed iubemur confiteri filiũ eſſe uerũ Deum. Quid tum uerò? Nam ſi eſt uerus Deus, γενόμενος ἀληθινός ἐστιν; id eſt, tum fatemur eſſe uerum, poſtquam cœpit eſſe. His præſtigijs uerborum occurrere uoluit Synodus, & eam ob rem epiſcopi, uiri religioſi & docti, & periti ſacrarũ literarum, neq; quicquam ſpectantes niſi ueritatem & honorem ac gloriam nominis diuini, alia certiora & illuſtriora de ſancta Scriptura protulerũt, ne fraudulentiæ Arianorũ aliquæ latebræ relinquerentur. Demonſtrarunt igitur alijs etiam nominibus de ſancta Scriptura collectis, perſonam filij conſtitui, ut reſplendentiæ, fontis, fluuij, luminis: adducentes hæc, In lumine tuo uidebimus lumen, &, Ego & pater unum ſumus, & his ſimilia. Quæ ſententia ut ſine ambiguitate planè & euidenter ſignificaretur, addiderunt ὁμοουσίου uerbum, quo breuiter idem quod ad illud uſq; tẽpus catholica Chriſti Eccleſia ſenſiſſet & docuiſſet, exprimeretur. Nam hanc uim & notionem illa omnia habent, quæ huic τῷ ὁμοουσίου uerbo ſubiecta eſt: quod Athanaſius antiquum eſſe ait: & reperiri, tam Latinos quàm Græcos ante CXXX annos refutaſſe eos, qui auderent filio creaturæ appellationem attribuere, & negare ęqualem & parem naturam ipſius naturæ Patris, id eſt filium ὁμοούσιον eſſe Patri. Non enim certè hęc Latina oratione tam diſertè & planè pronunciari poſſunt, quàm Græcè dicuntur. Eſt autem formula fidei Nicenæ, quod ſymbolum Nicenum nominatur, hæc: Credimus in unum Deum patrem omnipotentem, omnium quæ cerni poſſunt, & quæ cerni non poſſunt, conditorem. Et in unum Dominum Ieſum Chriſtũ, filium Dei, genitum ex patre unigenitum, hoc eſt, ex natura Patris, Deum ex Deo, & lumen ex lumine, Deum uerum ex Deo uero: genitum, non conditum ſeu factum, æqualis & paris naturæ cum patre, id eſt ὁμοούσιον: per quem omnia facta ſunt, tam ea quæ in cœlo, quàm quæ in terra ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtrã ſalutem, deſcendit, & carnem aſſumſit, & homo natus eſt, paſſus eſt, & reſurrexit tertia die. Aſcendit in cœlos: uenturus eſt ut iudex ſit de uiuis & mortuis. Et in Spiritum ſanctum. Eos uerò qui dicunt, quòd fuerit aliquando cum nõ eſſet, & priuſquam gigneretur quòd non eſſet, & de nihilo extitiſſe, aut ex alia natura ſeu perſona, aſſerentes eſſe mutabilem atq; uariabilem filium Dei: eos anathematiſſat ſancta Catholica & Apoſtolica Eccleſia. Hæc formula tum edita fuit, & uſurpatũ inter Orthodoxos quaſi confeſsionis ſignum, & ueluti teſſera quædam, ἡ τριὰς ὁμοούσιος καὶ ἀΐδιος: quo ſignificatã, tres diuinas perſonas eſſe natura pares & æquales & æternas. Scripſit autẽ in epiſtola quadam Euſebius Cæſarienſis, initiò non alienus ab Ario, & inter eos habitus qui dogma Arianũ probarent, quòd ne ipſe quidem inficiatur, ad nouam uocem τῆς οὐσίας, id eſt naturę, ex qua genitum eſſe fi-

lium Synodus poſuiſſet, ſe & alios neutiquam obticuiſſe: ſed poſtulaſſe ut res explicaretur, nō ſententia dubia & anceps relinqueretur. Diligenter, inquit, interrogauimus: benignè reſponſum fuit, & declaratum: è natura patris genitum eſſe filium, id ſignificare, non eſſe filium quaſi partem deceptam de patre. Huic ueræ ſententiæ meritò fuimus aſſenſi. Sic etiam ſi quęreretur de uerbo ὁμοουσίου, non ita hoc accipiendū eſſe oſtenſum fuit, quemadmodū de ſimilibus corporibus animantum. Non enim hanc coniunctionem naturæ intelligi uel de naturæ diuiſione, uel reciſione, uel afflictione quapiam, ſiue mutatæ ſeu uariatę potentię patris, quòd nihil horum in patris non genitam naturam caderet: ſed ὁμοούσιον eſſe patri filium, hoc uelle, quòd nihil haberet filius par aut conferendum creaturis, quę κτίσματα γενητὰ uocat Euſebius, ſed eſſe ſoli eum genitori patri omnimodò parem & ſimilem, neq; ex diuerſa aliqua perſona aut natura, id eſt, ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως ἢ οὐσίας, præterquam ſolius patris. Quibus & ipſis aſſentiendum, & hæc probanda eſſe duximus: præſertim cum ſciremus nonnullos ueterum, quos Eccleſia habuiſſet eruditos & claros epiſcopos atq; ſcriptores, ubi de diuinitate patris ac filij diſſeruerunt, hoc etiam ὁμοουσίου uerbo uſos eſſe. Hæc ferè in illa epiſtola inter alia Euſebius. Sed in eo quod Synodus damnaſſet docentes, priuſquam gigneretur non fuiſſe filium Dei, & execrandū hoc eſſe cenſuiſſet: aliquantulum ſe torſit Euſebius, & non ueram interpretationē accommodauit. Sic enim de his uerba fecit, ut æternitatis in filio notionem obſcuraſſe uideatur. Sed de hoc quęrere amplius uolentes, epiſtolam Euſebianam requirant, quæ extat in primo libro Theodoreti. Ipſe etiam Imperator Alexandrinis literas miſit, gratulans ſibi & reip. reſtitutam tranquillitatem: & ſignificans, quanta cum cura & attentione, & quā ſedulò negotiū illud geſtū eſſet. Sed interpretationē & harum literarū adijciamus. CONSTANTINVS Auguſtus catholicę Alexandrinorū Eccleſiæ. Saluete dilecti fratres. Perfecta nobis à diuina prouidentia contigit gratia, ut omni errore liberati, unam & eandem agnoſcamus fidem. Neq; iam aliquid cōtra nos poteſtatis relinquitur Diabolo: ſed quicquid ille malis artib. aggrediens conatus fuit, funditus eſt ſublatum. Diſſenſiones, ſectas, tumultus illos, & diſcordiū uociferationum, ut ita loquar, letifera uenena, ſecundum Chriſti iuſſionem, ueritatis ſplendor uicit. Vnum itaq; uniuerſi & nomine adoramus, & eſſe credimus. Id autem ut perficeretur, diuinitus admonitus, conuocaui in urbem Nicæam epiſcopos plurimos: cum quibus mihi quoq; conſeruo ueſtro uerſari licere mirificè lętatus, etiam ipſe laborem exquirendi ueritatem ſuſcepi. Expoſita igitur fuere, & exactè perpenſa, omnia quæcunq; propter ambiguitatem, diſſenſionis cauſſam pårere poſſent. ac ut irę parcat oranda eſt Maieſtas diuina, eū tales & tā horribiles de magno Saluatore, deq; ſpe & uita noſtra blaſ-

phemias quidam indecorè protulerunt,contraria loquentes,& ſe cre dere confitentes,diuinis ſcripturis & ſanctæ fidei. Trecentis itaq; Epiſcopis & pluribus,qui in admiratione eſſent ob laudem ſobrietatis, prudentiæq; & ingenij,confirmantibus unam & candem fidem,quæ & ueritatis atq; explicationis diuinę doctrinæ omnino fides eſt, deprehenſum fuit,quod ſolus Arius diabolica exagitatione uictus, hoc malum primum apud uos,deinde & alibi impia ſentētia ſparſerit.Suſcipiamus igitur eam quam Omnipotens præbuit ſententiam.Reuertamur ad dilectos fratres noſtros, à quibus diaboli impudens miniſter uos ſeparauerat. Ad commune corpus, & germana noſtra mem bra ſtudioſe accedamus. Hoc enim & acrimoniam ingenij,& fidem, & ſanctitatem ueſtram decet: ut conuicto errore illius quem hoſtem eſſe ueritatis conſtaret,ad diuinam reuertamini gratiam.Quod enim trecentis placuit epiſcopis,nihil aliud eſt quàm Dei ſententia, maximè cum Spiritus ſanctus talium & tantorum uirorum animis incubans, lucem diuinæ uoluntatis protulerit. Quapropter ne quis iam hæſitet, neu cunctetur, ſed cupidè omnes in ueriſsimam uiam redite, ut,ubi quamprimùm ad uos uenero, debitas Deo qui cuncta aſpicit unà uobiſcum gratias agam,quòd demonſtrata ſincera fide,optatam pacem uobis reddiderit. Deus uos conſeruet, fratres dilecti. Fuit & de die Paſchalis feſtiuitatis decretū, ne in hac celebranda ſeruaretur Iudaicū tempus,quod Aſianis ſequi placebat, lunæ plenæ poſt æqui noctium uernum:ſed in diem Dominicum, quē anni cuiuſq; & menſium conditio aptum & idoneum eſſe oſtendiſſet, ut Paſchales feriæ conferrentur. Imperator autem iam lege lata Dominicum diem, id eſt,proximum poſt Sabatum Iudaicū,uenerabilem,& (ut ita dicam) ſacrum eſſe iuſſerat,quo populus maximè feriatus habēdis ritu Chriſtiano conuentibus uacaret. Hoc ut facerent ſtudioſe, ne ue iſta etiam in parte decreto Synodi aduerſarentur Aſianæ eccleſiæ,miſsis literis humaniſsimè omnes cohortatus, & multis argumentis ne refragarentur, illis perſuadere conatus fuit. De hac controuerſia,quæ & ante Eccleſias exercuerat, & poſtea diuerſis temporibus ac locis non eadem de cauſſa quaſi recruduit, longum eſſet dicere,cum peculiarem librum hęc non modò narratio, ſed diſputatio quoque requirat. Certè ut laudandum hac etiam in parte eſt ſtudium Imperatoris Cōſtantini, qui id quod & antè diſtraxiſſet rem Eccleſiaſticam, & in poſterum anſam ſeparationis præbere poſſet, è medio tollendum eſſe ſtatuerit,ne quid,quod cōiunctioni Chriſtianorum impedimento eſſet,pateretur effugere reſpectum pietatis ſuę: eam autem uel præcipuam eſſe arbitraretur,diſsimilitudinem rituum ſolennium, & primarum in Chriſtianis coetibus cæremoniarum, & eius diei celebrationem, quo filius Dei reuerſus in uitam fidei noſtrę & uitæ æter næ ſpem confirmaſſet, reſurrectionis de ſepulcro magnificentia &

diuinitate. Imperatoris igitur ut hæc religioſa cura laudem meretur, ita hinc cognoſci poteſt, neq; dierum & temporum obſeruationē ad neceſsitatem religionis, ſed ad ordinem cæremoniarum pertinere: & qui pertinaciter piorum conſenſui, in huiuſmodi conſtitutionibus ſeſe opponant, eos grauiter delinquere, de nō neceſſarijs rebus litigantes, & turbas excitantes, & diſtrahentes ſtudia hominum in Eccleſia Chriſti. Sed de hoc & ipſo breuiter dici, ſi quid explicari uelimus, nō poteſt, præſertim cum profundiſsimis tenebris ſuperſtitionum obruta Chriſtiana religione, iam ad ueritatis cœleſtis doctrinam aſſerendam, neceſſaria ſit accurata diſputatio de autoritate taliū decretorū, quantumuis hanc præſentem ſtatum potentiæ Eccleſiaſticæ lædere quidam clament & indignentur. Non enim hæc nunc proponuntur ad Religionis decus & incrementum, ſed ad ſuperſtitionum errores, & quandam interdum turpitudinem retinendam. Non iam ueritati cœleſti inſeruire, ſed humanis cōmentis conducere manifeſtum fit. Denique qui plurimum de cōſtitutionibus Eccleſiaſticis declamitant, ij potiſs. neq; illas de quibus uociferantur ſeruare uolunt, neq; Chriſtiano nomini proſpiciunt, ſed potentiæ & commoditatib. proprijs conſulunt. De his igitur neq; nos ita diſſerere poſſumus, quemadmodum fieri deberet: neq; hoc loco iſta diſputatio explicanda eſt. Hoc quidem ſatis conſtat, ſi ad tempus uerum obſeruationem feriarum Paſchalium congruere placeat, alia omnino exquiſitione dierum opus futurum eſſe, iampridē diſſonantibus Eccleſiaſticis rationibus: quas etſi, ut opinor, illæſa religione ſequi licet, tamen pulcrum erat Eccleſiam hac etiam in parte, id quod conſentaneum eſſet maximè, amplecti ac tenere. Hoc autem ſine bonarum artium eruditione fieri nequit, Vt hinc ordiri & reſtituere Eccleſiæ literarum doctrinam, & diſciplinarum cultum, optimum eſſe uideatur. Cum iamdudum, ſi quid eſt paulo minus imperitorum hominum, id propemodum ſeſe det, & aſſentetur potentiæ & opulentiæ, ad ſtabiliendos magis quàm tollendos errores. Quæ peruerſitas quò euaſura ſit, admodum ſanè uereor. Sed hoc ſcilicet Deo permittendum eſt. Diximus antè, Euſebium Nicomedenſem in primis, ſed & alios fauiſſe Ario, & cauſſam illius defendiſſe. Hi igitur à Synodo curatione & munere ſuo priuati, & ab Imperatore exulare iuſsi fuerunt. E quibus mox ad Epiſcopos dignitate cæteris præſtantes libellum Euſebius & Theogonius miſerunt, & impetrauerūt, ut & ab Imperatore reuocarent, et ſuas Eccleſias recuperarēt, eiectis ſucceſſoribus, Euſebij quidē Amphione, Theogonij uerò Chreſto. Libellus aūt fuit talis. SVFFRAGIO iam præiudicij pietatis ueſtræ condemnati, par erat ut acquieſceremus ſententiæ ſancti iudicij ueſtri. Sed quoniam abſurdum eſt, ſilentio proprio ſuppeditari calumniatoribus argumenta probationum: ideo ad uos referimus, quòd nos & expoſitæ fidei acceſſerimus, & perpenſo

ſenſu de homouſio, totos nos paci addixerimus, qui nuſquam ſectam aliquam pertinaciter ſequeremur. Cum autem monuiſſemus ea quæ nobis ſuccurrebant, lapſus Eccleſiaſticos prohibendi ſtudio, & exemta dubitatione, ac completa intelligentia in ijs, quibus ut & ipſi aſſentirentur, noſtrum erat perſuadere, ita ſubſcripſimus fidei expoſitæ: ſed execrationi ſeu anathematiſmo non ſubſcripſimus: non quòd fidei expoſitionē reprehenderemus, ſed quòd non crederemus talem eſſe eum qui accuſatus fuerat, cum uideretur exploratum nobis eſſe de priuatis colloquijs, quæ cum eo coràm habuiſſemus, deq; epiſtolis miſsis, quod talis non eſſet. Si tamen ſanctæ ſynodo ueſtræ perſuaſum hoc eſt, non renitentes, ſed aſſentientes decretis ueſtris, hoc etiam ſcripto perficimus, & complemus aſſenſionem noſtram: non quia grauiter ferimus exilium, ſed ut ſuſpicionem hæreſeos à nobis amoueamus. Si enim nunc ſaltem in conſpectum ueſtrum nos digne mini admittere, habetis per omnia concordes ſententijs, & ſequentes decreta ueſtra. Quandoquidem illum qui hoc nomine arriperetur accuſando, uiſum fuit pietati ueſtræ, cōplecti humanitate, & reuocare. Abſurdum autem fuerit, reum quidem illum, ut uidebatur, reuocatum, & ei defenſionis contra obtrectationes copiam factam eſſe: nos uerò ſilentio noſtro approbare accuſationem, & aduerſariorum argumenta confirmare. Quapropter dignemini, ut ueſtræ in Christi dilectione pietati conuenit, & ſubijcere hæc religioſiſs. Imperatori, & ueſtras deprecationes adhibere, & quamprimùm cōſulere de nobis ea quæ uobis conueniunt. Hæ igitur præcipuę actiones Synodi Nicenæ fuerunt: uel unum potius eximium opus refutatæ Arianę impietatis, & explicatæ atq; aſſertæ ueræ ſententiæ de filio Dei. Adeò autem ſancta & ſimplex religio ac pietas Synodi, uel nefariam in filium Dei cōtumeliam grauiter moleſteq; tulit, uel furorem Arianæ peruicaciæ auerſata fuit, ut hanc ſectā conuicio inſaniæ tanquam rabioſam exagitarent, & implicatos amentiæ huic ἀρειομανίτας nominarent. Cætera per occaſionem, quaſi ſecundo loco geſta ſunt, ut Melitij cauſſæ tractatio, & eorum quæ hic turbarat explicatio: cuius petulantiam Synodus tum notauit, & leuitatem reprehendit: & ita tamen benignè cum eo egit, ut neq; loco mouerent hominem, neque dignitatis nomen illi adimerent: ius uerò adminiſtrationis nullum reliquerunt, ut neq; Eccleſiaſtica conſuetudine manus alijs imponere, neq; ad functionē muneris Eccleſiaſtici alterū producere, neque ullā ſibi autoritatē uendicare, neq; omnino ſua urbe (Lyco huic nomē erat) excedere ei liceret. Erga eos uerò quos ille præfeciſſet curationib. Eccleſiaſticis, maiore clemētia Synodus uſa, tantū illos alijs aliarum eccleſiarū & regionū Eccleſiaſticis poſtpoſuit, & archiepiſcopi Alexandrini ueluti ditioni ſubiecit. De cæteris quæ corrigenda, ſtatuenda, & ordinanda putauiſſent, edita fuere capita XX.

qui Canones appellantur: hoc conſilio, ut Eccleſiaſtica uita in meliorem formam redigeretur, & omnia rectius & laudabilius gererentur ac fierent. Placuerat quibuſdam hac etiam quaſi ſpecie auguſtiorem reddere conditionem Epiſcoporum ac presbyterorum, ut coniugij uſus tum prohiberetur. Cui legi, cum à pleriſq; hæc ſuaderetur, neq; procul eſſet quin perferretur, intercesſit Paphnutius, eximia quidē ille laude caſtitatis celebris, ſed pericula præuidens, & in quod diſcrimen conijceretur imbecillitas hominum intelligens: & ei quod ipſe probabat atq; ſequebatur, & opinioni ſpecioſæ aliorum, ueræ utilitatis cōſiderationem prætulit. Itaq; de hoc tum perſcriptum nihil fuit: ſed id tantum ſeruatum, quod more introductum iam erat difficilibus ſuperiorum annorum temporibus, inq; præſentibus ærumnis, & metu imminentium afflictionum, ne eos qui præfici ſe adminiſtrationi Eccleſiaſticæ, & Epiſcopi aut presbyteri creari uoluiſſent, fas eſſet deinde coniugij uinculis irretiri. De quo & ipſo iam multa dici poſſent, ſi quis expendendam rem ſuſcepiſſet: quod in præſentia fieri non oportere duximus. Id tamen uidemur obſeruaſſe, Magnis aliquando & neceſſarijs cauſsis, paucos uerè religioſos & pios impulſos, à coniugio, uel ſua, uel etiam Eccleſiæ cauſſa abſtinendum ſibi eſſe exiſtimauiſſe: cum aliæ maiores & grauiores curæ, & diuini impetus ac commotiones Spiritus ſancti, hanc naturę appetitionem reprimerent, & reſtinguerent humani ardoris flammas. Poſtea rem utilitate & pulcritudine commendatam magis arridere cœpiſſe, donec, ut alia, in ſuperſtitionem & errores demerſa, ſolam ſpeciem quandā ſanctimoniæ retineret. Quę & ipſa iam cum euanuerit, qua fronte uel ad hæc ſeueriſs. decreta aſpicere, uel autoritatem ſimplicis antiquitatis, præſentium facinorum multiplici audaciæ obtendere quidam auſint, ſi ne ipſi quidem cum cogitāt (ſi tamen cogitant) mirantur, & miror uehementer, & quid miſeriæ eſſe dicam non reperio, & quem hæc impudentia exitum ac finem ſortitura ſit admodum formido. Sed hęc & his ſimilia ni curæ cordiq; ſibi eſſe patiantur ij quorum maximè id intereſt, ualde metuendum eſt, ne & ab ira offenſi Dei, & ab humana inſectatione ea impendeant, quibus & ſontes meritas pœnas luant, & ſimul etiam alij corripiantur. Quod ſi quid acciderit triſtius, neminē niſi illi ipſi ſeſe accuſent: & propria culpa accerſiti mali, alios autores ſua criminatione ne faciant: uel ſi fecerint, hoc fruſtra ſe facturos eſſe ſciant. Paphnutij, qui Ægyptius fuit, mētio hortatur, ut & Spyridonem Cyprium Trimythuntos epiſcopum, in hac Synodo affuiſſe indicemus: cuius, qui maritus eſſet, & haberet liberos, ſimplicem & puram fidei ſanctæ cuſtodiam Eccleſiaſtici ſcriptores celebrarunt. Liberalis hic erat admodum, & in hoſpitibus accipiendis comis ac benignus. Quodam tempore Ieiunij, quod ille more uſitato cum ſuis ſeruaret, aduenit peregrinus quiſpiam, admodum feſſus de uia: Age, inquit

quit Epiſcopus, mea filia, hoſpitis ut pedes lauentur, & quod edamus paretur, uide. Quid parari uis, inquit filia, cum neq; panem neque polentam in promtu eſſe ſcias? quippe quibus hoc tempore uſus nihil egeat. Tum Epiſcopus precibus ad Deum peractis, iubet carnes ſuillas, quæ ſalſæ aſſeruabantur, coqui & apponi. Cumq; hoc ut iuſſerat factum fuiſſet, ipſe ueſci primùm, deinde & hoſpitem inuitare ut ſeſe imitaretur in cibo capiendo. Qui cum recuſaret hoc ſe facturum, Chriſtianũ enim ſe eſſe: Ideo, inquit, recuſare minus debes: nam puris omnia ſunt pura, ſecundum cœleſtem doctrinam. Cum autem Imperator uerſaret animo, & magnopere uellet omne Chriſtianũ nomen unanimi conſenſione, & eadem uoluntate atq; ſententia inter ſe deuinciri, accerſiuit etiam Nouatianorũ epiſcopum, ut in Synodo adeſſet, Aceſium nomine: & illi expoſitam formulam fidei exhibuit, quæ iam ſubſcriptionibus Epiſcoporum approbata & cõfirmata eſſet. Hanc cum legiſſet Aceſius: Ecquid, inquit Imperator, iſta tibi placent, & coniungis ne cum alijs ſententiam & iudiciũ tuum? Quid ni? inquit Aceſius: nam agnoſco doctrinam Prophetarum & Apoſtolorum, & conſenſionẽ Catholicæ Eccleſiæ Chriſti: & nihil de ueteri ſanctę Religionis pietate mutatũ aut innouatũ hic eſſe animaduerto. De obſeruatione aũt diei Paſchalis id eſt ſtatutũ, quod hactenus ſemper obſeruaui. Quid obſtat igitur, inquit Imperator, quo minus in eorum qui idem de ĳſdem rebus ſentiunt & profitentur, cõmunitatẽ recipiaris? Tum Aceſius, quid inter Corneliũ & Nouatũ actũ eſſet, quo tempore crudelitas Decĳ in Eccleſiã Chriſti graſſaretur, narrauit: & eos qui poſt baptiſmatis ablutionẽ ſe rurſum letiferis delictis polluiſſent, & ab Eccleſiæ corpore abrupiſſent, nulla hominũ benignitate reconciliari ac reduci poſſe, neq; quenquã conari hoc debere, ſed iudicium omnipotenti Deo relinquendũ eſſe, diſſeruit. Tum Imperatorẽ ſuccenſentẽ Aceſĳ confidentiæ, qui homo eſſet, & expertẽ delictorum penitus ſe eſſe exiſtimare auderet, dixiſſe ferunt: Age igitur Aceſie, ſolus in cœlum ſcalis appoſitis aſcendito. His igitur omnibus peractis, cum uiceſimus annus ille eſſet Imperĳ Cõſtantini, quo & Conſtantium filium Cæſarem deſignauit, ut decimo antè Conſtantinum, & poſtea triceſimo Conſtantem, Vicenalia Imperator hilariter & iucundè cum Epiſcopis celebrauit: & cùm uerborum ſuauitate, tum largis muneribus ſuam erga illos beneuolentiam declarare ſtuduit. Iuſsitq; lectulos in ſpacioſo loco ſterni, & ſimul epulum præberi uniuerſis: cum quidem dignitate & autoritate præſtantes ipſe ſibi accumbere uoluiſſet. Ac conſpicatus quoſdam, quibus crudelitate Maximini in Eccleſiam ſæuiente, dextri oculi effoſsi, & poplites inciſi fuerant, cicatricibus oculorum oſcula ádmouit: finitoq; conuiuio, rurſum donis Epiſcopos affecit. Cumq; dimittere eos uellet, conuocatos omnes ad caritatẽ mutuam tuendam, & uitandas æmu-

lationes,

lationes, accuratâ oratione cohortatus fuit: Amarent inter ſeſe, & odia, omnemq́ue odiorum occaſionem exterminarent: neu rixis & contentionibus indulgerent, ne'ue alter alteri inuideret, aut plus honoris quàm ſibi haberi doleret: gauderetq́ue potius eſſe qui ſapientia & doctrina clari, Eccleſiæ ſuis laboribus plurimum prodeſſe poſſent, & unius præſtantiam ac uirtutem cõmune eſſe bonum ſtatuerent. Contrà, neminem magnum & excellentem uirum debere inferiorem aut humilem alium deſpicere. Solius enim Dei cognitionem propriam eſſe de uera excellentia & magnitudine. Imbecillitati autem ſemper ueniæ aliquid dari oportere, cum ubiq́ue præclara rara eſſe cõſueuerint. Par autem eſſe, ut ignoſcendo offenſis alter alterum comiter ſubleuet, & in gratificando ac obſequendo mutua præſtentur officia: nihilq́ue ut ducatur prius aut antiquius, conſenſione & concordia: ne ſi ipſi inter ſe odijs & ſimultatibus dimicent, hæc occaſio præbeatur obtrectandi & inſectandi cœleſtem doctrinam, ijs qui hoc facere ſtudio habeant. Qui cum & ipſi ita conſeruari facilè poſsint, ſi uita resq́ue noſtræ eiuſmodi uideātur, ut hinc alij ſibi exemplum ad imitandum petere debeant: par fuerit non ignorare, quòd uerborum doctrina haud cõferat uniuerſis. Aliqui eſcis capiuntur, aliqui principatu gaudent: nonnulli alliciuntur ſalutationibus & honorifica compellatione, quidam hoſpitio ſe accipi lætantur. Doctrinæ autem pauci reperiuntur ueri amatores, & nõ frequentes ſunt qui ueritatem diligunt. Quare ſingulos conueniente ratione eos ac modo tractare, & ſequi Medicos debere in hoc, ut unicuiq́ue quod maximè proſit, & ad ſanitatem conducat applicent, ut apud omnes ſalutaris doctrina magni fiat & celebretur. His cohortationibus potiſs. uſus Imperator, tandem petijt, ut Deum pro ſe interpellare precibus ſtudioſe uellent. Solebat aũt, cum Epiſcopos conuiuio accipiebat, dicere interdum, ſe quoq́ue eſſe Epiſcopum: ſed eorum, quibus Eccleſia, cuius illos interior cura attingeret, circumdaretur & muniri deberet. Tum uerò addidit & literas ad præſides prouinciarum & magiſtratus ciuitatum, quibus iubebatur, ut Eccleſiaſticis annuæ penſiones tribuerētur: quas ille magis munificentiam oſtentans, quàm neceſsitati ſubueniens definiuit. Id ex ea exiſtimari poteſt, quæ nunc etiam præbetur, inquit Theodoretus, tertia parte cõſtitutionis Imperatoriæ. Nam cum impius Iulianus hoc beneficio Eccleſias ſpoliaſſet, Iouianus in penuria & caritate maxima annonæ nõ plus quàm tertiam partem reſtituere potuit. Ita igitur Epiſcopi tum benignè & liberaliter habiti, ac perquàm humaniter dimiſsi, cum magno gaudio diſceſſerunt, & ſinguli receperunt ſe ad Eccleſias & curationes ſuas. Imperator autem & literas ad complures qui abfuerant miſit, & pecunias in oppidis & pagis diuidi iuſsit, ut ſua læticia quàm plurimi alij læti redderentur. Fuiſſe magnos, & ſtudio ueræ religionis deditos, & uitæ ſanctimonia ſpectatos, non etiam

paucos

paucos doctrina literarum & eruditione artiũ politos, inter eos qui tum conuenerunt, traditur ab omnibus. Solus repertus fuit ſcriptor unus, ut indicat Socrates, nomine Sabinus, qui hos plebeios & imperitos, & indoctos appellaret, non tam iudicio quàm ſtudio erga Arium. Fuit enim Sabinus hic in factione Macedonij. Permanſit autem deinceps ac durauit inter pleroſq; concordia & conſenſio, quam Imperatoris pietas omnibus conciliauerat, cum quaſi in unius corporis molem coagmentarentur, prius diſsidentes inter ſe, & abhorrentes. Cumq; omnes pacificè degerent, & tranquillitate delectarẽtur, apud ſolos Ægyptios contentionum & diſsidiorum nullus finis erat. Occaſionesq; nouis certaminibus ſemper aliquæ dabãtur. Rurſumq; ad Imperatorem querelę deferri, & ille rurſum malis pro uirili parte mederi, neq; quicquam omittere quo conſtituta iam concordia ali & cõſeruari, & alienationes omnes repelli poſſent. Itaq; & inter diſceptantes ſe denuò medium interponere, denuò diſsidẽtes obiurgare, monere, orare, non quidẽ ut ullis iratus aut infeſtus damni detrimentiue autor eſſet, ſed potius ut tam à re Eccleſiaſtica publicè, quàm à ſingulis priuatim incommoda & mala auerteret. Cumq; Synodi Nicenæ autoritatem conuelli non pateretur, ac edictis potius hanc omni tempore & loco aſſereret, nihilominus benignè interim & clementer agere cum ijs quos de ueritatis exquiſitione laborare, & non quidem manifeſtos errores reuocare, ſed adhuc dubia explanari uelle & cupere animaduertiſſet. Itaq; omnes ad concordiam literis & oratione ſtudioſiſsimè cohortari, & monere ne priuatis ſtudijs & ſimultatib. rem Eccleſiaſticã ſcinderent atq; diſtraherent, utq; perpetuò ante oculos haberent iudicij diuini ſeueritatem, & huius nunquã obliuiſcerentur. Fuit aũt in Imperatore hoc tanta moderatio, ut non modò Epiſcopos ſemper honorificè, ſed Chriſtianam etiam multitudinẽ amanter compellaret, conſeruos & fratres nominando. Nec defuere qui in hoc quaſi humilem animum & nimiam remiſsionem, uel etiam ſubmiſsionem notarent atque carperent dictis ſuis. Id ut uerè fuerit factum, quanto leuius eſt crimen, quàm fuiſſet elationis animi, & ſuæ exiſtimationis immodica exaggeratio, & crudelis Imperij in ſubditos uſurpatio? Eſt autem & hoc memorabile, quòd incredibili conſtantia integritatis, perpetuò ille cauerit, ne in alteram partem ante cognitionem legitimam uideretur propenſior, & ſuæ potentiæ autoritatiſue præiudicio premeret ullos, aut uel leuiſsimam ſuſpicionem iniquitatis alicui præberet. Id quod filius huius Conſtantius neglexiſſe poſtea reperitur: ut hanc quoq; ob cauſſam adminiſtratio ipſius infelicior fuiſſe uideatur. Fuit autem mortem Cõſtantini ſecuta magna confuſio rerum omnium: ut quid in uno ſæpe uiro boni Reipublicæ diuinitus cõferatur, de hoc etiam euentu perſpici poſsit. In Eccleſijs autem præcipuè diſſenſiones uariæ extitere.

Et de

Et de formula atq; perſcriptione fidei, quam etiam ipſam fidem nominare ſolebant, grauia certamina orta ſunt, ut non inſcitè hunc Labyrinthum quendam expoſitionū Socrates uocarit. Vocarunt autem Chriſtiani συνόδους & συνάξεις, ſolennes cōuentus. Eſtq; Synodi uocabulum recentius, & ab hoc ferè tempore quo ea acta fuerūt Nicææ, quæ commemorauimus, deliberationum atq; conſiliorum præcipui conuentus, Synodorum nomen obtinuerunt. Primùm aūt ad ſolennem deliberationem coactos, id eſt, συναχθῆναι, legimus Apoſtolos, quando conſtituerunt, quid illis temporibus credentibus Euangelio alijs præter Iudæos gentibus ſeruandum eſſet. Poſtea longo ſanè tempore, neq; odium erga Chriſtianos, conuentus tales haberi paſsim ſiuit: neq; Epiſcopis tum certamina aut rixę, ſed conſentiens ueritatis confeſsio, & mutua officia caritatis cordi fuêre. Neq; in conſtitutionum aut decretorum cumulationem opera data, ſed in hoc elaboratum fuit, ut uitæ & morum ſanctitate in cultu religionis ſinceræ Chriſtianum nomen conſpiceretur atq; excelleret. Poſt annos ab Apoſtolico cōuentu ferè centum, diſtorqueri doctrina ab audacibus quibuſdam & malis, & ſeri monſtra opinionum in Eccleſia cœperunt: & ſapientiæ humanæ ſtudioſi (qui Philoſophi nominātur) partim inſectari Chriſtianos, & profeſsioni dogmatis infeſti eſſe, partim cōmenta rationis humanæ in religionis tractationem nefaria impudentia implicare. In quo res expeditius proceſsit, cum & prætextu Religionis etiam abſurdiſsima defenderentur, & ſimplex aſſenſio eruditam explicationē non requireret. Ac paulo pòſt Montani bacchationes & Pepuſsiani Eccleſiam grauiter concuſſerunt. Contra quos Claudius Apollinaris Hierapolita operam nauauit, & perfecit ut illa dementia iudicio piorum Epiſcoporum condemnaretur: cum nonnulli magni & docti uiri ſpecie horrenda præſentis diuinitatis ſeducerentur, & Pepuſsianis aſſentirentur. Tum aūt illa condemnatio ſubſcriptionibus confirmata fuit, ut narrat de indicatione Serapionis Antiocheni Euſebius. Tunc & de Paſchatos die certatum inter Europæos & Aſianos: ſed præclarè res à ſtudioſis & amantibus ueritatis cōpoſita fuit. Annis autem ferè centum alteris, ex Decij Pannonij in nomen Chriſtianum ſęuitia, acris dimicatio in Eccleſia oritur, de ijs qui metu ſuppliciorum aut mortis territi, non perſeuerasſent in cōfeſsione ueritatis. Hos alij, inq; primis Cornelius epiſcopus Romę, pœnitentia ob lapſum ductos, comiter in communitatem Eccleſiaſticam eſſe recipiendos cenſere: alij, cuius factionis Nouatus caput erat, negare hoc fieri oportere, & præcidere illis omnē ſpem reconciliationis: quamuis cuncta quę more requirerentur ad confeſsionem delicti, & pœnitentiæ dolorem, præſtitiſſent. Fuitq; huius factionis tanta inſolentia, ut ſeſe Mundos, id eſt καθαροὺς nominare non dubitarent. Quo tempore coactā Synodū Romę ſcripſit Euſebius, cōgregatis Epiſcopis L X. & pres-

& presbyteris ac diaconis compluribus, & hoſum errorem refutatum, & opinionem repudiatam fuiſſe. Fuere & poſtea conuentus habiti, commota quæſtione, an baptizati ab hæreticis denuò baptizandi eſſent: id quod Cypriano & Africanis uidebatur. Cum autem Imperium obtinuiſſet Aurelianus, poſt alios conuentus de impia Pauli Samoſateni ſententia, qui nihil niſi humanum in Chriſto, id eſt, ψιλὸν hunc ἄνθρωπον fuiſſe perhiberet, antè inſtitutos, magna tandem Synodus conflata fuit Antiochiæ: cōuictusq́ impietatis Paulus ille, qui epiſcopus eſſet Antiochię, dignitate & curatione ſuà priuatus, Eccleſia catholica excluditur. Et mox ex Perſide progreſſum contagium nefariæ dementiæ Manichææ, Romanum etiam imperiū corripuit, & in Eccleſia labes fecit, & piorum congreſſus atq; reſpectum commouit. Hæc tēpora excepit Diocletiani & huius ſodalitij crudelitas, & ſecuta fuit ueſania Ariana: & mox, de ſtudio eximię pietatis ac religionis Imperatoris Conſtantini, annis poſt primum illum Apoſtolicum conuentū nondum CCC, Oecumenica ſynodus: quarū rerum omnium initia, progreſsiones & exitum, conati iam ſumus enarrare. Poſtea uerò, quaſi apertis foribus altercationū prorupere uarij concurſus, & multiplices diſputationes ac deciſiones, & rurſum abrogationes ac nouæ contentiones, & recentia decreta commota factaq́; & edita fuerunt. Nam poſt Nicenam formulam, mox Antiochiæ duæ expoſitiones prolatę, & hāc tertia ſecuta fuit, oblata Imperatori Conſtantino in Gallijs. Quarta, trāſmiſſa ab Eudoxia. Sirmij dictatę tres, harumq́; una Arimini recitata. Octaua, Seleuciæ propoſita formula fuit ab Acacianis. Poſtrema Conſtātinopolitana, exēptis contentioſis uocabulis, ut uidebatur, οὐσίας & ὑποστάσεως. Ita deinceps miſeria & calamitate orbis terrarum, quaſi fluctibus inundauit: donec maxima parte huius, tenebris impietatis ac errorum obruta, & alicubi ſuperſtitione captis hominum mentibus, Eccleſia ſeruilem & deplorandam magis quàm optandam quietem habuit. Quæ autem uel paulo antè acciderunt, uel impendēre iam, ac breui euentura eſſe exiſtimantur, de ijs & ſentiat quiſque quod lubet, & expectet atq; ſperet quod uiſum fuerit: cum quidem coniecturæ etiam de hac hiſtoriola facilè promi poſſe uideantur. Nos autem orantes filium Dei, ut ipſe ſuſcipiat patrocinium Eccleſiæ ſuæ, & ſe fretos conſeruet atq; tueatur: narrationem noſtram hoc fine concludamus.

FINIS.

DE CHRONICIS SEV CERTORVM TEMPORVM INdicationibus.

MVltæ ſunt,uel plurimæ potius cauſſæ, cur de Annorum certa indicatione & exquiſitione temporũ deſperandum eſſe uideatur. Et cum tam ueteribus quàm noſtræ ætatis uiris eruditione literarum celebribus, hæc res curæ diligenti fuerit: ſemper tamen alij aliorum expoſitiones notaſſe atq; correxiſſe reperiuntur. Eratoſthenes edidit olim Tabulas, id eſt, πίνακας, ſeu κανόνας; in quas & annorum numerum, & rerum geſtarum ſeriem, & nomenclaturas hominum clarorũ, & potentia uirtute ſapientia præſtantiũ cõtulit. Apud Latinos hac in parte operã nauauit Pomponius Atticus, qui (ut Cicero ait) conſeruatis notatiſq; temporib. nihil cum illuſtre prætermitteret, ſeptingentorum annorũ memoriam uno libro colligauit. Etſi aũt, cum Græci de Olympiadum deſcriptione ordines temporũ explicauerint, illos in multis à uero aberraſſe neceſſe eſt, quòd Hippias Eleus primus autor notationum illarum, nullis argumentis firmis niſus, ut Plutarchus ſcripſit in Numa, has pertexuerit: Latinorum aũt monumẽta bello Gallico urbe capta & inflammata, interijſſe conſtat; Has itaq; ob cauſſas, ſi ueterum labores etiam nũc extarent, quamuis ſic quoq; res dubia & incerta remaneret, tamen magnopere, ut uidetur, ſtudium induſtriæ hominũ eruditorum & diligentum illis ipſis adiuuari poſſet. His aũt unà cum alijs multis bonis & pręclaris libris amiſsis, eo ſcilicet magis allucinatur cognitio, quo minus eſt ad colligendam ueritatem adiumenti. Et tamen ſic quoq; is laudari in primis meretur, qui maximè gnauiter in conſtituendis ueriſimilib. ſe geſſerit: ſicut Græco uerſu cum iubetur, Bene qui conijciet, uatem perhiberi optimum. Nos quidẽ incidimus aliquando in Nicephori cuiuſdam talem libellum, quem cum edere ſtatim animus eſſet, inter percurrendum magnoperè indigere illum quaſi cenſura attentionis cuiuſdam diligentioris animaduertimus. Quam cum cœpiſſemus à nobis adhibere, ita opus repreſſum hactenus fuit, cum incoatum hac in parte ſtudium noſtrum uarijs caſibus impediretur. Sed cum ad hiſtoriam Synodi Nicenæ à nobis expoſitam, temporum notatio & diſtinctio nonnihil quaſi lucis allatura eſſe uideretur, depromſi præcipuas annorum & rerum indicationes de talibus Chronicis, ſecundum noſtram ſententiam: & has curaui hoc loco adijciendas: eam'que operam etiam lectoribus narrationis huius gratam: acceptam'que futuram eſſe ſpero. Quod ſi ab aliorum fortè notationibus noſtra diſſentiant, non ideo damnari debent rationes noſtræ, ſed eo diligentius cognoſci. Duo autem

ſunt

ſunt genera hominum doctorum, inter quos nunquam deſinent eſſe controuerſiæ: unum Anatomicorum, & alterum Chronicorum. & eſt tamen utraq; tractatiò non modò perquàm utilis, ſed planè etiam neceſſaria. Verùm de his ſatis. Nunc tabulam proponemus.

ANNI Reſurrexit à morte Dominus noſter IESVS Chri-
CHRISTI ſtus, uerus Deus & uerus homo, & aſcẽdit deinde in cœ-
los, poſt ſuam in terris humanam originem, anno trice-
34. ſimo quarto. Hoc enim tempus attigiſſe eum uiuendo
in terris, ponere eſt uiſum: de quo pleriq; omnes con-
ſentiunt.

Hinc ad conuentum Apoſtolicum, habitum Hieroſo-
50. lymis, erunt anni XVI.

Ab hoc, ad Adriani Imperatoris annum decimum
150. quartum, anni C.

170. Inde ad Montanum αἱρεσιάρχην, anni XX.

260. Hinc ad Nouati turbas, anni XC.

266. Hinc ad Cyprianũ epiſcopum Carthaginis, anni VI.

Hinc ad Paulum Samoſatenum αἱρεσιάρχην, an-
286. ni XX.

Hinc ad Manen, autorem ſectæ nefariæ Manichæo-
293. rum, anni VII.

333. Hinc ad ſynodum Nicenam priorem, anni XL.

Inde ad Conſtantinopolitanam Synodum primam,
389. anni LVI.

433. Hinc ad Epheſinam, anni XLIIII.

458. Hinc ad Chalcedoniam, anni XXV.

560. Hinc ad Conſtantinopolitanã ſecundam, anni CII.

Inde ad Conſtantinopolitanam tertiam, in Trullo,
690. anni CXXX.

790. Hinc ad Nicenam poſteriorem, anni C.

A' Nicena hac ſynodo ad Conſtantienſem. coactam
1414. ab Imperatore Sigemundo, anni DCXXIIII.

A' ſynodo Nicena priore ad Mahomet. Arabem, au-
600. torem ſectæ ἀντιχρίστου, anni CCLXVII.

Ab hoc ad Othonem Turcum, & Alberti Auſtriaci
1300. Imperium, anni DCC.

A' ſynodo Nicena priore, ad Carolũ V. Auguſtum,
1520. anni MCLXXXVII.

A' ſynodo hac, ad editam Confeſsionem religionis
1530. Chriſtianæ, Auguſtæ, anni MCXCVII.

A' ſynodo Nicena ad reconcinnationẽ ſynodi Tri-
1551. dentinę, autoritate Iulij 3. P. anni MCCXVIII.

FINIS.

EX DISPVTATIONE QVAE ASCRIBITVR BASILIO CAESAREAE EPISCOpo, de ſancto Spiritu.

CVI quæſo rei ſimilem perhibebimus prſentē ſtatum? An ſimilis hic eſt nauali prælio, quod poſt ueteres offenſas iritatis mirum in modum animis, maritimorum bellorum cùm periti, tum ſtudioſi aliqui iam committunt? Contemplare igitur mihi in hac imagine, terribilem impreſsionem utriuſq; claſsis, & mox conflictum certaminis, ira inſanum in modum gliſcente. Adde, ſi lubet, procellarum ui concuti etiam naues, & caliginem denſam nubium immitti, & nigreſcere omnia quæ oculis expoſita ſunt, ut hoſtes à ſuis diſcernere nemo poſsit, nullis in tanta confuſione manifeſtis ſignis aut notis relictis. Præterea ut res ſit euidentior, addamus ad imaginē hanc, mare quoq; turgens, & quod ex fundamēto commoueatur: nec non largos de nubibus erumpentes imbres, & horribiles de decumanis fluctibus undarū inſultus. Mox undiq; uentis concurrentibus, totam claſſem cōflictari ſecum, & propugnatores partim prodere rem, & de certamine ad hoſtes transfugere: partim neceſſe habere repellere de impetu uentorū inuectas naues, & congredi cum irruentibus in ſeſe. Quin etiam cædibus mutuis illi ſe conficiant, per ſeditionem exortam de inuidia erga præſtantiores, & cupiditate potiundi ſumma rerum uniuſcuiuſq;. Concipias inſuper animo, promiſcuum & ignotū ſtrepitum de mari obſtrepentem omnibus, circumquaq; inſonātibus uentis, fragore nauium, fremitu tumentis æquoris, & clamore præliantiū, qui uarias & multiplices in illis perturbationibus uoces emittāt, ut neq; ductoris neq; gubernatoris uox in naui exaudiri iam poſsit: inter horribilē diſsipationem & cōfuſionem, ipſa etiam mali magnitudine eripiente omnem ſpem uitę, & licentiam peccandi cōcedente. Adijce his immenſum quendam ambitionis inſanæ morbum, ut cum non multum abſit quin nauis funditus ſubmergat, haud tamē qui in illa uehantur, de principatu contendere deſiſtant. Nunc de imagine ad rem ueram tranſi, in qua hoc malum ſæuit. Nonne iampridem Arianæ auulſionis aduerſatrix factio uiſa fuit ſeorſim, tanquam hoſtilis acies ipſa per ſe contra Eccleſiam Dei ſtare? Cum autem de longa & graui contentione in manifeſtum certamen deſcendiſſent, tum deinde in multas partes mille modis ſciſſum fuit bellū, adeò ut iam cùm propter inimicitias cōmunes, tum priuatas ſuſpiciones, irreconciliabile odiū ſuſciperetur. Hæc aūt tempeſtas Eccleſiaſtica, qua maris cōmotione nō ſęuior eſt? Qua omnes patrum definitiones cōuulſæ, & totū fundamētum & omnis firmitas dogmatū labefactata eſt. Quatiūtur aūt cūcta, & alliduntur, & baſin habent cui ſuſpenſa nituntur fluxam: nos'que

